BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 B7
22 — I
52
C·43·C·

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIONES
PANEGYRICÆ
SANCTORVM.

Digitized by Google

ORATIONES
PANEGYRICÆ
SANCTORVM

Auctore Dominico Cæſario Foroſempronienſi I.C. Protonotario Apoſtolico, & in Bonon. Archigymnaſio humaniorum litterarum Profeſſore publico.

Cum gemino Indice, altero Orationum, rerum notabilium altero copioſo.

Ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

HIERONYMVM BONCOMPAGNVM
Bononiæ Archiepiſcopum, & Principem.



S. Mariæ de Scala

Vittorio Emanuele Biblioteca Roma

Bononiæ, Typis Io. Baptiſtæ Ferronij 1652. Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D.

HIERONYMO BONCOMPAGNO

Archiepiſcopo Bononiæ, & Principi digniſsimo.

SOLET (quemadmodum inquit Symmachus) facunda eſſe lætitia, & anguſtias clauſi pectoris aſpernata geſtire. Verùm quod gaudium ingentius (non dicam) inueniri: ſed ne ingenio quidem acutiſſimo valet concipi, quàm huic Metropolitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopum contigiſſe, cuius Patroni claues illi ad purpuream dignitatem in Vaticano, vt augurium ſit pro vaticinio, aditum reſerabit? ea præſertim de cauſa, vt feliciſſimam memoriam referat ex ſua inclyta Proſapia Gregorij XIII.

Pon-

Digitized by Google

Pontif. Max. cuius munifica pietas catholicam fidem ad Indos, & Iaponenſes, copioſa Collegiorum inſtitutione, propagauit, Archiepiſcopum, inquam, apud quem ſapientia ætati adhuc immaturæ ſuauius quotidie ingerens condimentum, varijs Congregationibus, præſertim verò Rituum, cui à ſecretis operam nauauit, inceſſantem ſuę laudis materiam attulit. Non tam mox optatiſſimus tuus aduentus lætitia Bononiam affecit, quàm mox vniuerſos ciues in hunc ſermonem adduxit, vt aliquem ex annalium memoria, aut diuinum hominem è cælo inter nos delapſum affirmarent: cuius felix præſentia ſiderum improbitatem, temporum corruptelæ originem, mitigaret. Et ideò quotieſcumque gentilitium Draconem tuum contemplatione apprehendo (quoniam comprehendere non poſſum, cum maior ſit medius, quàm alij omnes toti) incunctanter ſuppetit alter Draco, cuius aſpectu aues, cum Lepido in quodam loco cum Magiſtratu Romano commoranti ſomnum interpellaſſent, aliò volatum explicarunt. Enimuerò, cum tuus ad ouile tibi comiſſum acceſſerit, ſi quid amantiſſimi gregis tran-

quil-

illitati obſtet, longiſſimè ablegabit; immo illius animo æger eumdem Draconem in præſentibus anguſtijs exaltatum, abſque certa ſanitatis recuperatione, poterit intueri. Iſte non in Heſperidum, ſed Eccleſiæ horto, non poma aurea, ſed animas, quàmuis fomiti ob pomi ab Adam comeſtionem obnoxias, quouis auro obrizo pretioſiores peruigil cuſtodierit, multo etiam fecerit meliores. Licet eximia videri poſſit commendatio: quia tamen virtutum meridianæ lucis inſtar in te ſplendeſcentium ſublimitatem non attingit, eo laudabiliorem oſtendit, quòd omnem laudem, vnde in dies magis, magiſquè laudandus appares, meriti potius, optimè agendo, quàm illius notę cupidus auerſaris. Et quoniam hæc omnia illinc mihi ſuppeditata, lætitiæ à me conceptæ partui non ſufficiunt, hanc curam præſenti de Sanctis Orationum opuſculo, quod tibi dico, & ſacro, libens, ac volens demandaui, non ſine fiducia fore, vt de tua ſumma benignitate nihil detrahens, ſereno vultu excipias; cum earumdem argumentum ſit ſacrum, incomparabili tuæ religioni, quam cæteræ virtutes primariam agnoſcunt,

ma-

maximè conſentaneum. Calamus ſermonem ad hanc rem ambit fœcundiorem: ſed veritus, ne tibi moleſtiam exhibuiſſe arguatur, in ſilentium ſe recipit, non eo quidem conſilio, vt otio inglorius torpeſcat: ſed, cum nihil aliud virium exilitati detur, à tui obſequio humili æquè, ac deuoto numquam deſtitiſſe glorietur.

Ex Ædibus X. Cal. Iunij MDC. LII.

Cliens humillimus, & deuinctiſſimus

Dominicus Caſarius.

Digitized by Google

ORATIONES PANEGYRICÆ SANCTORVM.

S. Antonius Abbas eremi cultor dæmoni terrificus.

ORATIO I.

ILlud ex communi prudentium virorum ſententia æquitati valde conſentaneum exiſtimatur, quod virtutibus præſertim cælo receptis lingua, & calamo, quòuſq; vires pertingunt, meritorum præmij, laudis ſcilicet ſolutionem continet non auaram: vnde ab oratorum cordibus ea pietatis indiciorum copia eliciatur; qua auditorum, lectorumq; animi non infrequenter, neq; leuiter affecti, æmulationis proficuæ ſentiant incitamentum. Sed quæ virtus præclarior, quæ ſublimior poteſt excogitari, quàm inter acerrimos ad culpam impulſus fortitudo iugiter inconcuſſa? Si hæc ipſa in quopiam, vllo tempore, aut loco floreſcere viſa eſt, illucuſq; floruit in Antonio, vt totius Ægypti oculos in ſui admirationem alliceret, non alio, vel pulcherrimo aſpectu illinc deflectendos. Conſueuit fortuna mulier cæca etiam cæcos efficere, quos ſuo lubrico fauore amplexatur: ideoq; vir ſanctiſſimus, vt ab huiuſmodi periculo longiſſimè abeſſet, à diuitiarum voluptate animorum illaqueatrice ſuum æqualiter abalienauit. Cumq; non rarò accidat, vt homines ge-

neris nobilitate glorjantes, plurimùm intumeſcant, ille potiùs cogitauit, quonam pacto, inani gloria penitus ablegata, gentilitio ſplendori rerum geſtarum excellentia reſponderet. Inter dona è cæleſti ærario vbertim demiſſa, non parui faciendam iudicauit è Chriſtianis parentibus originem multis bonis iure optimo anteferendam: iſtamq; in tanto pretio habuit, vt ea ætate, quæ ob ſui immaturitatem non multùm ſentit, neq; ſapit, bene ſentire, optimè ſapere demonſtrauerit: quoniam poſt genitorum orbationem, cum ceteri adoleſcentes in ſuum ingenium tranſeunt, ipſe ad Dei ſeruitium per rerum omnium aſpernationis tramitem commigrauit. Vt iſtud feliciùs ageret, illinc auſpicatus eſt, vbi ingentior felicitas innoteſceret: vnde verò clarior innotuit, quàm à libera, ac liberali totius oneris depoſitione? Ecquid autem oneris grauius, ac moleſtius, quàm diuitiarum ſarcina minùs ſentientibus magis oneroſa? Voluit ipſam deijcere, vt, quamprimùm ſibi liceret, exoptatum iter inſtitueret: illudq; conſtans, ac firmum animo habuit omnia venui cômiſſa ex Euangelico præcepto in pauperes (quod poſtea contigit) erogare. Veræ ſapientiæ, quam Chriſtiana philoſophia edocuit, haud expers, ne patrimonium ex multorum conſuetudine decoqueret, in Eccleſia expoſuit, vt diuinæ legis iugo ſe totum exponeret: quod qui iam inde ab adoleſcentia non detrectat, verè felix, beatus verè poteſt nuncupari. Ipſe patrimonium non vendidit: ſed permutando, aurum potiùs emit, quo viritim in egenos (velut indicaui) diſpertito, non famam apud mortales cum mortali vita fragilem, & caducam, ſed cæli gloriam apud ſuperos ſibi ad perennitatem compararet. Ecquid ſupra potuit ſapere Antonius, quàm è fluxis firma, è caducis ſtabilia, è fragilibus ſolida, ex impuris intaminata, ex corruptis integra, ex terra aurum, ex cœno cælum elicere? Huc accedant, qui difficillimam, ideoq; paucis notam artem nouiſſe deſiderant: Abbatem noſtrum integerrimum nihilo minùs imitatione, quàm admiratione dignum contemplentur. Videbunt profectò illum annis immaturum, & tamen regni cæleſtis adep-

adeptioni rebus glorioſiſſimè geſtis maturatum. Videbunt effrænatæ iuuentuti fræna imponentem:ne illuc præcipitanter ſe agat: vbi illius coætanei nimiæ libertatis auidi, veræ vtilitatis, honoriſq; omnino ignari, lapſu irreparabili colliduntur; quinimmo ſe præcipitem cum alijs, ſed ab alijs diſſimiliter agentem, giganteo ſcilicet gradu ab adoleſcentia ad ſenectutis annos non ætatis, ſed prudentiæ beneficio progreſſum. In quarum rerum intuitu nihil admirabuntur, ſi dæmonum vires, quanuis inſolentiſſimæ, pareant, cui ſingula vitia ingenti ſanctitate confracta perierunt. Neſciuit, neq; potuit (quia noluit) Antonius naturæ, ac fortunæ bonis, quæ non pauca mala multis creare conſueuerunt, cumulatus, non honeſte agere, exterioribuſq; notis à vulgo diſtinctus, ab eodem pariter interiori forma (quæ licet occulta, attamen rectè inſpicientibus perlucebat) non plurimùm diſcriminari: ſed in iſta diſcriminatione ſimilitudinem, vnde præter naturæ ordinem ab alijs excerneretur, exoptauit; ab illis nempe, qui morum innocentiam ad amuſſim colerent, imitationem laudatiſſimam. Vbi enim quidquam, vel minimum acquiſitæ virtutis eluceſceret, illinc, quaſi mutuato ſplendore, animi facem accendere, eum ſcilicet æmulari conabatur; vt virtutes, quæ in ſingulis diuiſæ, apud ſe in vnum coibant, non ad popularis gloriolæ aucupium, ſed potiùs ad optimi exempli exhibitionē ipſas omnium oculis præfulgentes obijceret. Huiuſmodi ſplendor tantum in dies additamenti accepit, vt inferorum regnis, quæ perpetuus tenebrarum horror circumuenit, fulgore ſuo, quaſi die ſereniſſima penetratis, ad Chriſti famuli vitæ Angelicis potiùs, quàm humanis moribus traductæ, aſpectum, tetras dæmonum cohortes appellauerit. Citiſſimus iſtorum acceſſus, quoniam curioſus, illum inuenit humilem, patientem, manſuetum, miſericordem, ſobrium, vigilem, orantem. Cum ſatanas ad lucem tot, tantiſque virtutibus emicantem caligaret, inuidia percitus, denſas tenebras ex barhatro arceſſit; ſi iſtæ in hominem ſanctitate cumulatum ingruentes, tanti luminis fulgorem niſi extinguere, non parum ſaltem va-

 leant

Digitized by Google

leant offundere. Dæmones difficultatem operis certatim aggreſſi, re ipſa experiuntur, ſuos conatus eſſe nebulas, ac nubeculas à fumo opinionis, ſplendoremque vmbræ oppoſitum non modò non offundi, verùm etiam magis, hominũ præſentium (addo abſentium) oculis, oberrante fama, effulgeſcere. Senſit Antonius maiori in ſingulas horas prudentia ab integritate morum accepta, in Dei obſequio progreſſus, quos ad illius gloriam multiplicandi deſiderio æſtuabat, hominum aliud in vita quærentium frequentia præpediri; illudq; ſecum frequentiſſimè reputans, in optimo inſtituto non progredi nihil aliud eſſe, quàm cum detrimento retrocedere, in abditiſſimam ſolitudinem ſe recepit: vnde commodiorem Deo inſeruiendi, diabolicas vires ſuperandi, nec non deludendi anſam arriperet. Senſit inimicorum vires, & ſui natura robuſtiſſimas, & varijs impoſturis virtutum ſpecie obtectis acerrimè communitas: intellexitq; ciuitatis ſpatium cum dæmonibus prælio exercendo nimis anguſtum. Ob id eremi amplitudinem delegit: vbi virtus generoſiſſima liberiùs excurreret; quinimmo per iſtam in deſerta loca ſuimet receptionem, ſecundi hoſtis occultam improbitatem ſubterfugit: mundi ſcilicet, qui hominum animos vinulis blandimentis irretitos, eiſdem non cogitantibus, vel totum aliud ſentientibus, perdere neruis omnibus contendit. Addo ab eodem cunctis illecebris exempto, tertium hoſtem, ſenſum videlicet, qui inuiolabili ſocietate cum mundo aduerſus hominem inita, inde opem aſſiduè impetrando adauget, longè faciliùs compreſsũ. Enimuerò ſenſus noſter eo magis eneruatur, quo minus vitium à delicijs ſolet accipere. Illinc euenit, cur diabolus tam acriter Antonium concuſſerit: quia ſoli cum ſolo in ſolitudine fuit luctandum. Vnde nulli accidat admiratio, ſi varias formas ad Protei exemplum induendi, & à quatuor elementis auxilium comparandi conſilio capto, canis, vrſi, leonis, ac hydræ ſpectra viſu maximè horrenda obiecerit, illud profectò ſpectans, vt moribus innocentem à ieiunij, vigiliæ, ac orationis exercitationibus deterreret: ſed rem actam egit, illius conſtantia

A. deter-

deterritus, ſæpiſſime etiam illuſus receſſit. Non magnum negotium eſt externos inimicos peſſundare, internis iam athleticè ſuperatis. Antonius ſatanam facillimè fugauit, quia ſuimet ſenſum validiſſimè repugnantem longè validiùs infregit ab oratione potiſſimùm, & ieiunio, quæ tam aſſiduè, ac ſtudioſè coluit, vt nihil aliud diu, noctuque animo volutaret: ſciebat enim ciborum parcitate, precumq; abundantia carnem edomari. Iſtæ fomitem culparum omnium ſcaturiginem inexhauſtam reprimunt, quominùs homini optimè munito imperet: animumque Deo arctè adeo coniungunt, vt quæ terrena ſunt, omnino deſpectis, cæleſtia, quæ immortalitatē habent, diligentiſſimus inquirat, inuentis omnino acquieſcat, donec è tenebricoſo corporis ergaſtulo eductus, iiſdem cum æterna felicitate perfruatur. Non poteſt huiuſmodi fruitio contingere, niſi prius curis, ac moleſtijs in præſenti vita maceremur. Hiſce à fato, nempe à Deo immiſſis parcere non debemus; quinimmo glorianter obuiare, lætis vlnis inter oſcula excipere, vtpote illas, quarum auxilio nos cælum excipiat, poſteaquam terra, vnde nudi exiuimus, nudos, aut bonis, maliſq; inter homines peractis indutos receperit. Si à fato moleſtiarum parcitas, nos nobis ipſis nihil indulgeamus: quæ acerba, quæ aſpera ſunt, ſtrenuè toleremus; vt hoſtis humani generis ſingulos noſtrum perquirendo, non otio tabeſcentes, ſed potiùs in aſſiduo labore, rerumq; aduerſarum perpeſſione tanquam diuinæ voluntati obſequentes, metuere non deſiſtat. Diabolus ſeruorum Dei ſudore aſperſus, laboris aſpectu affectus debilitatur: cuius rei veritatis experientia haud inſcius Antonius, cum ſomni neceſſitate appeteretur, humi cubare, ſal cum pane ad cibum, ſimplicem aquam ad potum, eamq; non ante ſolis occaſum ſumere, voluptatem cenſebat maximam non ſolùm ab alimenti parcitate, ſed etiam à diuturna inedia non vulgaris meriti occaſionem arrepturus. Cognouit naturam paucis contentam. Si quid ſupra neceſſitatem eſt, tanquam ſuperuacaneum, vt ſatietatem expleat, ſenſum ad ea, quæ noxia ſunt, exſuſcitans, impellat; pro ſalute reme-

ucn-

uendum: quanto enim lautiùs corpus enutritur, tanto ardentiùs
iugiter fameſcit animus. Quocirca, ſi dæmonem famelicum (vn-
de minus virium comparet) exoptamus, carnem ſpiritui reluctã-
tem aſſiduo ieiunio cohibeamus: enimuerò ille non ad noſtram
vtilitatem, ſed ad ſui commodum ciborum opulentiam nobis
ſuadere nunquam ceſſat; quoniam noſtris refertis menſis enutri-
tur. Indeque apud eumdem venter diteſcit: quia perpetua apud
nos animorum fame ex nimio corporis opplemento gloriatur.
Quæ omnia fuerunt in cauſa, cur Antonius cibi abſtinens, de in-
feris inuictiſſimè triumpharit. Non ſemel, ſed ſæpè, ac ſæpius lu-
cifer conatus eſt lapidibus, fuſtibus, etiam flammis ipſum attin-
gere: ſed aerem verberauit, non perpendens, illinc eum abeſſe,
vbi ſuis oculis corporea ſpecie apparebat: contra verò firmiorem
manere, quò illius acies, quanuis acutiſſima, nõ poteſt peruenire.
Vir nãq; cælo dignus, aſſiduis precibus vacãs, eo longiùs diſtabat
à terra, quo longiùs hanc ipſam à cælo elongari non ignoramus,
nempe omnipotenti Deo, quaſi alter Moyſes in monte Sinai col-
loquio arctiſsime cõiunctus: diabolus autẽ, ab eo fortunatiſsimo
loco per ſuperbiæ vitium præcipitanter detruſus, eò miſeriarum
deuenit, vt ſedis amœnitatem, ne mẽte quidem valeat aſſequi, ne-
dum oculis, licet emiſsitijs, contingere. Antonius igitur corpore
in terris, animo felix verſabatur cum ſuperis: & ideo quid mirũ,
ſi minæ acerbiſsimæ, facies teterrimæ, verberationes ipſæ (liceat
idem repetere) aerem verberabant? orationis enim beneficio ex-
taticus, ab omni terreno ſenſu remotus, nihil nõ diuinum corde,
lingua, manu apud rerum omnium conditorem euoluebat. Quo-
nam pacto ei licuit ſentire; ſi dæmonum plagis ſeueriſsimis affe-
ctus, immo ſi iiſdem, vſq; ad martyriũ dilaniatus, iam morti tra-
ditus videbatur? Optimè, aptiſsimèq; vſurpaui, videbatur: nam ſi
rem ipſam ad veritatis calculũ deducamus, non fuit; quinimmo,
carne haud parum afflicta, ſeu veriùs contrita, ſenſu in frænis ha-
bito, ne huc, illuc arbitratu ſuo à ratione exularet, non verbera,
non vulnera, quæ omnia terrena fuerunt, ſed animi potiùs inter

hu-

Digitized by Google

huiuſmodi moleſtias conſtantiæ, ſingulis horis, augumentum (quod diuinum quidpiam, ac cæleſte fuit) non ſine maxima iucunditate accepit. Illud ſupra raptim commemoraui, Antonium à diabolo omnia cruciamenta deſpexiſſe, quippe qui mente nihil diſtaret à cælo. Nunc maius quiddam monſtri ferè exemplum adijcio, cæli Regnatorem viro ſolitario maximè fuiſſe coniunctum: vnde cum aliquando alienus videretur, tunc non modò apud illum, verùm etiam in illo ad impenſiorem vtriuſq; voluptatem moram traheret. Quod vt Diuus noſter frequentiùs perguſtaret, illas cæleſtis ſponſæ voces amaterias dulcedinis plenas iure optimo poterat lætiſsimus profere: *Fuge dilecte mi, aſsimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum.* Cant. cap. 8. Chriſtus ab eo nunquam certè abfuit; quin aſsiduè præſens fuit: vnde nihil, niſi vtiliſsimum ab aduerſario pati ſuſtinuit; vtque ſingulæ ab eo vexationes in vexatorem acerrimè retorquerentur, effecit. Quantum enim moleſtiæ, angoris, cruciamenti illinc dæmon traxiſſe credendus eſt, cum poſt innumeras plagas, de illo victoria ſe potitũ arbitratus, adamantina eius patientia tam ignominioſè victum experitur, vt cælum ipſum ſui militis palma delectatum, micantiſsimum ſplendorem effuderit, ideoque illius de inferis triumphus ſuperis gratus, eremo vniuerſæ ad cuiuslibet Chriſti famuli ſolatium clariſſimè contingeret? Faſtoſo victoriæ obtutu Chriſtus eouſq; oblectari viſus eſt, vt conſuetæ iucunditatis ſuaſu ſuimet in certamine habito, præſentiam victori verbis nihil ambiguis declarauerit. Quæ voces Antonio florentes roſæ ad ſolatium, diabolo lapides ad cruciamentum duriſsimi euaſerunt. Sed ille è cruciatibus citò euaſit; iſte in ſupplicijs miſerrimus iacebit ſola immortalitate ſatiatis. Cum leonis indutæ vires Antonianæ arcis expugnationi non ſuffeciſſent, lucifer illis vulpinam pellem, dolos inquam, non ſemel conſuendos cogitans, venuſtiſsimas mulierum imagines, quarum oblectamento innocentiam violaret, in ſomnis obiectauit. Sed quoniam iſta Eremitæ idæam ſanctiſsimis cogitationibus occupatam ne tantillùm quidem occupare valuerunt, tunc

Digitized by Google

ſatanas ſe ipſum vndiq; amariſsimis curis diuexauit, illud anxio animo recolens, ex indicta Chriſti Aſſeclæ quieti perturbatione plurimas in ſe moleſtias deriuari. Se tantæ ſolicitudini exempturus, aliam artem pertentat, argenteum vas, cuius nitor oculos alliceret, in via ab Antonio frequentiſsimè calcata relinquit. Is fallaciam inſpiciens, vas crucis figura ſignatum in auras illico diſpergit: vnde laqueo venatoris contrito, animi ſui arcem altera oppugnatione potentiſsima liberauit, non ſine oppugnantis iracũdia; qui verſutias omnes exitu ipſo inanes præter opinionẽ inſpexit. Sperauit hoſtis iniquiſsimus, optimum animum auaritiæ irritamentis corrumpendum: ideoq; argentum illius paupertati quaſi ſubſidiũ obtulit, haud opinatus, nullius pretij eſſe apud eũ, qui, vt liberius Chriſto ſeruitium exerceret (quod plurimũ, quod maximum in diuitijs fuit) nihili inſtar fuerit aſpernatus. Optatis ne technas iſtas aſtu penitus caſſas agnoſcere? Argentum apponit Antonio, qui ab auro lõgiſsime abijt: offert diuitias illi, qui nihil ſpei in pecunia collocauit: opes obijcit, cui quiduis potiùs placet, quàm opulentia: luxu circumuenit, quem priùs ſobrietas cõmuniuit. Oblitus fuerat facillimè euenturum, vt ille nihil falſus, ſimulatum, ac falſum iudicaret, quod à tenebrarum parente fuit comentitium. Antonius illud vas, Pandoræ vaſi comparauit, quod omnia mala contineret malorum omnium auctoris opera confectum. Ea non mediocri prudentia ſuffultus, cum oppugnationibus non cederet; quinimmo acriùs, validiùſque ſemper repugnaret, hoſtis tamen à deſiderio palmam aſſequendi non ceſſauit. Illius memoriæ ſiſtit generis nobilitatem: ſuadet perperam factum, quod ei nuntium quodammodo remiſerit, vitam ſqualoris plenam inter ſyluas belluinis moribus degendo. Hortatur, recogitet gentilitias imagines illorum, qui ciuilibus negotijs, vnde familiæ ſplendor magis innoteſceret, laudabilem operam impenderunt. Iſtorum imitationem proponit, ibique eo firmiùs, ac tenaciùs inſiſtit, quòd maiorum decus cum illius obitu periraret. Commemorat ætatem iam maturam tranquillitati ma-

gis,

Digitized by Google

gis, quàm labori committendam: ſtultos vocat, qui diuitias cælitus donatas aſpernãtur: ſuimet homicidas dicit, qui corpus frequentibus ieiunijs, ac vigilijs excruciant: addit, cæli fores potentiſſimo Chriſti ſanguine reſeratas: quicquid pœnarum corpori adiungimus, meram opinionem eſſe à bili, quæ genio intemperanter dominatur. Homines in ſe nimiùm acerbos, acerbam iniuriam inferre aſſerit Chriſto paſſo; qui propriæ legis iugum ſuaue, & onus æqualiter leue nuncupauit: illud vitæ genus omninò aſperum, nõ Dei famulatum, ſed potiùs ſeruientis excidium enutrire: ad ſummam vrbes hominum, ſyluas beſtiarum vſui à natura creatas; vnde, qui omnium matris ordinem non ſeruat, hunc omnia in perpetuum ſui detrimentum corrumpere. O ſermonem ſcilicet pium! O colloquium amoris plenum! Diſcamus, AA. cum Antonio mellitis verbis non credere: diſcamus aſſentatori diabolo, qui, vt nobis placere videatur, ad voluntatem loquitur, non placere. Virtutes non ſecus, ac vitia deteſtatur, vt vitia quę prima ſpecie virtutes apparent, animis noſtris per inſinuationem ingerat, effrænati ſenſus retinacula, ſæua nominat vulnera, ſeu magis ad omnimodã illius perditionem cruciamenta. Ieiunium irridet, tanquam muliercularum commentum, vnde animi vires penitùs extenuantur: vt ſui ſalutem vno loco, nempe in ciborum parſimonia collocatã imprudenter exiſtiment: præter illam nihil ſalubre mendaciter opinentur. O fallacias (paucis dixerim) ſuperabiles, quæ ſub virtutum indumẽtis criminũ formas abſcondunt monſtruoſiſſimas! O gulam, ò auaritiam, ò ſuperbiã Antonij oculis recluſam, licet ab humani generis hoſte quàmplurimis velamentis obtectam! Anachoreta robuſtiſſimus, Chriſti exẽplo, triplici gladio appetitus, vt triplici clypeo ictus acutiſſimos propulſaret, ieiunio ieiunium adiecit, ſeculares diuitias quotidie magis, magiſq; contempſit, veterem humilitatem ſuimet recenti aſpernatione adauxit, antrumque ſcrupoſiſſimum ingreſſus, ibi luſtris quatuor conſumptis, in ſemetipſum aſperrimè ſæuiendo, dæmoniacam aſperitatem euitauit. Perpetuum igitur bellum immortali

Digitized by Google

tali odio enutritum inter virum cæleſtem ; & inferorum principem interceſſit : at ea in re illius conditio non parùm diſpar videbatur quòd huius hoſtem vulnerandi deſiderio non longè fuerunt ictus immittendi. Nunquam enim carnem verberibus ſauciauit, quòd malum ſpiritum acerbiſsimè non torqueret. Bellum perpetuum nominaui : ſed longè veriùs æternum appellaſſem : quoniam Antonij preces plurima corpora dæmonum viribus obſeſſa in priſtinam libertatem vendicarunt ; quinimmo ipſius nomen nequiſsimos ſpiritus ab hominibus detruſit . Eaque de cauſa pictorum ars religioſiſsima ad pedes Antonij ignem flammeſcentem apponit: nempe vt mortalium oculis obijciat inſignem victoriam de ignito iugiter ſerpente reportatam. Enim verò permulti illius precibus ad Deum internuntijs non ſolum morbo, quem ignem ſacrum nominant, ſed etiam gehennæ per vitæ mutationem erepti, non temerè gloriantur . Illius integerrimæ ſanctitatis fama per orbem vniuerſum promulgata, hominū animos adeò illexit, vt permulti eius auxilio in rebus aduerſis, vel per abſentiam commendati, non mediocre acceperint alleuamentum ; Vt alios ſummos viros reticeam, vnum nomino Conſtantinum magnum, qui ad eū in ſui, ac totius imperij commendationem litteras miſit. Ex antro egreſſus, omnibus admirationem ingerebat ; quippe qui in horrido ſpecu de vultus hilaritate nihil amiſerat. Sed quo pacto mirum potuit euenire, ſi illius Solis ſplendorem excipiebat, vnde Phœbus lucē mutuatur ? Quanuis Antonius verſari crederetur in vmbris: attamen Chriſti fulgor eum Danielis inſtar in lacu leonum iacentem illuſtrabat. Veniam date, obſecro, AA. ſi Eremitæ locum, Danielis lacum nuncupaui. Vterq; profectò carcer fuit : alter iniqui Regis iuſſu ad pœnam : alter ingredientis voluntati ad Dei gloriam recluſus; neuter tamen coarctatus. Ecquid enim incommodi Antonius ad meriti auctionem non ſuſtinuit ? Martyrij quoq; palmam exoptauit, quia Chriſti fidelibus inter ſupplicia à perſecutoribus indicta ſolatium afferre, animos addere, conſtantem tolerationem

pro

pro immortalitatis adeptione ſuadere, hæreticos, præſertim verò Arianos, velut omnium peſsimos, ad illos etiam acceſſum vehementer deteſtatus, inſectari non ceſſauit. Ipſum martyrium ſibi denegatum non ignorans, à ſe ipſo per corporis lanienam in vltimo etiam ſenio viribus delaſſato, nihil quidem intermiſſam impetrauit. Vtinam, qui laboribus, & ærumnis vſq; ad quintum ſupra centeſimum annũ exantlatis lætatur in cælo, ſuæ vitæ imitationem nobis impetret, ne incendio perenni attingamur.

S. Sebaſtianus ſcopi exemplo ſagittis confoſſus.

ORATIO II.

Vicumq; non perperam ſentienti meridiana luce clariùs innoteſcit, virtutem qualibet virgine, vel pulcherrima longè pulchriorem gemino pede cognitione, actioneq; nunquam obliquo, & ſemper inoffenſo nulli quærenti non obiam ambulare: vnde huius veritatis confirmatio ſuperuacanea magis videri poſſet, quam neceſſaria. Hinc non ſine myſterio Croniſta Moyſes, vbi in ſacra Geneſi de hominis creatione meminit, repetita Dei imagine, illius ſimilitudinem ſilentio demandauit: vt ſciremus, illam ab ipſo Deo eſſe, qui animi potentias liberaliſſimus impertit; hanc autem à noſtro labore, ac ſtudio pendere meritorum adeptioni benigniſſimè relictam. Sed, quoniam à virtute multæ ſpecies ſcaturiginem ducunt, ille cæteris præſtare iudicabitur, qui à duplici corporis, & animi robore, quod virtus dicitur, famam ſibi comparare non deſiſtat; vt non homo, ſed vir ab eadem iure merito denominetur: cum nemo in quæſtionem adducat, apud antiquos fortitudini præſertim tributum, vt athleticè illam exercentes, Heroum numero omnium opinione adſcriberentur. Vtrùm

inter iſtos nō exigua meritorum copia cenſendus ſit Martyr Sebaſtianus, ex illius rebus robuſtiſſimè geſtis, quas oratio mea in medium afferet, iudicio veſtro æqualiter pio, ac maturo ſententiam efferendam reliquero. Sæuiebat, regnante Diocletiano, perſecutorum rabies in Chriſticolas, tam acerba, vt non nulli illius ætatis homines ſatiùs ducerent non eſſe, quàm Chriſtianorum legibus Dominici ſanguinis effuſione ſancitis inquietiſſimè adhærere. Iſtas non interpolato ſtudio excolebat Sebaſtianus in exercitu apud Imperatorem profeſſus: quippequi ex nobili genere non poterat, quæ nobilia, quæ generoſa cenſebantur, libenti animo non amplecti. Erat quidem Diocletiani, ſed magis Chriſti legionibus addictus. Corpus Imperatori ſeruiebat; animus Regum Regis ſe appellabat mancipium: refulgebatq; in generis ſplendore ea mentis celſitudo, quæ prudentiam opum erogatione in pauperes demonſtraret. Intelligebat, veram nobilitatem noſtrarum potiùs virtutum, quàm antiquarū imaginum opulentia conſtare: earumq; ductu illucuſq; inter milites profecit, vt primæ cohorti ducendæ idoneus haberetur. Studebat militiæ: ſed magis conſulebat charitati, non falſo ratus, eam eſſe victoriam perpetuis litterarum monumentis conſignandam, quæ nequiſſimos hoſtes animis acriter inſidiantes deuincat. De iſtis opima ſpolia relaturus, in Diocletiani ſeruitio Chriſti famulos, quorum religionem temporum improbitate haud palam, ſed tamen ardenti animo exercebat, tam arctè complexus eſt, vt ſingulos opera, & conſilio adiuuare non deſiſteret. Opulentos homines inopes iudicabat, niſi diuitijs laudabiliter fruerentur: cum res illius generis ſint, quæ in ipſa poſſeſſione amittuntur; & ne ſibi amiſſæ dicerentur, pauperibus impertiuit non ignarus, quæſtum eſſe, non ſumptum, quod bonis inſumendum committitur. Inter arma pietatem dilexit, vbi impietas nominatur clementia, miseratio iniuſtitia: illic neceſſitati alienæ proſpiciens, vbi ſuæ tantùm conſulere ſanum conſilium perhibetur. Vidit, multis longè minus corporis, quàm animo cibi indigentibus robur, & conſtan-

tiam

tiam in Chriſtianæ fidei confeſſione haud ſuppetere? eoſdem ſenſit, Imperatoris, qui ſacratiſſimum Chriſti nomen deteſtabatur, iuſſa non parum timere. Quocirca verebatur, ne caderent, cum magis audacter ſtandum eſſet: vt militantium Eccleſia conſtrueretur. Huic ædificio non mediocriter intentus, lapides ſæpè inuiſit: vtque locorum opportunitati inſeruirent, illis quàm maximè conabatur inſeruire. Verbum Dei habuit pro ſcalpro: aciem acuit, qui cæleſtem Ieruſalem ornaturi ſunt, in ijs expolitionem ambiuit adeò concinnam, vt nihil rude, ſcrupoſum nihil deliteſceret; Chriſtianos, inquam, tortorum minis interdum fluctuantes pijs admonitionibus hortabatur, vt durarent: ſuadebat breue ſuplicium perpetuis cruciatibus anteferendum, ac ſummum bonum Dei liberalitate vili pretio expoſitum: laudabat temporis opportunitatem, qua liceret nomen ſuum apud mortales, immortaleſq; æternitatis memoriæ commendare. Addebat, Diocletiani potentiam impotentiam eſſe in eum, cui liberet in ſententia prudenti conſilio capta firmiter permanere: eiuſdem pollicitationes, minaſq; tantum habere inanitatis, quantū ſatis eſſet iſtis timorem, illis verò fidem æqualiter ſuabtrahere. Si cælum homines cogitent, cuius fruitioni conditi ſunt, quicquid diuitiarum reperitur, vileſcere: quicquid voluptatis offertur, cæleſti gloriæ comparatum, in vmbram conuerti, ac fumum. Nihil durabile eſſe, niſi quod durum, atq; aſperum videtur, nempe bonorum, quæ diuina ſunt, adeptionem. Qui hæc omnia in animo habet, huic Chriſtum vere felicitatis theſaurum, immo veram felicitatem non deeſſe. Illorum poſſeſſionem nulli non obuiam, potiſſimùm verò ijs, qui præſentem vitam nihili facientes, caput pro fidei confeſſione diſcrimini offerre non dubitarent. Huiuſmodi monitis ex intimo corde apud Sebaſtianum prodeuntibus adacti, non defuerunt, qui animos ſibi addentes, ſupplicia ab Imperatore Chriſtianis propoſita lætis vlnis exciperent, haud oblata, animo plurimùm anxio quæritarent, non tanquam cruciamentis, ſed potius ſūmis oblectationibus potituri. Diocletianus, ſtatim

Digitized by Google

tim vt hæc fieri auribus percipit, inſano furore percitus, virum ſanctiſſimum accerſit: aſperrimè obiurgat, ea ſpe fretus, ſe poſſe illius conſilium mutare; qui ceteris è vita magis, quam è ſententia diſcedendum ſuadere conſueuit: ſed ex rei exitu totum aliud apparet. Fatetur Sebaſtianus, profiteturq; ſub crucis, non ſub aquilæ ſignis manus cum hoſtibus conſerere: laudat ferrum, quod pro Chriſto, non pro Diocletiano agitatur: gladium exerendum affirmat, qui non Romanum, ſed Chriſtianum nomen defendat: impium cenſet mortalē vitam in diſcrimen adducere; poſt cuius amiſſionem etiam animus apud inferos nunquam pereundo debeat interire: ad ſummam illud ſtrenui militis officium cenſet ab hoſtibus nihil timendo fidelem ęterno Principi operam enauare, atq; illius iuſſu mortem, vel acerbiſſimam ſubire; cuius decor poſteris optimè agendi exemplum obijciat non interiturum. Hoc loco tyrannus obiectans, honores, & gradus militiæ apud Sebaſtianum collocatos, eidem exprobrat beneuolentiam ceteris per varias artes fruſtra perquiſitam: ei non quidem meritò, verùm, vt Imperatoris liberalitas clariùs elucеſceret, vltrò oblatam. Adiungit, quonam pacto illinc malefacta oriri poſſint, quò tot, tantaq; beneficia ſe contulerunt: meram inſaniam eſſe illius, qui omnia poteſt, in ſe iracundiam concitare, aut concitatam, quocumq; liceat modo, non emollire: irato Domino nihil acerbius, nihil ad perniciem cuiq; creandam accommodatius; ideoq; nihil parentium animis infenſius. Admonet, vt caueat, rebus ſuis conſulat, præſentem examinet ſortem, celſiores honorum gradus ſibi paratos ne ſpernat, magicis Chriſtianorum artibus ne credat: vt illorum incantationes fugiat, Chriſto renuntiet, ad deum deorum Iouem reuertatur: hunc ipſum prodigialem inſui auxilium imploret: à mentis inſania tandem aliquando deſiſtat, ni malit à vita citiùs, quàm credi poſſit, deſiſtere. Neceſſum eſſe dijs Gentium, qui veri ſunt, nobilium virorum exemplo immolare, vel dæmoni, qui illum apud homines deartuatum in inferis non ſecus, ac ſibi deuotum perpetuò dilaceret, immolari.

Cui

Cui Perduellis fortiſſimus. Quoniam conſuetæ liberalitatis ſuaſu liberam mihi rerum optionem præbes; ego obſequioſæ modeſtiæ, quæ ſeruum decet, conſilio edoctus, neutrum accipiam: vnde non ſine tua ingenti admiratione vtrumq; lætiſſimus valeam poſſidere. Nihil timens, renuo Ioui deo imaginario immolare; & niſi hoc fecero, dæmoni, cui me deuotum ore mendaci appellas, non immolabor: contra verò, ſi in Dei viui, ac veri cultu perrexero, eidem me humilem hoſtiam immolabo. Et quanuis tu inuidiæ impulſu huic immolationi non parum impedimenti, quominùs contingat, obijcias, etiam ſi manus poſt terga arctiſſimis nodis ad lignum (quod præuidere mihi videor) vincias: ego tamen omnia vincens, voti mei compos ſacrificium abſolutam. Minas tuas nihili æſtimo, pollicitationes non amo, dummodò in Chriſti fide (quod futurum non deſpero) perſeuerem. Licet corpus pereat, ego tamen nõ interibo; immo virum felicem, ac beatum me omnes nominabunt; quippe qui ex humili apud te ſeruitute ad ſublime imperiũ commigrauerim; ſciens enim fateor, Chriſti ſeruitute regnum creari nulli prorſus fortunæ, aut temporis iniuriæ ſubiectum. Si iſtud, quod apud te eſt, imperium credis, longiſſimè erras. Seruitium eſt, non imperium, quod à cultu ſuperſtitioſo non abalienatur. O Diocletiane, dementiam tuam agnoſce, quod ante oculos obuerſatur, tandem aliquando aſpice. Reſipiſce Imperator illud rectò animo euoluens, nullius laudis haberi alios viciſſe, niſi ipſum te vincas. Hoc vnum ad meritorum culmen videtur ſupereſſe, vt tui victor nuncuperis. Tu igitur, vt imperio dignus cenſearis, inter Chriſti ſeruos cenſeri ne detrectes: illicò enim tui fama ad immortalitatis templum iter capeſſet, cum tibi parentes tuo exemplo impulſi, Chriſtianam fidem amplectentur. O animum ſtrenuo duce, fortiſſimo Chriſti Athleta Sebaſtiano dignũ! qui ſciat tyranno contra fortiter loqui: verba non timeat, neq; verbera, ſupra ſalutis curam nihil penitus curet: corporis voluptates oblitus, quæ moleſtæ ſunt (quoniam animum perpetuis malis eximunt) ſine moleſtia

eſſe

Digitized by Google

eſſe opinetur. Quantum conſtantiæ Martyr inuictiſsimus oſtendit, tantum iracundiæ,& furoris,per os,atq; oculos euomet Diocletianus; illinc potiſsimùm anxius, quòd reſponſum accipiat confidentiſsimum, quòd æqualis minarum, ac pollicitationum aſpernatio eniteſcat: & qui olim Principi cariſsimus fuit, diſs votorum parcitatem, indeq; vniuerſo regno ſollicitudinē pariat. Quàm maximè dolet, ſe non poſſe vnius voluntatem in ſui obſequio continere,& ſciat, valeat innumeris populis legem inuiolabilem ſancire. Non parum pœnitet,ſe multis honoribus militem decoraſſe, qui ſuperbia non minùs, quàm inſania elatus, Ioui,ac ceteris diſs debitum honorem ſacrilegus audeat auferre. Secum reputat, inde potiſsimum labefactari imperia, niſi nouæ religionis cultum reiſciant: illud demum conſtituit, ab vnius nece totius regni ſalutem deriuari; vnde iubet, Sebaſtianum, quaſi pœnarum augurem ligno vinctum ſagittis confodi. Implentur mandata, ſed non immaniſsimi tyranni deſideria. Falsò credit, iuuenem licet arctiſsimè vinctum in falſam opinionem inducendum: illorum funium naturam intelligentia non aſſequitur, quos quãto ſtrictiùs aſtringas, tanto leniùs collaxantur. Vincula, quæ terrenos homines, ſeruos faciunt, Sebaſtianum nihil terreni ſentientem oſtendunt. Inter vincula ſummoperè lætatur,in Chriſtiana militia,manibus poſt terga reuinctis,Chriſti paſsionem æmulari; qui, vt nos peccatorum funibus ſolueret, marmoreæ columnæ immobilis voluit alligari. Illic arctiſsimè habitum viti ſe comparat: quemadmodum enim, ſi hæc palo adhæreat, ventorum impetu non excuſſa, plurimum vini parit: non ſecus plures bonorum operum fructus inter Chriſti vincula ſe emiſſurum confidit. Sed ecquid, obſecro, in cauſa eſt, Diocletiane, cur Sebaſtianum vinciri iubeas? Si fugam ab illo ſuſpicaris, profectò nihil ſapis. Qui Chriſti laqueis aſtringitur, cùm iſti adamantis naturam imitentur, omnem fugiendi ſuſpicionem à ſe longiſſimè detrudit. At cur illum vincias, intelligo: vt perduelle ſcilicet, qui tecum eſt pugnaturus, facilius victo glorieris. Sed ea etiam in-

re

re nihil prudentiæ ineſt : quia illum vinciens, tu ipſe æterno inferorum ſupplicio vinceris. Quid demum accidit? Tantùm abeſt, vt tyranni feritas à vinculis ceſſet, quòd ſagittas opulenter parari mandat : quibus ingruentibus, Martyris Chriſti membra citiſsimè confodiantur. Accurrunt tortores, ſinguli arcus validiſsimè intendunt: irrumpentes ſagittæ, inoffenſis Sebaſtiani artubus, inconcuſſo animo excipiuntur. Sagittarij, velut inuicem ludentes, primarium corporis membrũ, cor ſcilicet, ſedem vitæ vulnerandũ ſibi proponunt : qui iſtud attingat, iactũ venereum; vnde conſtet luſus victoria, omnium ore appellandum conſtituunt. Nemo ex illis ſolidas in brachium vires, acutam aciem in oculum non accerſit. Sed omnes profectò rem actam agunt. Faciunt Sebaſtianum ſtigmaticum; excordem non faciunt: cor enim ab eo longiſſimè abfuit, quoniam iam diu Seruatori, à quo plurimum diligebatur, donauerat; immo tanto magis cor in viſceribus aderat, ſed impenetrabili Chriſti corde, quod ob mutuæ beuolentiæ pignus, muneri munus repoſitum accepit, munitus, vulneribus appeti non potuit. Inde iactus, licet validiſſimos non timet; quia ſagittas raptim tranſituras prænoſcit : ſupremi Iudicis potiùs iram expaueſcit, cuius vox tonitruo ſimilis aduerſus impios eſt in rota æternitati ſcilicet coniuncta. Iube ergo, crudeliſſime Imperator, iube, ad Sebaſtiani necem ſagittas emitti: iſtis enim vulneratus haud interibit : ſed potiùs à vulneribus immortalitatem conſequetur; immo vel in hac fragili vita, tum Martyrem à te mortuum exiſtimabis, non diu poſt, viuum cum maximo animi cruciamento ſuſpexeris. Quot enim plagas eiuſdem corpus exceperit ſingulæ, quaſi flumina eloquẽtiæ iſtam immanitatem omnium ſæuiſſima obiurgabunt. Si, quæ veſtra eſt pietas, AA. Sebaſtianum contemplemini innumeris ſagittis circumuentum, hunc ipſum Cupidinis, quẽ impia antiquorum ſuperſtitio ſibi deum finxit, imaginem referre aſſeuerabitis : totidem namque ſagittis Chriſti animum in ſui beneuolentiam vulnerat, quot ipſe nudato corpore, pro illius nomine à perſecutoribus li-

bentiſſimus admittit. Sed, cum recogito, quas profectò admiſit? In ſanctiſsimo corpore diuini amoris ictibus ſtigmatico ſucceſſiuis vulneribus relictus non fuerat locus: vnde illud monſtri ſimile apparebat, flammis videlicet diuinæ caritatis in ipſo æſtuantibus, ſagittarum aciem facillimè retundi: ſe potiùs ferri duritiem haud inæqualiter emollire; quinimmo nihil in ſagittis fuit, vnde Sebaſtianus plurimum non profecerit. Si ferrum expendas, illius ſtimulis ad facilem martyrij tolerationem excitabatur: ſi pennas, non ſegnes alas volatum ad cælicolas explicaturus eligebat: ex ictibus non parum vtililatis decerpſiſſe innoteſcit; illi enim, quicquid ſanguinis fuit, elicientes, nihil in tortores iracundiæ, apud Martyrem iniquiſsimis ſupplicijs affectum reſediſſe demonſtrarunt: indeq; perpetuum in tormentis ſilentium; vnde nemo non ingentis patientię meritum conijciebat. Quamdiu cruciatur, elinguem ſe præbet; quoniam Zoe Nicoſtratis coniugi, quæ vocem amiſerat, ſua liberaliter miſerans, redintegrauit: niſi illud magis libeat affirmare; Chriſti militem in cruciatibus vocem compreſſiſſe, vt eandem clariorem emitteret, inter ſomni tenebras Lucinæ, honeſtiorem ſibi ſepulturæ locum præſignaturus. Iſtud profundiſsimum in tormentis, quæ etiam mutis linguam reſtituunt, ſilentium Martyris, in communem locum commigrationem tyranno mendaciter præſagit; vt illinc quoq; deceptus intelligat, quicquid à ſe atrocitatis manat, robuſtiſſimis Sebaſtiani viribus nō ſufficere: in numero enim mortuorum habitum, cum optima fœmina Irene humo demandatum ſuſcepiſſet, palpitantibus adhuc membris, neceſſaria pietatis officia impendit. Itaq; ſatis validè conualeſcens, compreſſam ſupplicijs vocem extollit, ex ſingulis ſagittis, ſingulas linguas accipit: quæ per vlnera, quaſi per ora, Imperatori ſæuitiam liberiùs, quā antea exprobrare non deſiſtant. Ad Sebaſtiani aſpectum obſtupeſcens Diocletianus, mortuos, viuos credit: & cum tantæ rei nouitatem fides, at multo minùs auris acrem illius obiurgationem non ſuſtineat, acerbiori ſæuitudine concitatus, iubet virgis

gis

gis cædi; donec anima ex corporis ergaſtulo decedat: illud ſibi perſuadens, fieri non poſſe, vt innumeris plagis impulſa, per tot ſpeculas exitum non inueniat. En feritas immanis iracundiæ cõſilio repetita: en verbera verbis ad iniquam mercedem liberaliter repoſita: en vltio immortalis odij ſuaſu, ex vltoris deſiderio ad vltimam lineam redacta. Sed, ne geminato quidem cruciamento contenta, vt inhumaniùs etiam ſæuiat, Sebaſtianum vita functum, in cloacam ignominiæ cauſa deijciendum imperat: vt etiam poſt mortem illud cum Apoſtolo valeat vſurpare: *Facti ſumus omnium peripſema vſque adhuc.* O felicem locum, ex quo, quicquid fæditatis reſedit, vt ſacratiſs imo corpori obſequium præſtaret, quàm longiſsimè receſsit(qui illucuſq; ſapuit, licet antea ſolam graueolentiam ſaperet; vt Sebaſtiani ſanctitatem non ignoraret: ideoq; ſe illius præſentia indignũ agnoſcens, ad Catacumbas per Lucinæ ſomnium ſapienter concedendum indicauit. Et ſi rem ad veritatis calculum deducamus, æquum omninò fuit, vt qui duplicem militiam, Gentilem, & Chriſtianam exercuit, extra portam Capenam, vbi Martis templum colebatur, in ædibus fidelium pietate nobilitatis, ſedem ſibi cooptaret; eo certe conſilio, vt ſciremus, glorioſum triumphum agitare in cælo, qui cum tyranno mõſtro omniũ crudeliſſimo athleticè pugnauit in terris. Renuit Sebaſtianus loci fœditatẽ non tam, vt ſepulchrum magis honeſtum aſſequeretur, quàm nos admoneret, quæ ſacra ſunt, quæ ſancta, ſacris, ſanctiſq; modis contrectanda. Animus noſter, A A. ſacer, ac ſanctus eſt, ab omniũ ſanctorũ maximo, qui homines ſanctificat, ſumma ſapientia creatus: corpus verò vitijs contaminatũ cloaca, in quam diabolus inferorum fœdamenta (ſic culpas nomino) intromittit. Qui ab eo diligenter nõ cauet, quod ſacrum, & ſanctum eſt, ſacroſancti Chriſti ſanguine purgatum, ignominiosè, ac fœdè tractat: in cloaca animum nutrit. Hunc ipſum in loci obſcenitate ad aures Lucinæ, rationis ſcilicet, in ſocordiæ tuæ ſomno clamantem ne reijcias. A te non multum, non magnum, ſed parum, & facillimum petit; nempè

1. Cor. 4.

vt priorem ſui conditionem diuinam libeat recogitare. En, inquit, miſerrimè volutor in limo, qui ortum nobiliſsimum duxi è cælo. Quod cæleſte omnino eſt, cælum, Dei ſcilicet gratiam, habeat ſedem. Iſta, quam lucem appellant, in tenebris non verſatur; quinimmo illas quam maximè auerſatur. Quilibet à Sebaſtiano diſcat: ſi animus in cloaca eſt, aptiorem illi ſedem requirat. Qui luto ludit, facilè coinquinatur: ſi corpus ex luto eſt, ne miſeria miſeriæ addatur, in luto ne ſit. Vtq; minùs adſit, animus à culpa longiſsimè abſit: quanto enim eminus inde aberit, tanto cominus illum attigerit gratia, immortalem gloriam opportunè largitura.

Saulus in Paulum conuerſus.

ORATIO III.

SI quis orator in pectore aliquando fiduciam enutriuit aſtantium auribus, quæ non penitus iniucunda eſſent, afferendi: is hodierna die egò ſum, qui aſpectus veſtri maieſtatem, AA. de admiranda Pauli conuerſione ſermonem habiturus, nihil pauoris admitto. Ecquis enim à rei magnitudine animos ſibi non addat, illius auxilio fretus, qui ex Chriſtianorum perſecutore, Doctoris Gentium nomē eſt aſſequutus? Si Doctor eſt, non poterit ſummæ benignitatis impulſu doctrinam non exercere: me ſui auditorem, vt à vobis æquis animis audiar, ad neceſſitatem non fouere. Poſt acerbiſſimam Chriſti mortem, exoſum adeò fuit apud Hebræos Euangelium: vt nemo non infamiam duceret fidem legi adhibere, quam in ligno omnium opinione deteſtando prodiga, apud Verbum carne indutum, ſanguinis effuſio promulgauit. Illinc accidebat, vt ſupra omnes valere, ſentire, ac ſapere videretur, qui Chriſticolas nihil ſapere, ſentire, ac valere iudicaret; ſanum verò fal-

ſum, ac validum eſſe illorum iudicium, qui non ſenſum, & robur modeſtiæ, vel timoris cauſa recondentes, vtrunq; in Chriſtiani nominis obliuionē audaciſſimi effunderent. Quibus iſtud propoſitum erat, non exigua præmia obijciebantur: honorum culmina contingebant, quibus contingeret Apoſtolorum admonitiones humanarum mentium illaqueatrices, ſuis artibus demonſtrare: is denique aliorum rex dicebatur, qui Chriſtianæ fidei profeſſoribus diem diceret, aut arctè habitos in Ieroſolymorū ciuitatem traheret. Non defuerunt qui dignitatum cupiditate medullitus corrupti, ſe ipſos, generiſq; nobilitatem ſuo peſſimo genio deturparunt, Chriſti fidelium perſecutores immaniſſimi. Non defuerunt, inquam, qui Deo, non ſine incorruptibilis præmij confidentia, inſeruire opinabantur: ſi vinculis cuipiam Chriſtiano impingendis ſtudioſiſſimè deſeruirent. Conſilio certè dæmoniaco (quaſi diuinum eſſet) vehementer adacti, illuc mentem, animum, cogitationem denique totam intendebant, vt dolos, & inſidias ſtruerent: vnde, quæ Chriſtus ad Euangelij propagationem reliquit, dogmata, penitus diluerentur. Inter iſtos principem locum ſibi adſcripſerat Saulus, cuius adoleſcentia in Stephani lapidatione viguerat, lapidantium veſtibus, vt ſingulorū culpæ affinis euaderet, cuſtodiendis præpoſita. Libuit, hoc, velut athleticè factum æternæ poſteritatis memoriæ commendare: vt cunctis ætatibus exemplum ſuppeteret, quaſi non ſine ingenti gloria æmulandum. Actutum illi ſuppetit minarum, tormentorúmque aceruus Chriſti ſeruorum oppreſſioni accommodatus: vnde tigridis inſtar in ſe ipſum ſæuit; quòd in eoſdem ex mentis ferociſſimæ deſiderio cum ſingulis immaniter ſæuientibus multo immaniùs non valeat conſæuire. Eximia immanitate vult eſſe in ſingulis, qui effrænata cupiditate erat in omnibus: vtq; nihilominus liceat, quàm libet (quoniam libet, quod nemini licet) epiſtolas petit ad ſynagogas: quibus ſummum ius laqueorum in Chriſtianos nulla ſexus, ætatis, conditionis ratione habita, exerceat. Mentis impos, voti compos, Ieroſolymis iter capit Damaſcum,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſcum, nempè ab æquo alienum: quoniam ad ſcelus, & culpam quammaximè deteſtandam. Equus nitrit, mandit frænum, ſtare loco neſcit, vt ſeſſoris non parum incontinentis rabiem cordis excruciatricem æmuletur. Furit ſuperbia, ferit lingua, gloriatur, ſibi ampliſſimum campum aliquando tandem obtigiſſe: in quo ſua virtus ante omnium oculos poſſit exultare. Non eſt, inquit, in ambiguo, nulli ex Chriſtianorum plebe à robuſtiſſimo Sauli furore ſalutem euenturam: etiam equus, non ſecus ac cauſæ æquitatem diuinitus præſentiens, Iudæorum inimicis, quoquo modo poſſit, necem crudeliſſimam intentat, ſed à iuſtitia nihil diſcrepantem. Viderint, qui adhuc nihil, niſi miſerias, & calamitates vident, quid ſibi profuerit ſequi legiſlatorem: qui tantum abeſt, vt alios morte (quod vaniloque pollicitus fuerat) liberaret, vt potiùs crucis ſibi indictæ ſupplicio infelicem animam non exemerit. Ibo igitur, feriam, occiſionis non ferias agam, improborum ſanguine, quem ſemper ſitiui, libitu meo ingurgitabor. Sentient Iudæi, me non tantum corde, ſed etiam ore, manuq; ipſa de patrum inſtitutis fideliter ſentire: vnde nihil intentatum relinquam, vt nullum Chriſtianæ fidei veſtigium, memoriæ hominum relinquatur. Immortali Deo gratias ago immortales: qui conſuetæ benignitatis ſuaſu viam mihi munierit; vt debitum Moyſi cultum, necnon ſeruitium, vbique paratiſſimum valeam exhibere. Ecce labores mei, ac ſudores dicati aduerſus illos, qui optimæ legi aduerſantes, Chriſto diuinæ maieſtatis, ac potentiæ deluſori per inſaniam, ſeu veriùs, per infamiam, addixerunt. At fortaſsè vires meas cum poteſtate nuperrimè collata formidantes, reſipiſcent: quoniam à vexatione intellectus, indeq; optimus ſenſus. Si velint, ne minimum quidem cunctentur. Cum me viderint, ſuum quaſi malum videntes, mali eſſe deſiſtant: Chriſtum deſerant; niſi malint ipſius malo exemplo in cruce perpetim ignominioſi, vitam deſerere. Inter iſtas inſanias viam carpit: vult hanc ipſam vorare, vt Chriſti fideles plurimum ſibi exoſos citiùs voret. Ob id equum, ſed multo magis animum calcaribus

addit,

addit, ad ſeueritatis additamentum, nihil longius exiſtimans, quàm Damaſci vrbem aſpicere; vt omnes pariter aſpiciant muneris ad Chriſtianum nomen inſectandum, functionem commiſſi cunctis partibus abſolutam. Illuc vſque immani, neſcio dixerim an inſana (vtrunque, ne lingua erret, affirmabo) mente adductus, totum quaſi viæ, ſed non feritatis ſpatium confecerat: cum repentino cælitus fulgore circumuentus, ex equo præcipitanter decidit non ſecus, ac ille ſeſſoris iniquitatem tunc primũ cognitam detrectaret. O lubricum vaniloqui hominis gradum! O ſuperbiæ culmen opinione citius corruens! O fallacẽ elati cordis confidentiam! Vbi nunc, Saule, illa rabies tã belluina, vt cælum vniuerſum ad pugnam concitaret? Vbi epiſtolæ ad ſynagogas: quæ Saulum in Chriſtianos quæſtorem declarabant? Vbi etiam equi ferocitas ſine fræno, quæ ijſdem quaſi frænum impoſitura, nullum alium ſeſſorem admittebat? Vbi oculi flammas vndiq; certatim ſpirantes? Vbi verba tonitrui fragorem æmulantia, quæ non verba, acerrima potiùs lorariorum verbera cenſebantur? Vbi pedes equum calcaribus ad velociorem curſum cõcitantes? Ceſſant pedes volucri motu caſſi: ceſſat lingua iam in contumelias liberè, ac liberaliter ſoluta: ceſſant oculi, qui olim toruo abs te aſpectu gloriabantur, tetra caligine obducti: ceſſat equus præcipitem tui caſum admiratus potiùs, quàm miſeratus: ceſſant epiſtolæ te non amplius ad iniquiſsimam bonorum inſectationem appellantes; ceſſat rabies cunctis viribus deſtituta, quaſi in ſenſus priuationem conuerſa; ibiq; diuinam miſerationem experiris. Terram nanq; toto corpore, velut per aſpernationem calcas, quam olim cælo ipſo pretioſiorem iudicaſti; cum nihil, niſi, quod terrenum eſſet, imperitiſſimus intelligeres. Immobilis omninò appares, vt tranſactos motus in crimen nimium ſolutos firmiori animo deteſteris. Caligant oculi, vt nihil, niſi cælum fortunatè contemplentur. Elinguis es, vt multiloquij culpam, vnde non obſcurum inſaniæ indiciũ innotuit, ſilentio profundiſsimo abſtergas. Equo habenas, immo te ipſum ab equo

præ-

præcipiti caſu laxas, vt ſenſum aſsiduo luxu infrænem facilius cohibeas. Hic Dei miſerantis artem ab humanis oculis, quàm longiſſimè remotam nemo non agnoſcat. Surgentes cadimus, cadentes ſurgimus. Si te opinione tua eleues, à Deo comprimeris: ſi humiliter comprimas, ab eodem non mediocriter eleuaris. Præſtat humi ſerpere, quàm ſine alis inde inſaniter æquè, ac inaniter volatum experiri. Deus odit ſuperbos, de ſtercore erigens, pauperem. Neque aliter accidit Saulo, cui ſalutis principium fuit ante omnium oculos proſtratum iacere. Quamdiu equo ſuperbiſſimus inſedit, nihil ſenſit: multo plus vidit oculis captus, quã antea oculatus, nõ priùs ſe ipſum aſpiciens, quàm oculis captum perſenſit: plura ſapienti ſilentio expreſſit quã longo, & imprudẽti eloquio cõpræhendit: vlteriùs proceſſit immobilis, quàm cum in motu aſſiduo fuit: humi cubans ad ſui cognitionẽ deuenit, quæ eſt gradus ad finem finium, nempe ad cælum primus, ſed omnium maximè grallatorius. Vultiſne rerum, quas ego expreſsi, irrefragabilem veritatem intelligere? Saulus quando vnquam Chriſtum appellauit Dominum? quando vnquam de iſtius Domini conditione obſequij cauſa interrogauit, niſi poſt ſui proſtrationem acerrimam? Sed illud mihi obijcitis: appellauit; interrogauit prior à Chriſto appellatus, interrogatuſque. Iſtud non inficior: at nunquam appellatus fuit, niſi proſtratus. Illum oportuit equo, veluti ſuperbiæ ſolio in terram deijci: vt ſublimis poſtea in cælum extolleretur; vbi pauperes ſpiritu, nempe de ſe humiliter ſentientes, mercedem incorruptibilem conſequuntur. Proſtratus ab eo, qui oculum fingit, vocem non fictam, ſed ſonantem, æneam, quaſi cedros confringentem audit: quæ ſui met perſecutionẽ exanimo lamentatur. Ne perſecutor ſit in ambiguo, nomen explicans, criminis cauſam quærit; non quidem vt noſcat (quoniam omnia nouit) verum vt illius iniquitatem aperiat,
Act. 9. ſic breuiter loquuta: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Perterritus Dei benignitate, non attritus, vocem cognoſcens, non quaſi humanam, potiùs diuinam credit; quia formidabilem, omnipoten-

Digitized by Google

rentem, præcordiorum intima pulſantem ſentit. Reſponſum à ſe ipſo anxius petit, necnon inuenit paucis expreſſum: ſed re vera ſanum, & allocutori non incongruum: *Quis es Domine?* O monſtrum! qui modò immaniter perſequebatur, ſui percuſſorem nactus, hunc vocat Dominum: nec certe mentitur, illius potentiam à virium robore, & multo magis à ſuo rubore emetitus. Saulus percuſſorem experitur miſericordem, & clementem: illius nomen audit mellifluum, inauditæ ſuauitatis plenum, non hoſticum, amatorium potiùs, ac ſaluberrimum, in miſerijs tutum, & nunquam deficiens alleuamentum: *Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris.* O nomen ſuauiſſimum cuilibet dulcedini anteferēdum! Sed, quoniam illud à natura inditum eſt homini, vt nullum bonum habeat vndequaque abſolutum, nominis ſuauitati amaritudinem oggerit, rei ſcilicet, quam ille agreſſus fuerat, difficultatem penitus inſuperabilem exprimendo: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Sic profectò ſe habent humana, vt dulcia, ac ſuauia durum, atq; aſperum aliquod comitetur. Hic ſanè duo nobis expendenda offeruntur, quorum vtrunq; non paruam indagationem videtur poſtulare. Alterum pendet à Chriſto, quē Saulo, veluti perſecutionis ſcopo propoſitum aſſeuerauimus: alterum ab ipſius perſecutionis duritie, ac labore. Saulus audit Ieſum de ſe tanquā perſecutore, conquerentem; nec parum miratur, ſe illum perſequi poſſe, quem multis antea annis in cruce necatum audiuit; ignarus quidem, fideles Chriſti membra eſſe, quorum ſingula, quamuis diuiſim lædantur: attamē totus Chriſtus acerrimè læditur. Saulus ergo Chriſticolas immaniter perſequendo Chriſtum ipſum immaniùs perſequebatur. Huiuſmodi perſecutionem nihil, niſi inanitatem habere (& alterum ex propoſitis enucleo) è Chriſti verbis clariſſimè innoteſcit, hanc ipſam duram, nempe inuincibilem appellantis, quaſi apud illum, qui ſtimulorum punctionibus reluctetur, aut murum manibus verberet: cum in ipſa culpa pœnam acerbiſſimam inueniat. Chriſtus ſe appellat Ieſum, quo nomine nihil dulcius, nihil

Act. ib.

Act. ib.

Act. ib.

amabilius reperitur: ſed quanto magis hiſce dotibus repletum, tanto pluris cunctis mortalibus ad ſui immortalitatem æſtimandum. Chriſto ipſi in tanto pretio fuit, vt ceteris magis conſpicuum, ſupra caput multis ſpinis, quæ non ſecus, ac theſaurum cuſtodirent, circumſeptum locari voluerit: vnde à cunctis poſteris in perpetuum legeretur; quin Pilato ſuggeſſit, vt Iudæis ad tituli reo maximè incongrui mutationem conclamantibus, reſponderet, indecorum eſſe Iudici ſententiã publicæ ſcriptioni traditam immutare. Iſtius nominis ſuauitatem Chriſtus Saulo non negauit: ſed illius etiam vires potentiſſimas oſtendit. Enimuerò, ſi vniuerſum genus humanum potuit in libertatem graui reatu amiſſam vendicare, ſi Angelorũ, hominum, etiam dæmonum genua flectere: ecquis, obſecro, licet robuſtiſſimus, illius poteſtati repugnabit? Idcirco durum eſt, Saule, ſimultatem exercere cum iſto nomine, quod valuit hominem à Deo quam longiſſimè abalienatum, priſtino amoris loco, reſtituere. Robuſtiſſimum quidem eſt, ſed ab oleo non diſſimile: quod licet molle, delicatumque; attamen duriſſima quæque penetrat, necnon mediocriter emollit. Hoc oleum ſuper caput tuũ, quanuis Saulus appelleris, non Saul lenticula; ſed vbertim effuſum, cordis tui duritie non parum mitigata, quod lapideum erat, faciet carneum: & ideo nomen Ieſu altiſſimis illi caracteribus inſcribetur, quod nullo ferro, vel durisſimo deleatur. Neque ſecus profectò accidit, in eius epiſtolis hoc ſacratiſsimo nomine non infrequenter expreſſo. Id ipſum Chriſtus ſtimulum nuncupauit, & iure optimo: quoniã, cum Saulus non tam linguæ, & oculorum, quàm totius vitæ beneficio priuatus cognoſcebatur, illius ſtimuli nominis ſcilicet Ieſu incitamento cœpit tremens, non parum obſtupeſcere, ſingulos noſtrum commonefaciens, illud in more poſitum peccatori, vt in conuerſione totus commoueatur: cum pœnas, quæ apud inferos ſibi parabantur, æternùm excruciabiles recogitat, veritus, ne illuc iterum præcipitanter ſe agat, vnde nullum exitum, ſed omne exitium ſciat inuenire. Obſtupeſcit ſua

non

non vulgari inſania: cuius conſilio ſummum bonum reliquit ob fugacem voluptatem; immo ob ingentem amaritudinem, quam ſecum afferunt crimina, ſummum malum (ſic peccatum nomino) amplexurus. Igitur, qui poſt illius cognitionem tremens, obſtupeſcit, ſanctus eſt: quoniam alterũ, qui ſupererat ſalutis gradum, feliciter ſupérauit. Non tam mox hunc ipſum attigit Saulus, quàm mox Chriſto illius verbis: *Domine quid me vis facere?* diuinitatem adſcripſit, cui humanitatem prioribus verbis: *Domine quis es?* obſcurè nihil explicauit. En Sauli voluntas Chriſto addicta: en benè agendi à Deo poteſtas: en ſine ipſo voluntatis libertas impotentiæ ſeruitio alligata: en profundiſsimæ Sauli theologiæ principia: en veritatis confeſsio, quæ paucis, ſed non perplexabilibus verbis enucleata, poſt priorem gratiam impultricem voluntatis, alteram gratiam peccati expultricem prioris gratiæ hoſpitem liberaliſsimam accerſit. Accerſita non diu manſit; immo ſtatim è ſupernis ſedibus Sauli præcordia his vocibus intimè penetrauit: *ſurge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* En ſalutis præcepta magis neceſſaria, quam difficilia. Quo circa ſi poſtulas, peccator, alteram gratiam, quam ſuperabundantem appellant, impertiri, duo potiſſimum amplexare: ſurge, & ingredere ciuitatem. Surge à culpa; vbi iam diù cõſepultus iaces: ni ſurgas, ſalus tua iacet: ſi iaceat, iam tibi iacta eſt alea: nihil, niſi malum tuum agis. Corona non datur dormientibus, ſed vigilantibus. Iacentes non vigilant: vigilantes non iacent. Iacent, qui dormiunt, nõ minùs, quàm dormientes iacent. At non ſatis eſt ſurgere: oportet etiam petere ciuitatem. Quamdiu in peccato detineris, es in deſerto ſpinis, ac tribulis conſito. Fuge ſenticetum: fuge culparum aceruum: ingredere ciuitatem: confer te ad cœtum virtutum. Ibi ſingillatim audies, quæ ad illarum exercitationem, vnde ſalus tua pendet, fuerit agendum. Fides, ne mortua ſit, te docebit optimis operibus inſudare; ſpes, curas, & cogitationes omnes in Deum conijcere: charitas inde proximum non ſecus, ac te ipſum diligere:

Act. ib.

Act. ib.

quæ ſi facias, legem impleuiſti. Paret Saulus diuinæ gratiæ miris quidem modis ad ſalutem allicienti. Surgit, ac inter manus comitum, qui neminem videntes, rei exitum admirabantur; Damaſcum ingreditur, oculis, adhuc fruſtra reſeratis: quoniam Ananiæ admonitiones ſalutẽ allaturas nõdum perceperat. Illinc tamen mentis aciem intendit, vt triduo maneat Damaſci à cibo, & potu quàm maximè alienus, videns ad perfectæ conuerſionis auxilium abſtinentiam in primis appellandam: quæ virium imbecillitatem roborat: animum cadentem ſuffulcit: contrarias hoſtium inſidias deſtruit: & nihil virtutis tranſacto luxu ablatum liberaliſſimè non reſtituit. Neque inconſultum fuit in ipſo ieiunio ſpatium ſanctiſſimæ Trinitatis, quam fateri, ac omnibus fatendam proponere debuit, obſequio fortaſſe obſeruatum. Ecquis credat, AA. ieiunium lingua non carere? Ecquis ſibi perſuadeat, huic eloquentiam non deeſſe? Et tamen facundiſſimum eſt: Deus nanque ab illo accitus, Ananiam vocat, imperatq; vt Saulum in vico, qui dicitur Rectus, adire non recuſet. Hic non poſſum immenſam Dei erga nos beneficentiam veneranter non admirari: qui ſalutis noſtræ deſiderio, quaſi igne plurimũ æſtuante accenſus, nihil non mouet, quod nos ad veram iuſtificationem poſſit commouere, commotos etiam adducere; immo quot gradus illius impulſu non tamen coacti, ad ſalutem contollimus, per totidem ipſe ad nouam gratiam, quæ viam muniat, ad nos accedere non deſiſtit. Enimuerò, ſtatimut vidit Saulum, qui iuſſus fuit, vt ſurgeret, Damaſci ciuitatem ingreſſum, iuſsit Ananiæ, vt ſurgens, illum nomine Tarſenſem diligentiſſimè perquireret. Surgit ergo Saulus, & cũ eo Ananias ſurgit: Saulus ciuitatẽ ſubit, Ananias vicum Rectum petit. Ecce non diſpar graduum collatio, quæ illud in noſtri admonitionem confert, nec minimũ quidem à Deo clementiam abeſſe, dummodò nobis voluntas nõ deſit; quominùs animorum noſtroſtrum ſalus finem fortunatiſſimum conſequatur. Inuenit Saulum Ananias? Quid dubitas? Nos vbiq; inuenit Deus, quia vnicè diligit. Inuenit, inquam, in vico

Re-

Digitized by Google

Recto, qui antea criminis ductu ſemper fuerat in obliquo: inuenit domi orantem, quem olim audierat Chriſti nomen in ciuitatibus perſequentem: inuenit agnum, quem fama non mendaci cognouerat lupum. Porrò, vt in homine iuſtificando nihil antiqui hominis relinquendum oſtenderet (vnde per illius conuerſionem legeremus: *expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio*) poſt adeptam gratiam, nominat Paulum, quem in reatu Saulum appellauit. Quamobrem taceant hæretici, qui, vt liberum arbitrium in quæſtionem adducant, Pauli conuerſionem, non vt voluntariam, ſed coactam ore penitus deteſtando in exemplum adducunt. Diſcant, aut, ſi didicerunt, doleſi non reticeant cum theologis efficacem gratiam nuncupare, quam ipſi mendaciſsimè violentiam dicunt. Orthodoxi Patres non negant, quod in Actibus Apoſtolorum continetur, vim è ſuperis Saulo perſecutori quodammodo illatam: ſed iſtud, quicquid fuit prioris motus, quanuis potentiſsimus; attamen illius conuerſionem perficere non potuit: voluntas enim ad iuſtificationem neceſſaria nondum præbuerat aſſenſum. Saulus poſt Dei voces, quodnam ſibi agendum interrogans, reſponſum accipit, ſurgendum, ac eundum in ciuitatem. Tunc voluntas nullo pacto erat mancipata, ſed potiùs omnino libera: quamobrem potuit Saulus non ſurgere, potuit ciuitatem non introire. Surrexit, introiuit: igitur diuinæ gratiæ aſſenſit; neque vim vllam in aſſenſu ipſo ſibi inferri ſentiens, potiùs in Chriſto ſuperabundantem gratiam, ſalutis miniſtram expertus fuit; vt diuinam clementiam commendans exclamaret: *Flumen Dei repletum eſt aquis*. Verùm, vt ad rem propoſitam reuertamur, liceat nobis in memoriam reuocare ſententiam illam rei noſtræ non minus accommodatam, quàm procliuis eſt aqua, cum pluuit.

1.Cor. 5.

Pſal. 45.

—— in atate hominum plurimæ
Fiunt tranſenna, vbi decipiuntur.....
Atque adepol in eas plerunque eſca imponitur.
Quam ſiquis auidus depaſcit eſcam auariter,

Plaut. in Rud. act. 4. ſect. 7.

De-

Decipitur in tranſenna auaritia ſua.

O quàm altè huiuſce generis capturam ſenſit Paulus à Deo, qui animarum lucro ſibi optatiſſimo factus eſt omnibus omnia; vt ipſum pariter omnibus omnia fieri ſui exemplo edoceret. Cupiens igitur Saulum, Paulum habere, aucipis naturam induens, tranſennam produxit, concinnauit aream, eſcam effudit, quando Chriſtianorum apud illum perſecutioni non renuit, epiſtolas ad Damaſci ſynagogas non retardauit, perſecutoris vires in iracundiam, ſeu potiùs in necem ſuorum non repreſſit. Saulus auis feræ inſtar, cibi auidiſsimus, dum ventrem implet, ad tranſennæ intuitum aucipis arte exoculatus capitur, prædator in prædam conuertitur. Fuitne in aucupio adiutor, qui tunc ſibilum exercens, auem in traſennam vocaret? Martyr Stephanus auis dulciſsima iamdiu innumeris lapidum iactibus in plagas adacta, in cælum tranſmiſſa, diuinæ philomelæ excelſæ crucis arbori inſidentis cantilenam; *Pater dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciũt,*
Luc. 22. his vocibus, *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum,* imitata, cœpit
Act. 6. Saulum in traſennam adigere, donec ſenſim alliciens, prædatorem prædam fecit, Saulum in Paulum immutauit. O prædam, exclamo, nec quidem temere, ſupra, quam dici poſſit, opulentam! O prædam prædatori arte occultiſsima ereptam! O prædam à prædatore non alienam; ſed potius illi quàm maximè coniunctam! O prædam, addo, in totam ſubſtantiam prædatoris ſine loci mutatione diuinitùs conuerſam! O auem (ſic enim licet Paulum nuncupare) cantu ſuauiſſimam! O cantus ſuauitatem cunctarum auium vocibus refertam! O auem, quæ in aucupio capta, cum aucipis nomen Ieſu ſemel duntaxat auditum didiciſſet, ſæpiſsimè in corporis cauea concentu vinulo expreſsit. Hæc auis, quot alitum in ſyluis degentium, in cælitum delicias illetrix fuit? & quot etiam poſthac in Chriſti aucupium ſuis vocibus appellabit? Nullus profectò collis, mons nullus, cacumen extollit (vt terram ſui parentem ſuperbiſſimè extollat) vnde auis iſta incolarum, exterorumq; prætereuntium aures, ſingulis anni temporibus,

bus, concentu muſico non demulceat: ecquis enim concionator ſuggeſtum conſcendit, qui frequentiſſimis Pauli ſententijs locum non diuerberet? Vtinam, dum nos hiſce vocibus ſæpe, ac ſæpius ad omnium ſalutem reiteratis verberamur, dæmonum verbera, quæ animum miſerrimè lacerant, euitemus. Vtinam ex peccatorum cœno Pauli æmulatione ſurgentes, in ciuitatem, in virtutum ſcilicet comitia ingrediamur. Vtinam Ananiam confeſſarium, inquam, ad aures nobiſcum colloquentem audiamus. Vtinam terrenis rebus exoculati, quæ cæleſtia ſunt, contemplanti animo voluternus. Vtinam luxui renuntiantes, ieiunium frequenter exerceamus. Si fecerimus, anteactæ culpæ non oberunt; quominùs cæleſtem gloriam poſt obitum nobis fruitioni propoſitam contingamus. Nonne Saulus, licet peccati labe coinquinatus, attamen diuinam gratiam impetrauit, & ex acerbo Chriſti perſecutore factus eſt Euangelij defenſor acerrimus? Agite dum ergo, AA. omnes Sauli cum Saulo ſurgamus: vt omnes Pauli cum Paulo in ſupernis ſedibus feliciter corregnemus.

S. Blaſius ferreis pectinibus dilaniatus.

ORATIO IV.

HOc etiam Eccleſiæ catholicæ fidelium omnium genitrici amantiſſimæ nos debere, nemo in quæſtionem adducit; quippe quæ Sanctorum ſolemnitates ſingulis annis recurrentes religioſo cultu venerandas proponere non deſiſtat: vnde illarum laudes, niſi ad deuinctionis magnitudinem, ſaltem ad ingenij noſtri imbecillitatem exprimentes, optimarum apud eos artium exempla non ſine immortali quæſtu æmulemur. Æmulatio illud potiſſimùm effecerit, vt nos re vera nihil ipſis ſubtraxiſſe, innoteſcat; quorum encomijs admiratione dignis obſequioſam orationem aſſignauimus; dum

dum enim ſummorum virorum merita, licet apte, concinneque, ſed excluſa imitatione, commendamus, qualiſcumq; ſit commẽdatio, hanc, in noſtram ignominiam non citò perituram retorquemus. Vt verò de ſanctiſſimi Præſulis Blaſij martyrio, quo ipſa Eccleſia plurimùm lætatur, ſermonem habeam, vnde potiùs exordium ſumam, quàm ab illius contra tyranni immanitatem inuicta conſtantia? Sed iſtam cæli arcis expugnatricem potentiſſimam quænam virtus peperit, niſi amor Dei Martyris animo altiſſime obfirmatus? Illinc Chriſtianæ fidei propagandæ cupiditas flammis in corde non parum æſtuantibus accenſa: contra verò ob liberã apud ipſum aſpernationem dolorum perſecutoris iracundia in viſcerum penetralibus ſæuiter inflammata. Bellum iſtis ignibus viciſsim indicitur: vtrinque religionis cauſa, quæ animos ſollicitè agit, atque angit, in medium affertur. Alter alterius obiurgat dementiam, vtpotè illius, qui diuinum cultum mendacem æqualiter, ac ſimulatum ſceleſtiſsimus veneretur. Perſecutoris tela armat inhumanitas: optimi Epiſcopi acuit perſeuerantia. Illis adſunt inferi: iſtis fauent ſuperi. Illa ſtringit impatiens idololatria: iſta fortiter cadendo ſuſcipiunt palmam. Sed quo pacto tyrannus inflatè ſurgendo cadat, Blaſius robuſtè cadendo ſurgat, accipite. Imperante Diocletiano, qui magis, magiſq; in dies excruciabilem in Chriſti fideles lanienam exerbat, miſſus fuit Sebaſtem Capadociæ vrbem Agricolaus hoſtis Chriſtiani nominis crudeliſſimus. Sæua Imperatoris ſanguinem ſitientis mandata exequendi libido ſatis, ſuperq; immoderata, illum in capto itinere incitabat: immo, vt viam voraret humanã carnem inhumaniter voraturo ſuadebat. Huiuſmodi profectione Perduellis audita, Argæum montem aſperrimum conſcendit, non aduentantis tyranni feritatem, quaſi fuga euitaturus, ſed vt ouium, quę ſibi commiſſæ fuerant, vitam, producens, ſaluti amantiſſimè conſuleret: paſtoris enim percuſſio oues non ſolùm diſpergit, verum etiam (quod longè miſeriùs eſt) interimit. Si grex careat paſtore, caret alimento: indeq; omnino deſtitu-

tus

tus abalienatur à ſalute. Si abſqueillo ſit, quicquid ſpei fuit antea, decollauit. Quamdiu hæc abeſt, omnia ſimul adſunt mala, aut ſaltem malorum metus ineuitabilis, animi dilaniator immaniſſimus. Ibi inter opacas ſyluas feris tantùm obuias, vitam traducebat, quæ illius ſanctitatem cælo dignam loquaci ſilentio prædicaret. Cui verò in tam aſpera, atque inacceſſa ſolitudine, quam nullus homo, licet maximè ferus vllo vnquam tempore penetrauit? Nemini certè, niſi belluis, quæ in Blaſio morum integritatem ſentientes, illum venerationis cauſa frequenter inuiſebant non ſecus, ac ſanctiſſimo eius aſpectu rationis compotes fierent, ab illo diſceſſum, non niſi benedictione accepta, maturabant. Si in ipſo limine (quod ſæpiſſimè accidit) orantem inueniſſent, ne conſuetam animi cæleſtia meditantis exercitationem, cui totus inhærebat, interpellarent, nihil inuitæ cunctabantur. In æſtuoſo gratias accipiendi deſiderio impatientes dilationis non erant; cum ſemper aliquid beneficij ab illius feruentiſſimis ad Deum precibus impetrarent. Illud enim habet vera ſanctitudo, vt non modò hominibus, ſed etiam feris, rebuſq; ſenſu caſſis ſummoperè valeat prodeſſe. Iſtud non rarò expertæ ſunt oues, atque agni cum leonibus, lupis, pardis, vrſis, pantheris, tigribus ad Blaſij intuitum admirandi amoris, qui omnia poteſt, ſuaſu inuicem conuenientes: ſanctiſſimi nanque viri clementia immanibus beſtijs ferociam à natura inditam eximebat. Hæc virtus oppoſitam habuit Agricolai ſæuitudinem, ſi cum ſyluarum omnium animnatibus cōparetur, longè acerbiorē, quæ ſuis crudeliſſimis moribus haud contenta, cuiuſque, vel acerbiſsimi carnificis, tanquam nullius pretij, roboris impietatem aſpernata, vt Chriſti ſeruos torquendo dilaniaret, venatores in montium aſpera, quæ aſperrimas quaſque belluarū ſpecies enutrirent, eaſdem quæſitum mittit. Obediunt miniſtri, quæſtionem, licet laborioſam, ſibi tamen laudi futuram non deſperantes, apud eum, qui belluino animo in membris humanis diu, multùmq; exercito in dies crudelior euaſiſſet, ferocitatem inter primarias virtutes

Digitized by Google

faciliùs referebat. At cur, amabò animum tuum, Agricolae, venationis cura, necnon venatores ipſos viarum longitudine defatigas? Si beſtias, quæ in Chriſtianorum artus inceſſant, morſibus fruſtillatim diſijciant, quæris, cur te ipſum illarum arctiſsimam cuſtodiam, vbi in ſingulas horas magis efferaſcunt, non appetis? Tu matrem habuiſti ſæuitiam, cum poſt natiuitatem ſatis ferox nunquam fueris: ſed gratiam mater cumulatiùs profectò relatam videt; te namque in ventre nouem menſium ſpatio baiulauit: tu illam in corde plurimis ab hinc annis geſtas. Illa te infantem, vnde minus laboris ſuſtinuit: ſed tu atrocitatem non paruam, at multo maximam, atque grauiſsimam nutris. Si quotidie ab ipſa doloribus vteri excruciaris, cur eamdem fœtibus ditiſſimam aliquando tandem non emittis? Artem intelligo. Plus quidem furis ſæuitia grauidus, quàm hac ipſa vndique exoneratus. Dum iſta ventrem ingreſſa lacerat, non egrediendo, te alios excruciaturum anxiùs excruciat: immo, ſi fortè fortuna egrederetur, iteratum apud te ingreſſum quæritaret, nullam fœcundiorem, carioremq; matrem, quàm te ipſum, nullam commodiorem, & auguſtiorem ſedem, quàm apud te hominum, quotquot fuerunt, ac futuri ſunt, crudeliſsimum experta. Monſtrum me loqui, dicitis, AA. quoniam, quæ humanam naturam ſuperant, aut potiùs quæ ſunt maximè inhumana, in medium adduco. At ego. Quicquid de homine monſtruoſo affirmo, non poteſt monſtri exemplum, ſed tamen à veritate nihil alienũ non habere. Nonne monſtrum eſt belluas hominum voluptati, aut neceſsitati à natura creatas, eorundem ſupplicio, aut etiam excidio inueſtigare? Nonne ſupra monſtrum eſt nulli vnquam humani ſanguinis effuſioni acquieſcere: ſed nouam ſemper, & inſolitam carnificinam, quæ nihil horroris nõ afferat, animo vndiquè anxio concupiſcere? Igitur, dum iſta commemoro, non quæ mendacia ſunt, ſed potiùs ipſa veritatis monſtra eloquor, vt Auditorum auribus, & animis ad imitationis excluſionem, excipiantur. Venatores Argæum montem ſuperant: ſingula loca perlu-

luſtrantes, canum ductu, ingentem ferarum copiam in ſpecum ſe mox recepturam conſpiciunt: ipſarumq; veſtigia conſectantium oculis ad fauces obijcitur vir Dei innocentiſsimus, qui regali ſpecie illic aſsidens, omnes intrantes, varijs beneficiorum generibus admittebat, nonnullis inter morbos medicamentum, permultis calamitoſis ſolatium afferendo, in alijs etiam multo ſanguine ob ſtragem conſperſis, rabiem nimis auidam puniendo. Ijdem venatores rem nouam admirati, ad Agricolaum deferunt, ſtatim illius iuſſu non amplius beſtiarum, ſed hominum inſecutores impij, ſcilicet ſatellites, qui Blaſium raptum ad præſidis tribunal pertrahant, Argæum montem petunt, mandata ſtudioſiſſimè completuri. Blaſius à feris miniſtris ferreis vinculis adſtrictus, iter agens in carcerem non tam reorum, quàm calamitatum cuſtodiam detruditur: at illius à Deo libertas nullis viribus, aut inſidijs, niſi fruſtra circumuenitur. Vult, quæ libera eſt, etiam in vinculis liberè diuagari: vult ab omnibus, immo à ſingulis, non ad ſui, ſed potiùs ad donatoris laudem agnoſci. Quibus verò terminis contineri valeat, cuius Auctor nullis terminis continetur? Huiuſce rei veritatem non pauci in Blaſio didicerunt, omnium vero maximè puer, qui ſpina in faucibus tranſuerſa, vſq; ad animæ emiſſionem, diuexatus, à viri, penè dixerim diuini, miſeratione, ſalutis beneficium reportauit. Miraculi fama Agricolai aures verberante, ſed multo acriùs animum ferina ingluuie perſtringente, idcircò auidiùs Dei famulum tribunali ſuo ſiſti deſiderat. Conatur Præſes crudelitatem à natura acceptam, non indiligenti arte enutritam varijs artibus diſſimulare, ideoq; Martyrem dulciſſimis vocibus appellat, ſuos deos dilaudans: vt illorum cultum, quippe qui veram pietatem redoleret, ſi qua ratione poſſit, menti ingerat incorruptæ. Blaſius idolorum laudibus, immo nomini ſtrenuiſſimè repugnans, vni Deo, qui verbo omnia creauit, diuinitatis gloriam deberi, ceteros deos inglorios, ſeu potius ignominioſos, dæmonis ludos, ad inſanas hominum mentes decipiendas,

inuentos acerrimis argumentis demonſtrat. Miratur Agricolaus audaciam: hanc ipſam temeritatem nominat, illud inter montium feras, ferinam naturam induiſſe deblaterans, ſui ipſius hoſtem Argæo monte, vnde quaſi bellua à venatoribus abſtractus fuit, duriorem iratiſſimus nuncupat. Acerbas comminationes intentando cum nihil proficiat, nodoſis virgis plecti iubet: per ea, quæ imperium indicant, nihil impetrat, ſe in Dei ſeruos, qui voluntate libera liberaliter vtentes, ſui ipſorum reges dicuntur, nullum imperium habere, non verbis, ſed rebus in dubitationem minimè adducendis experitur. Quid verò? Animo exoculatus experientiam non videt: audit Blaſij carcerem miraculorum copia, per diuinæ gratiæ radios illuſtratum, audit (vt cetera omittam) mulierem illius benedictione egeſtati, quam miſerrimè tolerauit, perpetuo ereptam; quinimmo rerum, quæ neceſſariæ ſunt, opulentiæ donatam: quòd ipſa cibum paupertati ſubtractum Blaſio, ne fame periret, illius famæ impulſu, liberali animo in carcerem attuliſſet. Hinc diſcas, Agricolae, animi grati agrum colens, mulieris exemplo gratiæ gratiam reponere, atq; in te ipſum deſcendens, diuinam beneficentiam agnoſcere. Blaſij ſuaſionibus, quæ tuam ſalutem reſpiciunt, fidem adhibe. Incipias iam, incipias in virum clementiſſimum, ad cuius comitatem belluæ in ſyluis ferociſſimæ manſueſcunt, humanitatem exercere, illiuſq; expreſſum manſuetudinis exemplum æmulari. Deos tuos non colit: ſed potius aſpernatur, ne dæmon, cuius ſunt, te ad perpetuum animi exitium diutiùs inſectetur. Præſes propriæ ſaluti ne præſit, inſtar aſpidis in aures tyrannidem excercens, vnde ſalutis cantilenam excludat, obſurdeſcit. Iſti ſunt immanitatis fructus, vt poſt alios, ſe ipſum adeò immaniter habeat, nihil, niſi aſperum, ſæuumq; obſtinato animo concipiens, nunquam ſatis pariat: licet oculi, os, nares, aures nihil non viroſum, non mortiferum exerentes, ad grauiorem crudelitatem iterum concipiant: & ideò ſæpè, ac ſæpiùs parturiendo minùs iugiter pariant. Illud in cauſa eſt, cur Agricolaus iterum à Blaſio aſpici

exoptet,

exoptet, eidem ſcilicet minaciſsimis verbis, ni dijs ſacra faciat, terrorem incuſſurus. Sed tantùm abeſt, vt robuſtiſsimus Chriſti Martyr aſſentiat, vt potiùs fictos Gentium deos execratus, illorũ cultũ, qui nihil præter ſuperſtitionem habet, liberis vocibus deteſtetur. Ecce altera manuum conſertio, altera nihilominùs acerba, quin multo ferocior. Oppugnat Agricolaus: repugnat Blaſius, Agricolaus minatur: Blaſius, quicquid timoris pertentat ingerere, diluit, atq; abſtergit. Agricolaus idola extollit: Blaſius illis honorem, quoquo modo valet intrepidus adimit. Agricolaus concitato animo in Blaſium furit: Blaſius mente ſedata illius furorem non ſecus, atque inanem deludit. Agricolaus ſuæ poteſtatis viribus nimiùm credit: Blaſius humanam imbecillitatem, ne cadat, diuinæ opis impetratione ſuffulcit. Agricolaus non aliunde, quàm à propria duritie victoriam ſperat: Blaſius ab immortalis Dei miſeratione triumphum nihil decipiendus, præſtolatur. Agricolaus tortorum copiam, immo ipſa tormenta aduerſus Perduellem armat: Blaſius omnia inconcuſſo animo ſuſtinere non deſiſtit. Agricolaus Blaſium equuleo alligandum furioſus appetit: Blaſius laqueos inter amplexationes, & oſcula lætiſſimus excipit. O velitationem Herculeam, ſeu veriùs loquar, Athlanticam! Tyrannus nouas ſemper pœnas in medium adducit, vt Blaſium in Deorum religionem adducat; ni poſſit, attrahat: ille ab Agricolai ſententia eo longiùs animum abducit, quo propiùs ſanctiſſimum corpus ſupplicijs pro catholicæ fidei confeſſione approximat. Brachijs attractis acerrime virgis ferreis plectitur: vt multo acriùs ſentiat, ferreis etiam pectinibus laceratur. Vobis in memoriam redigite, AA. vinula tyranni verba, quibus integerrimi viri animum in Chriſtiano cultu duriſſimum emollire conabatur: illorumq; ſimul exitum ponderate. Quod ſi accidat, illud mihi perſuadeo, affirmabitis, ſcorpionem eſſe Agricolaum, qui cauda Blaſium amplexus, venenatis morſibus dilaniat. Ecquid enim pectines ſunt, niſi ſcorpiones in Martyre membrorum dilaniatores acerbiſſimi? iſti verò, cuius interrogo,

Digitized by Google

rogo, niſi ipſius præſidis iuſſu, tortorum manibus agitantur? Quæcumque igitur ad Blaſij martyrium inuicem congruunt, totidem ſcorpiones ſunt, qui ſanctiſſimos artus auidè appetunt non ad mortem, ſed potiùs ad lanienam; vt ſingulis horis, ſingulis momentis euiſcerationem crudeliſſimam ſentiant. Ille tamen, quaſi nihil ſentiat, tormentis omnibus obmuteſcit, Seruatoris noſtri exemplum æmulatus, qui tanquã agnus ad occiſionem ductus, verba quanuis Verbum eſſet, ne muſsitaret, ad communẽ nobis omnibus ſalutẽ occidit. Verũ, cur dixi obmuteſcit? immo eloquẽtiſſimus euadit, magis autẽ ad laudes, quàm ad querelas. Potiùs tortores laudat, qui viã ad cæleſtem patriam ſibi muniant, quàm de illis conqueritur: quòd carnem ſibi laniorum inſtar trucidẽt; quinimmo eis gratias agit, quòd corpus plectendo comprimant, vt animum eleuando foueant. Huic ſuadet, vt laudabili patientia obdureſcens, ingẽtem è corpore ſanguinis copiam effundat, per cuius vndas ad ſalutis portum feliciter valeat enatare. Eundem hortatur, vt ex venarum ſede egreſſum non timeat, qui inter beatiſſimos ſpiritus locum non fruſtra perquirit. Sibimet pugnam obijcit cum Agricolao totis viribus tuendam: rogat, obſecratque, vt de triumphi honoribus cogitet, quibus ſi omnia cruciamenta in vnum coaceruata comparentur, leuiſſimi ponderis ſunt, quia quicquid aduerſi apud mortales Sancti ſuſtinuerũt, momentaneum fuit: quod verò conſequuti, æternum, ab omni perturbatione alienum. Complures viros fortiſſimos recogitat, qui non modò euiſcerationem à tyrannis alacri animo paſſi ſunt, verùm etiam ſe ipſos gladijs deartuandos, igni comburendos obiecerunt. Sacratiſſimam Chriſti paſsionem mente recolit, cuius acerbitas, quidquid amarum fuit, longiſsimè ablegauit, cuius cruci affixio ſecuram nobis viam ad mortem pro immortalitatis adeptione præmuniuit. Dum iſta animo euoluit, corpus ſanguinis copia gurgitatim demanante volutatur, quaſi purpura; ne quid inſignibus triumphi deſit, induendus. Itaque cruciatibus non cedit: cruciatores potiùs delaſſati, cum Agricolao præ-

ſide cedentes, victoriæ amiſsionem pertimeſcunt. Is rubore immodeſto, non ſecus, ac Blaſius ſuo cruore perfuſus, velitationem dirimit: ne victor vſquam appareat, in carcerem iterum conijci iubet, ſed tamen palmæ amiſsionem non celat. Hæc paſſim, qua Blaſius tranſit, quaſi vernalis herba pullulaſcit, illius ſanguine, quo ſingula corporis membra vndiq; ſcatebant, madefacta. Vtq; omnium oculis clariùs eluceſcat, ſeptem mulieres religioſiſsimæ, guttas, quæ ex Blaſij vulneribus in terram affatim deciderant, colligentes, oſculantur, oculis admouent: dilucidiùs videndo fortiſsimi Antiſtitis exemplũ cunctis, qui ſapiunt, laudandum certatim conſectari profitentur. Suſpicite, AA. Martyris palmam alijs ſeptem palmis circumſeptam. Suſpicite victrices fœminas, quæ Agricolai iuſſu enecatæ, ſuis Blaſio coronis præludendo, cæleſtis capitolij viam proprij cruoris effuſione conſternunt, ſeque victimas immortali Deo offerunt: vt immortalitatem in ligno crucis morte ab eo paratam cõſequantur. Iſtæ inter cæli orbes eò fulgentiùs ſplendeſcunt, quòd iniquiſsima tyranni opera, flammis in fornace non mediocriter accenſis examinatæ, cum ignis nihil apud eas purgandum inueniſſet, penitus illæſas dereliquit: vt quæ Blaſium ſedulò ſequutæ fuerant, illius mortis genere obtruncatis capitibus præirent militari gloria Amazonibus illuſtriores. Illæ enim, vt validiùs pugnarent, dexteram ſibi mamillam præcidebant: iſtæ ad impenſiorem hoſtis victoriam, capitis amputationem ſuſtinere nequaquam recuſant. Non ſuſtinet Agricolaus palmam ſeptem funerum pondere in Martyrem inclinatam: vult hanc ipſam gurgite vaſto ſepelire; vt hominum oculos ad ſuam ignominiam diutiùs non oblectet. Illuc Blaſius lætanter ingreditur, ea ſpe fretus, vt Dei famulum aqua non abſorbeat, cuius ancillarum veſtes ignis in fornace ſuccenſus ægerrimè libauit. Illumq; nihil decepit fiducia: quoniam non tam mox aqua crucis ſigno præmunitum accepit, quàm mox non ſecus, ac Moyſen cum Iſraelitico populo excepiſſet, viam latiſſimam patefecit: vnde Blaſius medijs in vndis quàm maximè

tutus aſpiceretur. Ecquid inſaniæ fuit ad tyrannum vndarum iracundiæ immunem non credere, cuius pectori in pectinibus mucronum exercitus animam non arripuit? Si diuina benignitas, quæ in Sanctis potiſſimum eniteſcit, ſeptem mulieres flammarum incendio liberauit: Blaſium aquis etiam altiſſimis liberum, atque incolumem potuit eximere. Voluit ſtagnum, ſtantem Martyrem ſuſpicere, quem aer ſublimem cum ſupplicijs non modò fortiter pugnantem, ſed etiam hæc ipſa athleticè vincentē gloriatus eſt contēplari. In ſtagno Blaſius ab vndis, quæ vtrinq; honoris cauſa receſſerunt, illæſus ſeptem fœminarum in flammis ſtatum intaminatum nequicquam oblitus, alacri animo commorabatur: vbi non pauci ex Gentibus infamem à ſua temeritate ſepulturam inuenerunt. Enimuerò, cum ſanctiſſimus Epiſcopus illud potiſſimùm exoptaret, vt idolorum cultores veritatem aliquando intelligerent, ſi quis, ait, dijs imaginarijs fidit, in hunc lacum ſe recipiens ipſorum, quos omnipotentes vocat, auxiliares manus agnoſcat. His vocibus concitati octoginta, & octo homines aquas temerè ingreſſi, ſtatim vndis fluctuantibus abſorpti ſunt: itaque debitas immodicæ confidentiæ pœnas daturi, in medio ſtagno æſtuantes, inferorum ignem inuenerunt. Debuit huiuſmodi aquarum ingluuies, inſatiatam Agricolai rabiem abſorbere: ſed immanis adeò erat, vt vix immenſa Oceani ſpatia continuiſſent: immo incongruum fuiſſet aquis abſorberi, quod flammarū viribus dæmonum miniſterio, ſine vlla conſumptione decebat comburi. Interim iracundia vritur tyrannus, qui tantum abeſt, vt in aquis potiatur victoria, vt potiùs hanc ipſam ſibi in lubrico eſſe intelligat. Hinc certè cauſam intelligo, cur ſtagnū Martyri Blaſio vtrinque viam dederit: nimirum vt ille palmam in ſinu ſuo perpetua viriditate elatam demonſtraret. Iſta palmarum copia coronam victoris capiti iure meritò poſtulare videbatur, ne, quam partem in homine nemo primariam nō cenſet, eadem inornata receſſiſſe diceretur. Hæc in velitatione tertia, hoſte fortiter deuicto, refertur, in qua, vt pote omnium profectò

acer-

Digitized by Google

acerrimè acerrimè pugnatur, ſtricto ſcilicet ferro: vt, quem virgæ, pectines, aquæ non abſumpſerunt, gladij percuſsione interiret. Blaſius arenam ingreſſus, vt illum vtraque percuſſoris manu ſtrictum ad ſui necem aſpicit, ipſe acutiorem exerit, nempe Dei verbum, cui ſpiritum commendans, ſe victimam humillimus ſacrat. Percuſſor, vt Perduellis cadat, validiſſimus ferit, Blaſiuſq; è medio tollitur; non vt vitam deſerat: ſed potiùs cadens, coronam humi iacentem attollat, eaq; decoratus cæleſtem patriam triumphator aſcendat. Vt triumphi pompa beatorum Spirituum oculis auguſtior refulgeat, decollatus, per lacteam viam in cælum curru medius vehitur, inter duos filios mulierum, quæ capitibus fuerant obtruncatæ. Illos nanque Blaſij veſtigia calcantes, Agricolai iuſſu acutiſſimæ ſecures conculcarunt: vnde vterque ad immortalis boni fruitionem extolleretur. Nunc verò, perſecutor immaniſſime, quid agis? Cur te hominum aſpectui non ſubtrahis? cur faciem palleſcentem non abſcondis? Vbi, interrogo, minarum, immo ſuppliciorum aceruus in Blaſium, eiuſq; ſectatrices exoneratus? Quid profuerunt virgæ? quid pectines? quid aquæ, quid etiam enſes? Nunc virgæ ipſum te plectunt: pectines lacerant: aquæ abſorbent: flammæ comburunt: enſes trucidant. Hæc omnia tormenta in te miſeriarum additamēto nunquam occidendum conſæuiunt, necnon aliquid ad perpetuam tui exenterationem moliuntur: alia ex alijs vires accipiunt; alia alijs nihil tamen amittendo cedunt; vt tibi par pari redditum dicas, indeſinenter deartuant, euiſcerant: quod dum alacriter faciunt, in ipſo labore, nullo vnquam tempore intermiſſo, robur longè validius acquirunt, & quàm acriùs, acerbiùſq; apud inferos cruciaris, tanto liberalior pœnarum materia euadis. Blaſius euaſit virgas, pectines, aquas, ſecures: tibi verò ſecurus ad perpetuum cruciamentum locus conſiſtit. Ecce tyranni cōditio, AA. inter flammas, quas diluuium non extingueret, infeliciſſima: illud autem multo infeliciorem reddit, quòd Blaſij ſortem cunctis bonis opulentam contemplatur, animo euoluens, ſingula

elementa illi paſſo non vulgare obſequium præſtitiſſe: aerem videlicet; quoniam à trabe inter pectines membrorum dilaniatores impauidus manſit: aquam, dum in ſtagno veſtibus nulla parte madidis, ſtetit: ignem mulieres diſcipulas ne tantillùm profectò abſumentem: terram, cum ex altiſſimis fluctibus aſtantium oculis lætiſſimus emineret. Quemadmodum ſingula elementa Blaſio inſeruierunt: ſic eadem in Agricolaum tyrannum validiſſimè inceſſunt. Blaſius iam martyrio conſumendo proximus à Deo impetrauit, vt nemo ſuam opem ad gutturis medicamentum fruſtra imploraret: Agricolaus quid ægritudinis ex cogitari poteſt, inter dæmones miſerrimus ſuſtinet. Sed ne vos me incomptè, & ineleganter dicentem longiùs ſuſtineatis, illud à veſtra benignitate peroratio deſiderat; immo enixe orat, vt in ijs, quæ de Blaſio commemoraui, non tam illius meritorum faſtigij omnium ore laudandi, quam exilis ingenij mei rationem habeatis.

S. Ioſeph Beatiſsimæ Virginis Sponſus, & Chriſti Nutritius.

ORATIO V.

PRincipis maieſtatẽ eo fulgentiùs eluceſcere, quo maioris potentiæ hoſtium viribus anteferendæ perhibetur, nemo vſq; adhuc in vllam dubitationem adduxit; vtpotè illam, quæ pauorem creat nulli non regno neceſſarium, ab omni ſuſpicione imperantis animi excruciatrice alienum, velut æquali beneuolentiæ muro, ad ſecuritatem, æneo immixtum. Sed quia eiuſdem potentiæ vſum ipſemet vtens non conducibilem aliquando experitur: idcirco principis ſublimitas ex titulis, non tamen inanibus, quàm clariſſimè innoteſcit. Neq; illud mihi objiciatur: ij non ſemper virium opulen-

tiam declarant: quoniam huiuſmodi axioma cum diſtinctione ponderandum offertur, nempe dignitatum, quæ primariæ, aut ſubalternatæ appellantur. Iſtæ multũ ſæpenumerò habent inanitatis, quemadmodum à C. Tacito politicorum magiſtro edocemur. Cum igitur veritati congruat, non falſa maioris, minoriſue potentiæ indicia ex pluribus, aut paucioribus titulis facillimè dignoſci, illud non oſcitanter expendendum cenſeo, magnorum principum conſuetudinem reuerenter profectò laudandam ſecum afferre, vt titulorum copia vel legitima non alio fortaſſe, quam modeſtię ſuaſu libenter abſtineant. Quot tituli, non dicam, condecorabant ex regia ſtirpe Ioſephum, ſed potiùs ab illo condecorari iure optimo gloriabantur? Et tamen in eius meritorum cumulo ab ingenti humilitate, exorta temperantia, orationi materiam ſatis fœcundam, ſeu veriùs ſuperfluentem adminiſtrat, Beatiſſimæ Virginis ſcilicet Sponſus, & Chriſti Nutritius, quorum vtriuſq; celſitudinem ab orbe condito non auditam, cum intelligentiæ humanæ anguſtia non admittat, incorruptæ veritatis amplitudo non excludit. Si primum titulum recta iudicij lance libeat penſitare, illius pretium ſine pretio, vnde diuinis, humaniſque rebus omnibus præferendum nihil decepti iudicabimus. Tantum ponderis habuit titulus, quo animorum noſtrorum Soter cruci affixus, Ioanni tribuendum declarauit, vt Deiparam matris loco hereditate excipiendam vocabulo, ecce, admirationis indicio præſignauerit, inquiens: *Ecce mater tua*, non ſecus, atq; *Io. 19.* antecedentis matri expreſſionẽ confirmaret: *Ecce filius tuus.* Chriſtus igitur Mariæ Ioannem in filium tradidit adoptandum: Ioſeph autem, cum hanc ipſam coniugem accepiſſet, non matrem, quouſq; Sponſus auctoritatis, ratione habita, filio præſtat, eouſq; Ioſeph Ioanni præponendũ ab omni iniuria lõgiſſimè alieni exiſtimemus. Vtq; aliquid virium ſupra accipiat argumentum, illud additamenti facio, in Ioanne filij, in Maria matris nomina nõ ipſius rei ſignificationes fuiſſe, ſed amoris: Sponſi autẽ apud Ioſephum, Sponſæq; apud Mariam, mutuo aſſenſu ſanctiſs. Trinitati

rato, matrimoniũ contrahentes, veritatis notionẽ acceperunt. Liceat mihi à præſenti ſæculo ad vniuerſi orbis exordium ſpirituali veſtrarũ aurium voluptati retrocedere. Deum vnico benignitatis impulſu, poſt rerum omniũ creationẽ, protoplaſto parenti efformato Euam ſimile adiutorium aſſociaſſe, ſacra Geneſis atteſtatur: at ſi de Ioſepho ſermonem habeamus, virum mulieri comitem adiumento aſſignauit. O quàm dilucidè illud ciuilis, moraliſq; philoſophiæ monitum cõmodo, & honeſtati coniunctum: *Nube pari*; in noſtris ſanctiſſimis Sponſis comprobatum reperitur! Inſuper iſta æqualitas hinc inde quintuplicata eniteſcere viſa eſt, nempè virginitatis integritas, profunditas humilitatis, charitatis flamma; celſitudo contemplationis, & ſagacior in dieſcura ſalutis alienæ. Tanti æſtimandum eſt pretium virginitatis, vt Angelicam dignitatem antecellens, elationi cederet, niſi humilitatis fulcimento niteretur. Et ſicuti hanc Deus reſpiciens, in Maria, ipſam vnigeniti Filij pro vniuerſi generis humani ſalute carnem induturi matrem, non aliter ob eandem Ioſephi virtutem optimè affectus, ipſius matris Sponſum eligendi ab æternitate conſilium cepit. Hinc humilitas in ſuimet aſpernationem propendens, ligna coaceruauit, vnde caritatis flamma in cæleſtium rerum contemplationis aſcenſum, & aliorum ſalutis ſolicitudinem ſacratiſſimæ Virginis exemplo æſtuaret. Si quis verò hanc ſimilitudinem cunctis partibus abſolutam inter Sponſum, & Sponſam inſpiciendi eſt cupidus, palmam auaris oculis ſibi contemplandam proponat. Huiuſce arboris ſymbolum Mariam de-
Ecc. c. 24. notat, de qua ipſamet: *Quaſi palma exaltata ſum in Cades*. Et ſi de
Pſal. 91. viro etiam iuſto myſticè vſurpatur: *iuſtus, vt palma florebit*, de
Mat. 1. Ioſepho legimus: *cum eſſet vir iuſtus*. Si palmæ ſtatura nullo, quanuis graui pondere oppreſſa, pro conſtantiſſimæ fortitudinis indicio, confringitur, ſed inclinata reſurgit, quodnam Mariam à Chriſti paſſione nunquam alienam flexit cruciamentum? Nonne ad crucem, vnde pendebat Filius, Eccleſia inter intimos dolores ſtantem contemplatur? Stabat crux ex palma (quemadmo-

dum

dum non nulli aſſerunt) vt noſtri omnium ſalus reparanda conſtaret ad cuius ſimilitudinem ſtetit etiam Reparatoris mater Maria. Rerum aduerſarum tolerationem iugiter inconcuſſam in Sponſo Ioſeph nemo deſideratam affirmabit, dummodo illius moleſtias mente recolat ſępenumerò, ſed potiſſimũ in fugā Ægyptiaca Angeli monitu in ſomnis, Pueri, Sponſæq; cura cælitus demandata, acerbiſſimas. Vtq; interna in Sponſis parilitas nulli mortalium exteriùs non pateret, vnde non impar vtriq; præberetur obſequium, Spiritus ſanctus ad Dei matris futuræ notam obumbrauit Mariæ: ne illa Gabrielis Arcangeli pollicitatione deciperetur: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Ecce Spiritus ſancti præſentia, cuius vmbra non defuit Ioſepho Nutritio Chriſti declarando: cum enim ſacerdotes in templo de Mariæ Sponſo graui perplexione detinerentur, tertia ſanctiſſimæ Trinitatis perſona nihil nõ dubitationis delatura, columbina ſpecie ſuper Ioſephi caput obumbrans, ex D. Euſtachij teſtimonio permanſit. Et re vera iſtud nihilominus prudens, quàm cæleſte conſilium, omnem ab animis dubitationem potuit amouere: quia ex aliorum Sanctorum Patrum auctoritate diuinum oraculum aerem verberauit: vt Mariæ Sponſi electio contingeret; cuius virgæ ariditas præter omnium opinionem, ſupereminente columba floruiſſet. Qua de cauſa Matthiæ Apoſtolorum numero adſcribendi, igneus globulus eiuſdem Spiritus ſancti figura caput quodammodo libauit; indeque Lucas Euangeliſta: *Cecidit ſors ſuper Matthiam.* Non aliud quidem de ſanctiſſimo Sponſo aſſerendum videtur: cecidit ſors ſuper Ioſephum. A diuina prouidentia ſimiliter illius virga flores induit ſpecioſiſſimos: vt ea etiam in re cum Maria ſimilitudo non deeſſet, de qua legimus: *Virga Ieſſe floruit* Et profectò conſonum fuit æquitati, vt Ioſephi virgæ à floribus ornamentum ad ipſius nominis etymologiam, quæ florentem ſignificat, eueniret. Illud quoque myſterio nihil vacuum ex Caſſiani doctrina liberrimè affirmo, Mariæ Sponſum obtigiſſe vocabulo Ioſeph: quia dum Sponſæ

Luc. c. 1.

Act. 1.

Num. 17.

Digitized by Google

virtutes, in ſingulas horas augebātur, nihilominus optimi Sponſi dotibus accedebat augumentum. Non rarò Ioſephi virga alteri Marianæ ſpiritualiter coniuncta, Chriſti imperio ex ſpeciali gratia potuit gloriari: quanuis enim ille rerum omnium Dominus, attamē ſanctiſſimæ Matris, ac beatiſſimi Nutritij iuſſiones libenti animo excipere conſueuit: & ideo apud eundem Lucam ha-
Cap. 2. bemus: *Et erat ſubditus illis.* Quilibet pueri Ieſu ſpontaneam Nutritio ſubmiſſionem audiens, duplicem in ipſum intelligat auctoritatem: alteram ab eodem Puero, alteram à Maria, quæ veluti Pariſiorum Cancellarius ſcribit, Sponſi obſequentiſsimis vocibus Domini appellatione lætabatur. Quapropter, ſi Maria cæli, terræq; Regina, quæ hanc poſt Spiritum ſanctum à Deo pro ſponſalibus, ex D. Epiphanij mente, dotem accepit, tanto honore Ioſephum meritiſsimè dignatur: quem à nobis nullius pretij ſubditis, quinimmo famulis, & profectò indignis præſtoletur? Hic immortales diuinæ munificentiæ gratias agendi anſam non reijcio: quæ contemplationem meam humilem ſublimè adeò extollit, vt virgam, cui aliquam orationis partem addixi, baculum, factam venerabundus aſpiciam, Chriſti infantiæ ſuppetias alla-
Pſal. 2. turam, non ſine huiuſmodi ab eodem Chriſto commendationis quæſtu: *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Is nanq; non minus oblectamenti à Mariæ, ac Ioſephi præceptis, quàm ab eorundem, in opportunis neceſsitatibus, parato ſemper auxilio eliciebat. Vt honor illi debitus augeſcat, in quanto pretio apud Pharaonem Ægypti Regem fuerit Ioſeph Iacob filius, in veſtram felicem memoriam redigatur: illius nanq; regium honorem vniuerſo populo indicens, ſui tamen exceptione non abſtinuit. Sed prioris Ioſephi cultum, quanuis ingentiorem animus non apprehendat: poſteriori tamen venerationis plurimum cedere non recuſet; quia imperantium omnium Imperator Deus ſimplices eiuſdem nutus, iuſſiones ducere glorioſum arbitrabatur: quæ filialis obedientia timorem ſimul, & amorem patriæ auctoritatis indicàt nutrimentum. Et ne ab iſta comparatione vtili,

Digitized by Google

ac iucunda recedam, ſenioris Ioſephi magnitudinis non inane praſagium fuit, ſolem, & lunam in ſui adorationem procliues ſomniantem aſpexiſſe: ſed dumodò negotiū attento (veluti debet) animo ponderetur, in illo vmbra, non veritas occludebatur: quod fraterno amori antea fide lucido, denſas eòuſq; tenebras obiecit; vt ad execrandæ Iſmaelitis mercatoribus venditionis culpæ grauitatem aſpiciendam, mentis oculus non parum caligaret. Sed Ioſeph iunior Chriſtum iuſtitiæ Solem, Mariam lunæ à meritorum pondere pedibus calcatricem ſibi procumbentes, animo gratiſsimus æquali proportione (quoniam vbiq; iuſtus) adorauit. Hæc haud extorta, ſed penitus voluntaria Ieſu ſubmiſsio ad alterum Ioſephi titulum, hoc eſt Chriſti Nutritius, mihi ſemitam reſerauit. At quænam lingua, more licet Cherubim ignita, huius tituli magnitudinem valeat explicare? Iſte, qualiſcumq; fuerit, ſacratiſsimæ Virginis ore prolatus, non paruam à nobis exhibendæ venerationis efficacitatem accepit, vbi Filium in multa, & longa quæſtione habitum hiſce verbis eſt allocuta: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*. O prærogatiuam cunctarum, quotquot in humanam intelligentiam cadunt, certè maximam, creaturarum omnium Creatoris Patrem à rerum omnium æqualiter Domina nuncupari! Illius tamen apud Ioſeph tituli fruitionem nequicquam ſatis reor enodaſſe, niſi effectus quoq; ſocietatem demonſtrauero. Chriſtus enim patris nomine Ioſephum appellans, eodem tempore ſe obedientiſsimum filium (parum dixi) humilem famulum exhibebat: quòd ideo multi ex ſacris Scriptoribus illud aſſerere non verentur, Chriſto Ioſephum ad menſam interdum diligenter inſeruiſſe: & illinc originem duxit D. Bernardini alicuius micæ ab ea cadentis cupiditas inardeſcens. Si nunc interrogem, quidnam in optimis parentibus potiſſimùm requiratur? reſponſum accepero, diu, noctuq; filiorum vigilantiſſima cuſtodia. Vtrùm virgæ vocabulo Ioſephum non longè ſupra nominauerim, memoriam veſtram fidiſsimam teſtem inuoco: nunc verò, ne illius meritorum copiæ eloquij mei parcitas

Luc. 2.

ali-

aliquid ademiſſe videatur, virgam oculatam appello; de qua Cap. 1. Ieremias: *Virgam vigilantem ego video.* Hæc curæ ſibi commiſſæ tantum ſemper adhibuit vigilantiæ, vt totius orbis terrarum gubernationi ſuffeciſſet: quia puerum Ieſum, & Mariam, ſingillatim orbe ipſo maiores tutiſſimè cuſtodiuit. Ecquis hanc virgã horis omnibus, etiã nocturnis, quibus cuncta animalia, diurno labore delaſſata membra quieti reſtituunt, vigilantem vigili mentis oculo non obſeruet? præſertim Angelicæ admonitioni, quæ in Ægyptum fugam ſuaſit, vt Herodianã rabiem in Pueri occiſionẽ immaturam à regno expulſionis ſuſpicacẽ fugeret, auſcultantem: qua de cauſa copioſas adeò laudes in ſe traxit, vt omnium Seruatoris ſeruator fuerit nominatus. Et hinc etiam priori Ioſepho iterum comparandus, qui, ſicut ille frumenti copia è longinquis regionibus conuecta, edaci quinq; annorum fami populũ exemit: ita Chriſtum è cęlo panẽ fidelium animarum cibo, eo lętiori animo cuſtodiuit, quòd ſub alieno cælo ſupremi Regis aduentum muti lapides idolorum ſuimet collapſu, nemine impellente, vnanimiter teſtabantur; ſenilem prudentiam ab eodem Ioſepho acceptam magis neceſſariam, veri ſcilicet Dei cognitionem cumulatius relaturi. Quid intellectus meus, niſi vigilans ſomnio, concipere mihi videtur? Non virgam, veluti Moyſis, in ſerpentem, ſed in leonem, qui (ſi rerum naturalium ſcriptoribus fidem adhibemus) apertis oculis ad vigilantiæ typum dormit, conuerſam. Eorundem animalium dorſo innixæ columnæ ad templorum ianuas antiquitus aſſurgebant: ex quibus ſculpturis ſacra loca diligenter cuſtodienda indicabantur. Chriſtum Dominum ſacratiſſimum templum eſſe, ecquis, obſecro, impudenter inficietur, ſolutioni aliquando traditum, nec non tridui ſpatio à ſe ipſo reædificandum? Huius templi cuſtodiæ, poſt illius à Spiritu ſancto duorum ſupra viginti annorum ſtructuram, inſeruiuit Ioſeph viribus robuſtus, accurata vigilantia conſpicuus, non inter duodecim Zodiaci ſigna tum peſſimo caniculæ influxu, ſed inter cæleſtes Spiritus immortalitatis fruitioni, glorificato etiam corpore,

(quod

Digitized by Google

(quod piè credendum eſt) ad fœcundiorem exercitæ olim curæ præmij exactionem translatus. Et quia in templorum cuſtodiam incidimus, non abs re futurum opinemur, veterum quoque conſpicua loca non ſegniter cuſtodiendi morem incorruptum indicare. Verum enimuerò quiſnam locus terreſtri paradiſo nobilior cenſeatur, ad cuius tutamen diuino iuſſu Cherubim diſtricto gladio aſſiſtebat, ne vllo vnquam tempore pateret ingreſſus? Vt loco cuſtodia aſſeruando ipſius cuſtodis nobilitas reſponderet, Deus voluit, Mariæ paradiſo, Chriſtiq; vitæ ligno, quod plantatum erat ſecus decurſus aquarum, Ioſeph inter Sanctos ſanctiſſimum tam prudenti vigilantia adeſſe cuſtodem, vt Sponſam contra Hebræos defenderet: quam veluti adulteram lapidibus obruiſſent, niſi occultè potiùs dimittendam, quàm traducendam, infamia videlicet notandam iudicaſſet. Nemo igitur in tam nobili, ac ſapienti Auditorum cœtu me reprehendat, ſi virgam, de qua toties mentionem feci, ſcutum nihil dubito appellare, illud ſplendoris emittens, vt ſatanæ intellectus ad incarnati Verbi myſterium, illiuſq; aduentum penitus caligauerit, ſimulq; ab ipſo immaculatæ ſemper Virginis ſecuritas nō defuerit. Permulti ex doctiſſimis viris apud Chriſtum, Mariam, & Ioſephum, alteram in terris Trinitatem à cæleſti nihil diſcrepantem agnoſcere profitentur. Æternus Pater, & Maria inuicem operantur: quia Pater Filium in cælo, Maria in terris Filium generarunt. Filius filiales partes, neq; in terris, neq; in cælo deſerit. Ioſeph Spiritus ſancti vices vtrinq; exercet. Et quemadmodum illa ſuperior diſtincta perſonis ſubſtantiæ retinet coniunctionem: ſic iſta inferior à prima perſona præſentiæ diuiſionem non admittit: qua occaſione illa Canticorū auctoritate munitus loquor: *Dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.* Cap. 2. Nemo Chriſti gratiam auidiſſimè perquirens, ad Mariam, & Ioſephum non confugiat, ab illis nullo tempore deſerendus: cum ſint lilia, inter quæ Agnus nutritur, Maria namq; lactat, Ioſephus cuſtodit. Paſtores in præſepio Infantem ſine Maria, & Ioſeph non inuenerunt: quia ſub Parentis

poteſtate degens Ieſus, nulli videndus ſine illorum vtriuſq; traditur poteſtate. Eundem Ieſum tanquam paſtorem inueſtigatis? Locus paſcuæ ſunt Maria, & Ioſeph. Hic clauis eſt Dauid, cui ſecreta Domini reſerantur: illa hortus concluſus. Adeunda Mater, & Nutritius, à quibus Puerulus adorandus exhibetur. Ecquis veſtrùm Deiparæ Virgini famulatum certè deuotiſſimum vſq;ad vltimam vitæ lineam non exerceat? verùm ſi cæleſte illud
Matt. c.19. oraculum menti occurrat: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*, Ioſeph Mariæ matrimonio traditus, à vobis diuiſionem non acceperit. Ego quemlibet veſtrum animæ ſuæ paſtorem, Ieſu infantis aſpectus cupidiſſimum aſpiciens, ad orationis calcem non minùs, quàm antea attentum appello. Vnigenitus Dei Filius carne indutus apparet, nulla hominum conditione excepta, intuendus, quem nihilò difficiliùs paſtores adorant, quam Reges. Olim naſcitur Deus, & paſtorum ad ſe acceſſum admittit: viſus eſt rubus, flagrante flamma, vrens, & ne minimùm quidem combuſtus. Properans autem paſtor Moyſes ad myſterij intuitum ea vo-
Exo. c. 3. ce repellitur: *Ne appropies huc*. Quid rubus indicat, niſi Mariam, quæ illæſa virginitate nobis peperit Saluatorem? Eccleſiæ auctoritatem non reticeo: *Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſeruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem*. Quinam fieri poteſt, vt vos, licet plurimùm ſapientes, non æqualiter admiremini, incarnationis myſterij, atq; Ieſu natalitij aſpectu paſtorem excludi? Ipſius abalienationem abſentia fortaſſe gignit Mariæ? Iſtud nemo audeat aſſeuerare. Aberat quidem Ioſeph, ibi minime per figuram expreſſus: illudq; omnino in cauſa eſt, cur paſtores accedere non vereantur, donec Chriſto infanti Maria, & Ioſeph, quibus ille ſuberat, aſſiſtunt. Quid ſibi volunt hæc ſacræ ſcripturæ verba: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, ve-*
Deu. c. 33. *niat ſuper caput Ioſeph?* Nihil aliud, niſi, non licet paſtori apud deſertum accedere, Dominum videre, contrectare, & benedicere. Hanc familiam ducit Ioſeph, cui Maria, & Ieſus ſubijciuntur. Accedentibus aliquando paſtoribus, Maria exorabitur à Ioſeph,

vt Puerum illis oſtendat. Omnes igitur, qui audiunt, Beatiſſimæ Virginis Sponſum, poſt eandem, patronum appellent, eam fiduciam nutrientes, ſuis rebus egenis benigniſſimè affuturum: vnde iudicij die ad cæli gloriam ijs Chriſti vocibus appellentur: *Venite benedicti Patris mei.* *Matt. c.25.*

S. Benedictus Patriarcha Monachorum prole fœcundiſſimus.

ORATIO VI.

NEmo eximiæ apud homines felicitatis ſpeciem non exiſtimat in ciuitate naſci; quoniam illic virtutis ſemina feraci ſolo demandata meſſem afferunt opulentam: ſed longè quidem ciuitatis vtilitati fortunatius iudicandum, filios procreare, qui accepto ex natalibus ſplendori non modò nullas tenebras offundant, verùm etiam magis niteſcentem efficiant, mortalis vitæ beneficio, quod olim acceperunt, immortalitatis famam, rebus in acerrima laborum exantlatione glorioſiſſimè geſtis, reponẽtes. Nurſia ciuitas apud Sabinos antiquiſſima, virum genuit haud temerario nomine Benedictum, cuius gloria proprijs ſudoribus parta nunc apud cælicolas nullo Saturni dente, quamuis edaciſſimo, abrodenda impensè adeò latatur, vt multò magis illa Benedicto ſpiritualis militiæ duce, quam Roma Scipione Aphricano, aut Annibale Carthago bellorum ductoribus ſtrenuiſſimis glorietur. Ecquis igitur, licet ſummæ facundiæ rhetor debita huic ſanctiſſimo viro encomia pari eloquio aſſequatur? contra verò ecquis omnino ſileat de ipſo, cuius laudum materia vndique affluens, laudatoris imbecillitati non mediocre alleuamentum (vnde multum laudis à rebus laudatis reportet) procul dubio ſit allatura? Si veritati congruit, quod nemo cum Eccleſia catholica rectè ſentiens,

Digitized by Google

inficiatur, illud Sanctorum meritis inditũ, vt diuinitùs nomen accipiant, ſatis certè fuerit Benedicti nomen ad ſublimem illius commendationem attento animo penſitare. Enimuerò qui eſt benedictus, non poteſt non bene ſentire, non meliùs dicere, non optimè agere; immo quæ ſunt benedicta, ſibi, alijſq; iugiter ſe ſe feliciſſima oſtendunt. Si quid hodie ab ingenij, ac iudicij mei parcitate laudationis in Benedictum (quod obſequij cauſa vehementer opto) valet proficiſci, non abſurdum, non ineptum iudico Patriarcham meritiſſimum religioſæ animorum veſtrorum contemplationi exhibere, illud Apoſtolorum Principis ad Chriſtum conuerſi vſurpantem: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te, quid ergo erit uobis?* Si enim Petro, qui nauiculam, ac retia maximè lacera deſeruit, quæ certè nullius, aut ſaltem viliſſimi prætij fuerunt, licuit pro illis mercedem non modò petere, verùm etiam manu opulentiſſima reportare; quantò magis idipſum licebit Benedicto, qui nihil non diuitiarum in delicijs (vt ita loquar) natantium, nihil non luxus, & ſplendoris, quod domi ſuæ ſummũ profectò erat, quaſi inimiciſſimus abiecit, ſeu potiùs diſperſit, dedit pauperibus? Si autem ad Petri laudem illud obijcitis: qui dat omnia, quæ habet, quanuis minima ſint: attamen multum relinquit, nullam ipſi iniuriam allaturus, reſpondeo, Benedictum, etiam quæ non habebat, ſed temporis quidem opportunitate habuiſſet, deſeruiſſe. Iſtud verò fuit optimarum artium à natura hominis deſiderio ingenita cognitio, vbi per ingenij acumen, & iudicij maturitatem, qua erat præditus, plurimùm profeciſſet. Vt Patriarchæ bonorum deſertoris meritum, nihil tamen ſupra veritatem, extollam, duo alia non indiligenter expendo, nimirùm deſerendi tempus, & modum. Petrus ætate iam matura, quæ prudentię beneficio non perperam ſenſit, haud temerè egit: Benedictus, florente adoleſcentia, cum qua immoderatæ cupiditates ſenſus irritamenta adoleſcunt, bonis ſæcularibus abdicauit. Petrus non ſolus, ſed cum Andrea fratre à Chriſto ipſo, non ſine mercedis pollicitatione liberaliſſima, nimirum:

Matt. cap. 2.

Digitized by Google

mirum: *Et faciam vos fieri piſcatores hominum*, fuit accerſitus: Benedictus, nullo comite, nullius voce, qui præmium offerret, Seruatoris noſtri ſeruitio ſe addixit, pagi, qui Sublacus dicitur, ſpeluncam ingreſſus, vno tantum conſcio Romano ſcilicet monacho, qui Spiritus ſancti afflatu cibi ſingulis diebus ſuppeditandi onus, quaſi Angelus in lacu leonum Danieli, non recuſauit: illic enim lacus ſubiacebat, vnde pagum illum Sublacus nomen accepiſſe, nemo in dubitationem adducit. Huc Benedictum diuinæ gratiæ allicientis dono vocatum aſſeueramus ad piſcationẽ hominum, non piſcium; vt ea etiam in re cum Petro decertans, illud auribus ſibi in, ulcatum audiret: veni poſt me, & faciam, te fieri piſcatorem hominum. Quodq; ipſi contigit, qui olim expanſis retibus, & à Deo iuſſus, vt in altum duceret, cum reſpondiſſet: *In verbo tuo laxabo rete*, tantum capturæ piſcium euenit, vt retia penitùs frangerentur; idem prorſus euenit Benedicto. Cum enim modò incorrupti exempli rete, modò diuini verbi hamo piſcaretur, multa, quæ ventura erant, & præſertim Totilæ Romam aduentum, ab illo maris tranſitum, & poſt nouem annos ex vita diſceſſum, non ſinè prophetiæ dono prædicens, tantam humanorum piſcium capturam reportauit, vt vniuerſa Chriſtianorum Reſpublica cum ſumma veneratione admiretur. Vtq; iſtorum numerus augeſceret, ex Dei ſtomacho, qui eum ſibi delegerat piſcatorem, cum plurimi eſſent, omnes duodecim viuarijs interclufit, nempe duodecim clauſtris à ſe cum ingenti monachorum copia liberaliter conſtructis, necnon optimis, ac ſanctiſſimis legibus, quarum ſuaſu vitam inſtituerent, prudenti cõſilio ſancitis. Et quoniam loci anguſtia aſſiduę piſcationi nequaquam ſuppetere videbatur, in montem Caſſinum hodie primarium totius Ordinis monaſterium commigrauit: ibiq; piſcium capturam non parum interpellatam inſpiciens, ab Apollinis idolo, cuius ibi à falſa antiquorum religione cultus nondum ceſſauerat, illud audacter humo æquauit, aram deſtruxit, lucumq; ipſi deo imaginario ſacrum, vt numinis illuceſceret, igni commiſit, ibidem ſa-

Matt. 4. Ibidẽ.

cello,

cello, ſimulq; paruo temp'o conditis, quorum alterũ Diui Martini, alterum Diui Ioannis obſequium excipiens, piſcationem fortunauit, illius loci cultores idolorum venerationem non oblitos Chriſtianæ fidei præceptis informando: ea namq; in re mente, animo, cogitatione diu, noctuq; volutabat, quonam pacto cum Paulo homines Chriſto lucrifaceret, ſingulis rectam ad cælum viam, quæ vitiorum aceruo tegebatur, ad meritorum molem coaceruandam demonſtrando. Sed quoniam, quæ Dei ſunt, dæmonis inuidiam vbiq; ſibi paratam inueniunt, non defuerunt, qui improbi ſpiritus impulſu piſcationi per diuinam opem feliciſſimæ, turbas concitarent. Concitatio non ab exteris, ſed ab ipſius Benedicti amicis, vnde opimus piſcationis euentus impediretur, acerrimè fuit commota. Enimuerò quidam ex illis, qui ſanctiſſimæ Inſtitutoris diſciplinæ ſe commiſerant, ſalutares eiuſdem admonitiones, quæ liberam viuendi rationem cœnobitis minimè accommodatam, amanter tamen arguerent, iniquis auribus, iniquiore animo auerſatus, potionem veneno infectam magiſtro ſuo inſidiator porexit. O dolos, ac fallacias à familiaribus etiam præcauendas! At qui adeò Argus, aut Lynceus ab iſtis ſatis valeat præcauere? ecquis amorem odium, cæcitatem inuidiam appellet? ecquis in cibo famem, in potu ſitim, in vitæ alimento, mortis materiam agnoſcat? O Iudæ, ſeu potius diaboli corruptelam! Ille per oſculum beneuolentiæ indicium Chriſto pugnam: is per hauſtum Benedicto mortem indixit. Chriſtus Iudam amici nomine appellans, inimicitiam propulſauit: Benedictus diſcipuli dolos diſſimulans, mortis inſtrumentum, vas ſcilicet veneno refertum ſanctiſſimæ crucis figura confregit: vt, quod à rerum futurarum præſcientia omnino erat, non aliunde, quàm à fato conſtare, cunctis, qui aderant, ſuaderet: eaque nunquam ſatis, etſi quàm maximè commendata prudentia, ſe mortis diſcrimini, abſq; vlla apud proditorẽ ignominiæ nota liberauit. O crucis potentiam nullius lingua, vel diſertiſſima explicandam, ſui imagine mortis, quæ adamantem frangit,
con-

confractricem? Conſentaneum profectò fuit, vt Benedictus feliciſſima Conſtantini ſorte frueretur, qui, cũ diuinũ illud de cruce audiſſet: *In hoc ſigno vinces,* Coſdram faccillimè ſuperauit: non aliter Benedictus, ſanctiſſima crucis figura improbi hominis inſidias deſtruxit, mortemq; ipſam in potione ſibi paratam non potans, diuinitùs potens ſuperauit. Duo præcipue à Benedicti exemplo ſexcenties benedicendo addiſcamus: alterum, ſingula à ſanctiſſimo crucis ſigno incipere, nihilq; non munitum excipere; hæc enim inimicos diſpellit, necem ipſam à nobis prohibet: alterum non minùs vtile; iniurias videlicet nobis illatas non modò non perſequi, ſed etiam perpetuæ obliuioni committere. Si faciamus, Deus noſtri nunquam oblitus, vbiq; gratiam ſuam elargitur, nullisq; periculis, quanuis plurima ſint (quoniam vt plurimùm ab inferis erumpunt) ſubiacere ſuſtinebit: contra verò, ſi velimus iniurias iniurijs reponere, nobis ipſis iniurij ſumus: quia Dei iram, quæ ſingulis peccatoribus, præcipue autem rerũ aduerſarum tolerationi aduerſantibus, in promptu eſt, in nos acriter concitamus. Quid, obſecro, profuiſſet Patriarchæ Benedicto cunctis huiuſce vitæ bonis abdicaſſe, niſi animi affectionibus libens, nuntium remiſiſſet? Ea demum miſera, atq; ærumnoſa paupertas eſt, quà circumuenitur animus: vnde vna cum corpore in varia diſcrimina præceps agitatur. Si pauper ſpiritu viuas, nempe turbarum à ſenſu concitationibus vacuus, diues omnino es: quoniam æternæ felicitati, ex qua veræ opes, incorruptæ diuitiæ creantur, coniungendus. Non parua iniuria eſt à diſcipulo prodi, vnde omnes grati animi ſignificationes (ſi humanitatem reſpicias, etiam ſi ferarum exempla animo euoluas) deberent exoriri: ſed maior quidem fuit, Iudam Apoſtolica dignitate, quæ omnium ſumma cenſebatur, inſignitum, Chriſto carcerem, vincula, plagas, crucem ipſam vnius oſculi miniſterio congeſſiſſe. At cur Dominus, cui hæc omnia licebat ſubterfugere, inſidiatorem perdere: attamen amantiſſimè complexus eſt? Cur voluit ab eo prodi? *Vt tu* (reſpondet Ambroſius) *ſi à ſocio*

Lib.5. *deſertus, ſi à ſocio proditus fueris, moderatè feras, tuum erraſſe iudi-*
Luc.c.6. *cium, periſſe beneficium.* Cogitauit Benedictus cum bonorum (addo cum ipſarum veſtium) in ſæculo abiectione, quicquid ſæcularem curam aliqua ex parte redoleret, penitùs abijciens, vni Deo rerum omnium Conditori toto animo adhærere: vt, qui cum Petro poſt Chriſti vocem abijt, perpetuamq; illius ſequelam non ſine maximo progreſſu exercuit, æqualem cùm ipſo pollicitatio-
Matt. nem reciperet: *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes iudican-*
cap.19. *tes duodecim tribus Iſrael.* O præmium honore maximo refertū! O præmium Chriſti à latere Legatis, nimirum Apoſtolis aſſignatum! Quo pacto igitur ſanctiſſimo Patriarchæ prædictum? quoniam cæleſtibus animis extrema ſæculi die totius orbis terrarum iudicibus fuerat inſerendus. Sed iterum interrogatus: ſi vox Chriſti nullum alium, quàm Benedictum appetit, cur illum maiori numero appellat? Quæſtio certè pulcherrima, facilem, ac breuem habet ſolutionem. Quicquid honoris, & dignitatis meritorum fauore aſſequuti erimus in humanis, nonne id ipſum nobis indiuiſibilis comes adijcietur in cælo? Nunc illud adijcio: ex multis Ordinibus à Patriarcha noſtro inſtitutis quot inculpatæ vitæ Epiſcopi, quot Cardinales, quot ſummi Pontifices prodierunt? qui cum in hac vita iudiciū habuerint animarum, idipſum poſtrema orbis die exercebunt, vt cum Paulo Tarſenſi eo
1.Cor. priuilegio valeat gloriari: *Iudicabimus, & Angelos.* Iſtos verò ſi
cap.6. Benedictus filios, ac diſcipulos habuit inter mortales, cur extremi iudicij comites apud immortales non eſt habiturus? Aptè igitur, & concinnè ſanctiſſimo viro Chriſtus loquaci ſilentio prædixit:
Matt. *Vos qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſe-*
cap.19. *des, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Illud etiam ad ipſius laudem accedat, fœcundum Ordinis ab eo inſtituti agrum, aſſidua virtutum exercitatione excultum multa millia florum germina iam diu ad ſuperos tranſlata emiſiſſe: indeq; magis, magiſq; huius Anachoretæ meritum augetur; quia, ſi à veritate nihil abeſt, hæreſiarchas ob ſua, & aliorum ſcelera puniendos, qui obiecto exem-

exemplo perierunt, vnde neceſſarium videri poſt ex irrefragabili doctrina, vt poſt priuatum, commune animarum iudicium habeatur: nihilò magis alienum erit à veritate, eos, qui inter homines optimi fuerunt, in cælo mercedem referre virtutum, non modò, quæ apud ſe, verũ etiam apud alios, ſanctiſſimo ſui exemplo floruerunt. Ea veritate ſuſſulti, quantam Benedicti apud cælicolas gloriam eſſentialem, atq; accidentalem iudicabimus? Eſſentialem, quia ſolis inſtar plurimis ſtellis coronatus refulget, nempe Sanctis, quibus illius Ordinem decoratum ſupra commemoraui. Qua in re Benedictus Patriarchæ Abrahamo iure merito comparandus videtur, qui ad eius exemplum diuinæ vocationi obſequioſus promiſſi exitum cum illo eſt expertus, nempe ſemen ſuum, ſtellarum inſtar proculdubio multiplicandum. Accidentalem adiunxi: enim verò Caſſinenſium Ordinem Monachorum numero refertum, diuinoq; ſeruitio arctiſſimè addictum, nemo ignorat. Ille Inſtitutoris ſui veſtigia ſequutus, quot viros, ac mulieres enutriuit, quorum non vulgari ſanctitate, poſt fulgorẽ militanti Eccleſiæ adiunctum, ſuperna ciuitas Ieruſalem quam maximè coruſcat? Hinc Benedicti familiam Abrahami poſteritate fœcundiorem licet nuncupare: hæc nanque poſt diutiſſimæ vitæ fruitionem tandem aliquando erat defectura; illa cum annorum auctione aucta, finem ſuum æternitati adhærentem aſpexerit. In tam referta Sanctorum copia, Benedictus non ſecus, ac roſa inter pulcherrimos flores purpuraſcens colore, odorẽ emittens, efflore ſcere non ceſſauit. Color nitet charitate: odor manat ab optima fama: paſcit ſapor, virtutum fructibus ſuauiſſimis. Fuit hæc aliquando ſine ſpinis roſa: verùm, ne inferorum prædatoribus expoſita carperetur, illas induit, cum pulcherrimarum fœminarum, quæ Romæ erant, imaginibus appetita, ad carnis ſpectrorum illectricis macerationem in ſenticeto ſe volutauit, vndiq; illæſa, licet multo ſanguine madefacta; quoniam quicquid doloris vulnera procrearunt, ærumnoſis dæmonibus laborem, & ærumnam addiderunt. Optauit ſatanas ſpe-

Digitized by Google

cioſiſſimam roſam diuinis naribus periucundam libidinum æſtu areſcentem aſpicere: at ille potiùs aruit iſtius iniquæ cupiditatis ardore cum gehennæ flamma æqualiter æſtuante. Hæc omnia fuerunt in cauſa, cur Ordo Caſſinenſis Eccleſiæ Dei non breui annorum curſu præfuerit. Si præfuit, inde pariter exitu ipſo comprobatum eſt, illud pollicitationis, qui Chriſtum ſequuti eſſent, eos orbem terrarum vniuerſum iudicaturos: enimuerò ſummi Pontifices ſunt iudices animarum. Inſuper ad Petri nauim ſedentes quiſnam piſcatores hominum non appellet? piſcatores inquam, Domini: quia ſicut piſcium captura captatoris iuri cedit: ita etiam Pontifices imperium habent animatum, quas arbitratu ſuo & ligatas ſoluunt, & ſolutas ligant ea poteſtate, quæ terræ cæliq; limites comprehendit. Ideo duas claues ad ſui ornatum, ſed multò magis ad ſupremæ auctoritatis indicium in inſignibus geſtant: alteram auream, argenteam verò alteram, nec non gladio præmuniuntur vtraq; parte acuto, qui temporalē ſcilicet, ac ſpiritualē poteſtatē declarat. Optimè igitur nō ſolùm Benedicto, ſed etiam vniuerſæ illius familiæ prædicitur ſeſſio duodecim ſellarum: vt ibi totius orbis iudicium in præſenti ſæculo, & etiam in futuro exerceatur. Illorum bonorum heres Patriarca Benedictus, quæ ſunt vera bona, quoniam non fragilia, non caduca, ſed æterna, & ab omni moleſtia, & ſolicitudine, ab omni angore animi aliena, pluribus coronis redimitus perfulgeſcit. Felices animæ, quæ in hac valle miſeriarum conſepultæ, cæleſtem aulam tot, tantiſque ſertibus ornatam ad ſui ſuſpiciunt alleuamētum. Felices, inquam, quę Benedicti coronam precioſiſſimis margaritis luceſcentem contemplantur: illic enim ſpectant ſingulos Beatorum Ordines certatim gratulantes Benedicto, qui optimū vitæ inſtitutum ſingulorum apud immortales Ordinum dignitatibus decorauit. Gratulantur Patriarchæ, innumeros Chriſto filios eum genuiſſe firmiſſima Eccleſiæ catholicæ admiranda, cæleſtis Ieruſalem ampla ornamenta. Gratulantur Prophetæ, multa de rebus imminentibus enunciaſſe. Gratulantur Apoſto-

li, verbo Dei diſcipulorum auribus monaſticæ regulæ obſeruantiam indefatiganter ingeſſiſſe. Gratulantur Martyres, eundem proprij corporis dilaniatorem nemini non habitum. Gratulantur Confeſſores, ipſorum Ordinem vbertim adeò multiplicatũ, vt in dies magis, magiſq; non ſine Chriſtianæ religionis amplitudine abundet. Gratulantur Virgines, caſtitatem ab eo ne minima quidem cogitatione contaminatam. Gratulantur demum Anacoretæ, ſuum decus vſq; ad vltimum ſanctitatis faſtigium deueniſſe. Cur iſta deuotæ gratulationis officia diuinis mentibus cõcepta, linguis Seraphicis expreſſa, gratulatio noſtra venerationis plena non comitetur? Quò longiùs à nobis gratulatores iſti receſſerunt, eò propiùs ad illos obſequioſa noſtri in gratulãdo humilitas accedere ne recuſet. Per huiuſce virtutis gradus in nos ipſos altiſſimè deſcendentes, in ſublimi cælo diuinis ſpiritibus coniungimur. Per hanc ipſam inter homines cum Sanctis verſamur; quinimmo ab ea edocti non amplius homines, ſed Diui omnes ſumus, ad maturam ſempiterni æui fruitionem, quæ Chriſti humilitate humilibus præcipuè parata eſt, feliciter extollendi.

S. Georgius vario tormentorum genere inaniter cruciatus.

ORATIO VII.

VTiliſſimum illud Chriſti monitum: *Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum,* non ſolùm ad Apoſtolos, verũ etiam ad ſingulos illius famulos martyrio condecorandos referri, nemo ſacrarum litterarum lectioni deditus inficiatur: ipſe enim Eccleſiam cæleſtes orbes faſtigio ſuperaturam, cuius per acerbiſſimam paſſionem iecerat fundamenta, ſanctorum Martyrum ſanguine firmiſſimè *Matt. 10.*

conſtruendam exiſtimauit, vt effrænatæ iniquorum ſpirituum acies, ex inferorum portis caternatim erumpentes, concutere poſſent, non excutere. Cum dixit, ecce ego mitto vos, illud ſignificauit: de veſtris viribus cum tyrannorum ſæuitia conferendis nihil laboretis: illud vobis ſufficiat, iuſſu meo mitti; ab ipſa enim miſſione virium incrementa demanabunt, quicquid apud mortales in promptu fuerit cruciamenti, ſuperatura. Huiuſmodi fiduciam ex ore illius egreſſam, cuius verba (quoniam increatum Patris Verbum eſt) non decipiunt, Martyr Georgius inceſſanti memoria excoluit, eques generis nobilitate, animi robore, fortunarum copia celeberrimus. Hæc omnia in vnum coeuntia illud effecerunt, vt ſui famam vſq; ad vltimas orbis terrarum plagas terrifici draconis apud Berithum nece promulgatam, laudatiſſima tormentorum perpeſſionis gloria cumularit. Iſtam, quæ cælum reſpiceret, incorruptibilem, ſempiternamque, rerum humanarum faſtum, fluxum, ac fragilem non ſine ſano iudicio iudicauit. Sed, quoniam, quæ ſublimia ſunt, non facilis eſt illorum adeptio, perpetuis laboribus, & vigilijs expoſita, quid obſecro, ſublimius inuenias, aut etiam excogites, quàm martyrij palmam in cæleſti Olympo altiſſimis radicibus enutritam? Illuc iter longum, & ſcrupoſum dumis, & ſentibus refertum ij ſolummodò facilè, ac feliciter calcant, qui ſub nullo alio pondere, niſi ſub cacumen attingendi cupiditate anhelant. Hæc palma non minùs ad ſe anhelantes amat, quàm ipſa ad ſui amantes anhelat. Si ſtatim, atq; ad eam perueneris, manus vacuas, puraſq; velis extendere, ad ſecuriorem captionem, nempe ad Deũ te erigens, quicquid curarum eſt apud homines, perpetim oblitus, ipſa culmen inclinat tibi anxio arripiendi æquè, ac mutuo te potiendi deſiderio affecta. Illi nanq; à diuino Agricola inditum eſt, vt, dum quæritantium manus decorat, nõ parum ab illis viciſsim decoris accipiat, & nunquam non vernans, ibi flores ſucceſsiui æſtus iniuriæ immunes, feliceſque ad ſui obſequium modò inclinatos, erectos modò cum maxima oblectatione conſpiciat. Georgius

Digitized by Google

gius palmaribus præmijs vel in ipſa iuuentute aſſuetus cæleſtem palmam, quam cunctis terrenis ouationibus præferebat, conſequuturus, cum in manuum conſertione acerrima parentem armorum vſus peritiſsimum amiſiſſet, vt cetera, quæ à fortuna liberali acceperat, cœco illius imperio eriperet, quicquid auri, veſtimenti, aliorumue bonorum apud ſe congeſſerat, ſeruorum, & pauperum vſui diſpertiuit, captiuorum grege emancipato, procuratore in Palæſtina (vt, quæ illic fortunæ eſſent, in miſeram egenorum fortunam miſeranter alleuandam impenderētur) nominatim delecto, ad cælum viam ſibi præſtrauit, vbi palma magis, magiſque in ſingulos dies perpetuo illius ornamento ſuccreſcebat. Non potuit ſic piè affectus, omni ſarcina exoneratus, ferreis calceis, incommodorum ſcilicet toleratione indutus, repagulis omnibus, quæ viam intercluderent, ſubductis, aſperrimum montis cacumen non ſuperare. Igitur Diocletianum adit, comitijs, quæ in Chriſtianorum perniciem habebantur, iterum interfuturus: eò quidem conſilio, ſic fieri poſſe, vt Imperatoris iuſſioni obſtaret, qua prudentiſsimos quoſq; totius imperij viros ad maximi ponderis cauſæ deliberationem conuocarat; nimirum, vt Chriſticolis perpetuum vel ab imperio, vel à vitæ beneficio exilium indiceretur. O crudele concilium ſceleſtiſsimo dæmonis ſuaſu inuentum! O iudicium, quod Diocletiani mens iniqua oſtendit, ab ipſis iudicibus extortum! In prioribus comitijs varij varia ſenſerunt: ſed Imperator nihil aliud ſentiens, niſi quod ipſum ab humano ſenſu longiſsimè alienum demonſtraret, illud aperto ore, venenato corde, non abſque multorum, qui Chriſti fideles confouebant, mœrore expreſsit, imperij incolumitatem à remotiſsima eorumdem ablegatione, aut communi nece omnino conſtare. Nemo, quanuis huic edicto immaniſsimo repugnarit veritus, ne effænatam illius iracundiam in ſe concitatiùs deriuaret. Vult lupina rabies alieno ſanguine immergi, vult gurgitatim ſatiari: ſi repugnes, ſemper magis eſurit, ſe ipſam (niſi aliud poſsit) voratura ſæuiori laniena euomendam. Georgius,

qui

inficiatur, illud Sanctorum meritis inditũ, vt diuinitùs nomen accipiant, ſatis certè fuerit Benedicti nomen ad ſublimem illius commendationem attento animo penſitare. Enimuerò qui eſt benedictus, non poteſt non bene ſentire, non meliùs dicere, non optimè agere; immo quæ ſunt benedicta, ſibi, alijſq; iugiter ſe ſe feliciſſima oſtendunt. Si quid hodie ab ingenij, ac iudicij mei parcitate laudationis in Benedictum (quod obſequij cauſa vehementer opto) valet proficiſci, non abſurdum, non ineptum iudico Patriarcham meritiſſimum religioſæ animorum veſtrorum contemplationi exhibere, illud Apoſtolorum Principis ad Chriſtum conuerſi vſurpantem: *Ecce nos reliquimus omnia. & ſequuti ſumus te, quid ergo erit uobis?* Si enim Petro, qui nauiculam, ac retia maximè lacera deſeruit, quæ certè nullius, aut ſaltem viliſſimi prætij fuerunt, licuit pro illis mercedem non modò petere, verùm etiam manu opulentiſſima reportare; quantò magis idipſum licebit Benedicto, qui nihil non diuitiarum in delicijs (vt ita loquar) natantium, nihil non luxus, & ſplendoris, quod domi ſuæ ſummũ profectò erat, quaſi inimiciſſimus abiecit, ſeu potiùs diſperſit, dedit pauperibus? Si autem ad Petri laudem illud obijcitis: qui dat omnia, quæ habet, quanuis minima ſint: attamen multum relinquit, nullam ipſi iniuriam allaturus, reſpondeo, Benedictum, etiam quæ non habebat, ſed temporis quidem opportunitate habuiſſet, deſeruiſſe. Iſtud verò fuit optimarum artium à natura hominis deſiderio ingenita cognitio, vbi per ingenij acumen, & iudicij maturitatem, qua erat præditus, plurimùm profeciſſet. Vt Patriarchæ bonorum deſertoris meritum, nihil tamen ſupra veritatem, extollam, duo alia non indiligenter expendo, nimirùm deſerendi tempus, & modum. Petrus ætate iam matura, quæ prudentiæ beneficio non perperam ſenſit, haud temerè egit: Benedictus, florente adoleſcentia, cum qua immoderatæ cupiditates ſenſus irritamenta adoleſcunt, bonis ſæcularibus abdicauit. Petrus non ſolus, ſed cum Andrea fratre à Christo ipſo, non ſine mercedis pollicitatione liberaliſſima, nimirum:

Matt. cap. 2.

mium: *Et faciam vos fieri piſcatores hominum*, fuit accerſitus: Benedictus, nullo comite, nullius voce, qui præmium offerret, Seruatoris noſtri ſeruitio ſe addixit, pagi, qui Sublacus dicitur, ſpeluncam ingreſſus, vno tantum conſcio Romano ſcilicet monacho, qui Spiritus ſancti afflatu cibi ſingulis diebus ſuppeditandi onus, quaſi Angelus in lacu leonum Danieli, non recuſauit: illic enim lacus ſubiacebat, vnde pagum illum Sublacus nomen accepiſſe, nemo in dubitationem adducit. Huc Benedictum diuinæ gratiæ allicientis dono vocatum aſſeueramus ad piſcationẽ hominum, non piſcium; vt ea etiam in re cum Petro decertans, illud auribus ſibi in ulcatum audiret: veni poſt me, & faciam, te fieri piſcatorem hominum. Quodq; ipſi contigit, qui olim expanſis retibus, & à Deo iuſſus, vt in altum duceret, cum reſpondiſſet: *In verbo tuo laxabo rete*, tantum capturæ piſcium euenit, vt retia penitùs frangerentur; idem prorſus euenit Benedicto. Cum enim modò incorrupti exempli rete, modò diuini verbi hamo piſcaretur, multa, quæ ventura erant, & præſertim Totilæ Romam aduentum, ab illo maris tranſitum, & poſt nouem annos ex vita diſceſſum, non ſine prophetiæ dono prædicens, tantam humanorum piſcium capturam reportauit, vt vniuerſa Chriſtianorum Reſpublica cum ſumma veneratione admiretur. Vtq; iſtorum numerus augeſceret, ex Dei ſtomacho, qui eum ſibi delegerat piſcatorem, cum plurimi eſſent, omnes duodecim viuarijs intercluſit, nempe duodecim clauſtris à ſe cum ingenti monachorum copia liberaliter conſtructis, necnon optimis, ac ſanctiſſimis legibus, quarum ſuaſu vitam inſtituerent, prudenti cõſilio ſancitis. Et quoniam loci anguſtia aſſiduę piſcationi nequaquam ſuppetere videbatur, in montem Caſſinum hodie primarium totius Ordinis monaſterium commigrauit: ibiq; piſcium capturam non parum interpellatam inſpiciens, ab Apollinis idolo, cuius ibi à falſa antiquorum religione cultus nondum ceſſauerat, illud audacter humo æquauit, aram deſtruxit, lucumq; ipſi deo imaginario ſacrum, vt in imùs illuceſceret, igni commiſit, ibidem ſa-

Matt. 4.

Ibidē.

cello,

cello, ſimulq; paruo temp'o conditis, quorum alterũ Diui Martini, alterum Diui Ioannis obſequium excipiens, piſcationem fortunauit, illius loci cultores idolorum venerationem non oblitos Chriſtianæ fidei præceptis informando: ea namq; in re mente, animo, cogitatione diu, noctuq; volutabat, quonam pacto cum Paulo homines Chriſto lucrifaceret, ſingulis rectam ad cælum viam, quæ vitiorum aceruo tegebatur, ad meritorum molem coaceruandam demonſtrando. Sed quoniam, quæ Dei ſunt, dæmonis inuidiam vbiq; ſibi paratam inueniunt, non defuerunt, qui improbi ſpiritus impulſu piſcationi per diuinam opem feliciſſimæ, turbas concitarent. Concitatio non ab exteris, ſed ab ipſius Benedicti amicis, vnde opimus piſcationis euentus impediretur, acerrimè fuit commota. Enimuerò quidam ex illis, qui ſanctiſſimæ Inſtitutoris diſciplinæ ſe commiſerant, ſalutares eiuſdem admonitiones, quæ liberam viuendi rationem cœnobitis minimè accommodatam, amanter tamen arguerent, iniquis auribus, iniquiore animo auerſatus, potionem veneno infectam magiſtro ſuo inſidiator porexit. O dolos, ac fallacias à familiaribus etiam præcauendas! At qui adeò Argus, aut Lynceus ab iſtis ſatis valeat præcauere? ecquis amorem odium, caritatem inuidiam appellet? ecquis in cibo famem, in potu ſitim, in vitæ alimento, mortis materiam agnoſcat? O Iudæ, ſeu potius diaboli corruptelam! Ille per oſculum beneuolentiæ indicium Chriſto pugnam: is per hauſtum Benedicto mortem indixit. Chriſtus Iudam amici nomine appellans, inimicitiam propulſauit: Benedictus diſcipuli dolos diſſimulans, mortis inſtrumentum, vas ſcilicet veneno refertum ſanctiſſimæ crucis figura confregit: vt, quod à rerum futurarum præſcientia omnino erat, non aliunde, quàm à fato conſtare, cunctis, qui aderant, ſuaderet: eaque nunquam ſatis, etſi quàm maximè commendata prudentia, ſe mortis diſcrimini, abſq; vlla apud proditorẽ ignominiæ nota liberauit. O crucis potentiam nullius lingua, vel diſertiſſima explicandam, ſui imagine mortis, quæ adamantem frangit,

con-

confractricem? Conſentaneum profectò fuit, vt Benedictus feliciſſima Conſtantini ſorte frueretur, qui, cũ diuinũ illud de cruce audiſſet: *In hoc ſigno vinces*, Coſdram faciillimè ſuperauit: non aliter Benedictus, ſanctiſſima crucis figura improbi hominis inſidias deſtruxit, mortemq; ipſam in potione ſibi paratam non potans, diuinitùs potens ſuperauit. Duo præcipue à Benedicti exemplo ſexcenties benedicendo addiſcamus: alterum, ſingula à ſanctiſſimo crucis ſigno incipere, nihilq; non munitum excipere; hæc enim inimicos diſpellit, necem ipſam à nobis prohibet: alterum non minùs vtile; iniurias videlicet nobis illatas non modò non perſequi, ſed etiam perpetuæ obliuioni committere. Si faciamus, Deus noſtri nunquam oblitus, vbiq; gratiam ſuam elargitur, nullisq; periculis, quanuis plurima ſint (quoniam vt plurimùm ab inferis erumpunt) ſubiacere ſuſtinebit: contra verò, ſi velimus iniurias iniurijs reponere, nobis ipſis iniurij ſumus: quia Dei iram, quæ ſingulis peccatoribus, præcipue autem rerũ aduerſarum tolerationi aduerſantibus, in promptu eſt, in nos acriter concitamus. Quid, obſecro, profuiſſet Patriarchæ Benedicto cunctis huiuſce vitæ bonis abdicaſſe, niſi animi affectionibus libens, nuntium remiſiſſet? Ea demum miſera, atq; ærumnoſa paupertas eſt, quà circumuenitur animus: vnde vna cum corpore in varia diſcrimina præceps agitatur. Si pauper ſpiritu viuas, nempe turbarum à ſenſu concitationibus vacuus, diues omnino es: quoniam æternæ felicitati, ex qua veræ opes, incorruptæ diuitiæ creantur, coniungendus. Non parua iniuria eſt à diſcipulo prodi, vnde omnes grati animi ſignificationes (ſi humanitatem reſpicias, etiam ſi ferarum exempla animo euoluas) deberent exoriri: ſed maior quidem fuit, Iudam Apoſtolica dignitate, quæ omnium ſumma cenſebatur, inſignitum, Chriſto carcerem, vincula, plagas, crucem ipſam vnius oſculi miniſterio congeſſiſſe. At cur Dominus, cui hæc omnia licebat ſubterfugere, inſidiatorem perdere: attamen amantiſſimè complexus eſt? Cur voluit ab eo prodi? *Vt tu* (reſpondet Ambroſius) *ſi à ſocio*

Lib.5. *deſertus, ſi à ſocio proditus fueris, moderatè feras, tuum erraſſe iudi-*
Luc.c. 6. *cium, periſſe beneficium.* Cogitauit Benedictus cum bonorum (addo cum ipſarum veſtium) in ſæculo abiectione, quicquid ſæcularem curam aliqua ex parte redoleret, penitùs abijciens, vni Deo rerum omnium Conditori toto animo adhærere: vt, qui cum Petro poſt Chriſti vocem abijt, perpetuamq; illius ſequelam non ſine maximo progreſſu exercuit, æqualem cùm ipſo pollicitatio-
Matt. cap. 19. nem reciperet: *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael.* O præmium honore maximo refertũ! O præmium Chriſti à latere Legatis, nimirum Apoſtolis aſſignatum! Quo pacto igitur ſanctiſſimo Patriarchæ prædictum? quoniam cæleſtibus animis extrema ſæculi die totius orbis terrarum iudicibus fuerat inſerendus. Sed iterum interrogatus: ſi vox Chriſti nullum alium, quàm Benedictum appetit, cur illum maiori numero appellat? Quæſtio certè pulcherrima, facilem, ac breuem habet ſolutionem. Quicquid honoris, & dignitatis meritorum fauore aſſequuti erimus in humanis, nonne id ipſum nobis indiuiſibilis comes adijcietur in cælo? Nunc illud adijcio: ex multis Ordinibus à Patriarcha noſtro inſtitutis quot inculpatæ vitæ Epiſcopi, quot Cardinales, quot ſummi Pontifices prodierunt? qui cum in hac vita iudiciũ habuerint animarum, idipſum poſtrema orbis die exercebunt, vt cum Paulo Tarſenſi eo
1.Cor. cap.6. priuilegio valeat gloriari: *Iudicabimus, & Angelos.* Iſtos verò ſi Benedictus filios, ac diſcipulos habuit inter mortales, cur extremi iudicij comites apud immortales non eſt habiturus? Aptè igitur, & concinnè ſanctiſſimo viro Chriſtus loquaci ſilentio prę-
Matt. cap. 19. dixit: *Vos qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Illud etiam ad ipſius laudem accedat, fœcundum Ordinis ab eo inſtituti agrum, aſſidua virtutum exercitatione excultum multa millia florum germina iam diu ad ſuperos translata emiſiſſe: indeq; magis, magiſq; huius Anachoretæ meritum augetur; quia, ſi à veritate nihil abeſt, hæreſiarchas ob ſua, & aliorum ſcelera puniendos, qui obiecto

exem-

exemplo perierunt; vnde neceſſarium videri poſt ex irrefragabili doctrina, vt poſt priuatum, commune animarum iudicium habeatur: nihilò magis alienum erit à veritate, eos, qui inter homines optimi fuerunt, in cælo mercedem referre virtutum, non modò, quæ apud ſe, verũ etiam apud alios, ſanctiſſimo ſui exemplo floruerunt. Ea veritate ſuſfulti, quantam Benedicti apud cælicolas gloriam eſſentialem, atq; accidentalem iudicabimus? Eſſentialem, quia ſolis inſtar plurimis ſtellis coronatus refulget, nempe Sanctis, quibus illius Ordinem decoratum ſupra commemoraui. Qua in re Benedictus Patriarchæ Abrahamo iure merito comparandus videtur, qui ad eius exemplum diuinæ vocationi obſequioſus promiſſi exitum cum illo eſt expertus, nempe ſemen ſuum, ſtellarum inſtar proculdubio multiplicandum. Accidentalem adiunxi: enim verò Caſſinenſium Ordinem Monachorum numero refertum, diuinoq; ſeruitio arctiſſimè addictum, nemo ignorat. Ille Inſtitutoris ſui veſtigia ſequutus, quot viros, ac mulieres enutriuit, quorum non vulgari ſanctitate, poſt fulgorẽ militanti Eccleſiæ adiunctum, ſuperna ciuitas Ieruſalem quam maximè coruſcat? Hinc Benedicti familiam Abrahami poſteritate fœcundiorem licet nuncupare: hæc nanque poſt diutiſſimæ vitæ fruitionem tandem aliquando erat defectura; illa cum annorum auctione aucta, finem ſuum æternitati adhærentem aſpexerit. In tam referta Sanctorum copia, Benedictus non ſecus, ac roſa inter pulcherrimos flores purpuraſcens colore, odorẽ emittens, efflore ſcere non ceſſauit. Color nitet charitate: odor manat ab optima fama: paſcit ſapor, virtutum fructibus ſuauiſſimis. Fuit hæc aliquando ſine ſpinis roſa: verùm, ne inferorum prædatoribus expoſita carperetur, illas induit, cum pulcherrimarum fœminarum, quæ Romæ erant, imaginibus appetita, ad carnis ſpectrorum illectricis macerationem in ſenticeto ſe volutauit, vndiq; illæſa, licet multo ſanguine madefacta; quoniam quicquid doloris vulnera procrearunt, ærumnoſis dæmonibus laborem, & ærumnam addiderunt. Optauit ſatanas ſpe-

Lib.5. *deſertus, ſi à ſocio proditus fueris, moderatè feras, tuum erraſſe iudi-*
Luc.c.6. *cium, periſſe beneficium.* Cogitauit Benedictus cum bonorum (addo cum ipſarum veſtium) in ſæculo abiectione, quicquid ſæcularem curam aliqua ex parte redoleret, penitùs abijciens, vni Deo rerum omnium Conditori toto animo adhærere: vt, qui cum Petro poſt Chriſti vocem abijt, perpetuamq; illius ſequelam non ſine maximo progreſſu exercuit, æqualem cùm ipſo pollicitatio-
Matt. nem reciperet: *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes iudican-*
cap.19. *tes duodecim tribus Iſrael.* O præmium honore maximo refertũ! O præmium Chriſti à latere Legatis, nimirum Apoſtolis aſſignatum! Quo pacto igitur ſanctiſſimo Patriarchæ prædictum? quoniam cæleſtibus animis extrema ſæculi die totius orbis terrarum iudicibus fuerat inſerendus. Sed iterum interrogatus: ſi vox Chriſti nullum alium, quàm Benedictum appetit, cùr illum maiori numero appellat? Quæſtio certè pulcherrima, facilem, ac breuem habet ſolutionem. Quicquid honoris, & dignitatis meritorum fauore aſſequuti erimus in humanis, nonne id ipſum nobis indiuiſibilis comes adjicietur in cælo? Nunc illud adijcio: ex multis Ordinibus à Patriarcha noſtro inſtitutis quot inculpatæ vitæ Epiſcopi, quot Cardinales, quot ſummi Pontifices prodierunt? qui cum in hac vita iudiciũ habuerint animarum, idipſum poſtrema orbis die exercebunt, vt cum Paulo Tarſenſi eo
1.Cor. priuilegio valeat gloriari: *Iudicabimus, & Angelos.* Iſtos verò ſi
cap.6. Benedictus filios, ac diſcipulos habuit inter mortales, cur extremi iudicij comites apud immortales non eſt habiturus? Aptè igitur, & concinnè ſanctiſſimo viro Chriſtus loquaci ſilentio prę-
Matt. dixit: *Vos qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſe-*
cap.19. *des, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Illud etiam ad ipſius laudem accedat, fœcundum Ordinis ab eo inſtituti agrum, aſſidua virtutum exercitatione excultum multa millia florum germina iam diu ad ſuperos translata emiſiſſe: indeq; magis, magiſq; huius Anachoretæ meritum augetur; quia, ſi à veritate nihil abeſt, hæreſiarchas ob ſua, & aliorum ſcelera puniendos, qui obiecto

exem-

Digitized by Google

exemplo perierunt; vnde neceſſarium videri poſt ex irrefragabili doctrina, vt poſt priuatum, commune animarum iudicium habeatur: nihilò magis alienum erit à veritate, eos, qui inter homines optimi fuerunt, in cælo mercedem referre virtutum, non modò, quæ apud ſe, verũ etiam apud alios, ſanctiſſimo ſui exemplo floruerunt. Ea veritate ſuſfulti, quantam Benedicti apud cælicolas gloriam eſſentialem, atq; accidentalem iudicabimus? Eſſentialem, quia ſolis inſtar plurimis ſtellis coronatus refulget, nempe Sanctis, quibus illius Ordinem decoratum ſupra commemoraui. Qua in re Benedictus Patriarchæ Abrahamo iure merito comparandus videtur, qui ad eius exemplum diuinæ vocationi obſequioſus promiſſi exitum cum illo eſt expertus, nempe ſemen ſuum, ſtellarum inſtar proculdubio multiplicandum. Accidentalem adiunxi: enim verò Caſſinenſium Ordinem Monachorum numero refertum, diuinoq; ſeruitio arctiſſimè addictum, nemo ignorat. Ille Inſtitutoris ſui veſtigia ſequutus, quot viros, ac mulieres enutriuit, quorum non vulgari ſanctitate, poſt fulgorẽ militanti Eccleſiæ adiunctum, ſuperna ciuitas Ieruſalem quam maximè coruſcat? Hinc Benedicti familiam Abrahami poſteritate fœcundiorem licet nuncupare: hæc nanque poſt diutiſſimæ vitæ fruitionem tandem aliquando erat defectura; illa cum annorum auctione aucta, finem ſuum æternitati adhærentem aſpexerit. In tam referta Sanctorum copia Benedictus non ſecus, ac roſa inter pulcherrimos flores purpuraſcens colore, odorẽ emittens, effloreſcere non ceſſauit. Color nitet charitate: odor manat ab optima fama: paſcit ſapor, virtutum fructibus ſuauiſſimis. Fuit hæc aliquando ſine ſpinis roſa: verùm, ne inferorum prædatóribus expoſita carperetur, illas induit, cum pulcherrimarum fœminarum, quæ Romæ erant, imaginibus appetita, ad carnis ſpectrorum illectricis macerationem in ſenticeto ſe volutauit, vndiq; illæſa, licet multo ſanguine madefacta; quoniam quicquid doloris vulnera procrearunt, ærumnoſis dæmonibus laborem, & ærumnam addiderunt. Optauit ſatanas ſpe-

cioſiſſimam roſam diuinis naribus periucundam libidinum æſtu areſcentem aſpicere! at ille potiùs aruit iſtius iniquæ cupiditatis ardore cùm gehennæ flamma æqualiter æſtuante. Hæc omnia fuerunt in cauſa, cur Ordo Caſſinenſis Eccleſiæ Dei non breui annorum curſu præfuerit. Si præfuit, inde pariter exitu ipſo comprobatum eſt, illud pollicitationis, qui Chriſtum ſequuti eſſent, eos orbem terrarum vniuerſum iudicaturos: enimuerò ſummi Pontifices ſunt iudices animarum. Inſuper ad Petri nauim ſedentes quiſnam piſcatores hominum non appellet? piſcatores inquam, Domini: quia ſicut piſcium captura captatoris iuri cedit: ita etiam Pontifices imperium habent animarum, quas arbitratu ſuo & ligatas ſoluunt, & ſolutas ſignãt ea poteſtate, quæ terræ cæliq; limites comprehendit. Ideo duas claues ad ſui ornatum, ſed multò magis ad ſupremæ auctoritatis indicium in inſignibus geſtant: alteram auream, argenteam verò alteram, nec non gladio præmuniuntur vtraq; parte acuto, qui temporalẽ ſcilicet, ac ſpiritualẽ poteſtatẽ declarat. Optimè igitur nõ ſolùm Benedicto, ſed etiam vniuerſæ illius familiæ prædicitur ſeſſio duodecim ſellarum: vt ibi totius orbis iudicium in præſenti ſæculo, & etiam in futuro exerceatur. Illorum bonorum heres Patriarca Benedictus, quæ ſunt vera bona, quoniam non fragilia, non caduca, ſed æterna, & ab omni moleſtia, & ſolicitudine, ab omni angore animi aliena, pluribus coronis redimitus perfulgeſcit. Felices animæ, quæ in hac valle miſeriarum conſepultæ, cæleſtem aulam tot, tantiſque ſertibus ornatam ad ſui ſuſpiciunt alleuamẽtum. Felices, inquam, quę Benedicti coronam precioſiſſimis margaritis luceſcentem contemplantur: illic enim ſpectant ſingulos Beatorum Ordines certatim gratulantes Benedicto, qui optimũ vitæ inſtitutum ſingulorum apud immortales Ordinum dignitatibus decorauit. Gratulantur Patriarchæ, innumeros Chriſto filios eum genuiſſe firmiſſima Eccleſiæ catholicæ admiranda, cæleſtis Ieruſalem ampla ornamenta. Gratulantur Prophetæ, multa de rebus imminentibus enunciaſſe. Gratulantur Apoſtoli,

li, verbo Dei diſcipulorum auribus monaſticæ regulæ obſeruantiam indefatiganter ingeſſiſſe. Gratulantur Martyres, eundem proprij corporis dilaniatorem nemini non habitum. Gratulantur Confeſſores, ipſorum Ordinem vbertim adeò multiplicatũ, vt in dies magis, magiſq; non ſine Chriſtianæ religionis amplitudine abundet. Gratulantur Virgines, caſtitatem ab eo ne minima quidem cogitatione contaminatam. Gratulantur demum Anacoretæ, ſuum decus vſq; ad vltimum ſanctitatis faſtigium deueniſſe. Cur iſta deuotæ gratulationis officia diuinis mentibus cõcepta, linguis Seraphicis expreſſa, gratulatio noſtra venerationis plena non comitetur? Quò longiùs à nobis gratulatores iſti receſſerunt, eò propiùs ad illos obſequioſa noſtri in gratulãdo humilitas accedere ne recuſet. Per huiuſce virtutis gradus in nos ipſos altiſſimè deſcendentes, in ſublimi cælo diuinis ſpiritibus coniungimur. Per hanc ipſam inter homines cum Sanctis verſamur; quinimmo ab ea edocti non amplius homines, ſed Diui omnes ſumus, ad maturam ſempiterni æui fruitionem, quæ Chriſti humilitate humilibus præcipuè parata eſt, feliciter extollendi.

S. Georgius vario tormentorum genere inaniter cruciatus.

ORATIO VII.

VTiliſſimum illud Chriſti monitum: *Ecce ego mitto* Matt.
vos, ſicut oues in medio luporum, non ſolùm ad Apo- 10.
ſtolos, verũ etiam ad ſingulos illius famulos martyrio condecorandos referri, nemo ſacrarum litterarum lectioni deditus inficiatur: ipſe enim Eccleſiam cæleſtes orbes faſtigio ſuperaturam, cuius per acerbiſſimam paſſionem iecerat fundamenta, ſanctorum Martyrum ſanguine firmiſſimè con-

gius palmaribus præmijs vel in ipſa iuuentute aſſuetus cæleſtem palmam, quam cunctis terrenis ouationibus præferebat, conſequuturus, cum in manuum conſertione acerrima parentem armorum vſus peritiſsimum amiſiſſet, vt cetera, quæ à fortuna liberali acceperat, cœco illius imperio eriperet, quicquid auri, veſtimenti, aliorumue bonorum apud ſe congeſſerat, ſeruorum, & pauperum vſui diſpertiuit, captiuorum grege emancipato, procuratore in Palæſtina (vt, quæ illic fortunæ eſſent, in miſeram egenorum fortunam miſeranter alleuandam impenderetur) nominatim delecto, ad cælum viam ſibi præſtrauit, vbi palma magis, magiſque in ſingulos dies perpetuo illius ornamento ſuccreſcebat. Non potuit ſic piè affectus, omni ſarcina exoneratus, ferreis calceis, incommodorum ſcilicet toleratione indutus, repagulis omnibus, quæ viam intercluderent, ſubductis, aſperrimum montis cacumen non ſuperare. Igitur Diocletianum adit, comitijs, quæ in Chriſtianorum perniciem habebantur, iterum interfuturus: eò quidem conſilio, ſic fieri poſſe, vt Imperatoris iuſſioni obſtaret, quâ prudentiſsimos quoſq; totius imperij viros ad maximi ponderis cauſæ deliberationem conuocarat; nimirum, vt Chriſticolis perpetuum vel ab imperio, vel à vitæ beneficio exilium indiceretur. O crudele concilium ſceleſtiſsimo dæmonis ſuaſu inuentum! O iudicium, quod Diocletiani mens iniqua oſtendit, ab ipſis iudicibus extortum! In prioribus comitijs varij varia ſenſerunt: ſed Imperator nihil aliud ſentiens, niſi quod ipſum ab humano ſenſu longiſsimè alienum demonſtraret, illud aperto ore, venenato corde, non abſque multorum, qui Chriſti fideles confouebant, mœrore expreſsit, imperij incolumitatem à remotiſsima eorumdem ablegatione, aut communi nece omnino conſtare. Nemo, quanuis huic edicto immaniſsimo repugnarit veritus, ne effænatam illius iracundiam in ſe concitatiùs deriuaret. Vult lupina rabies alieno ſanguine immergi, vult gurgitatim ſatiari: ſi repugnes, ſemper magis eſurit, ſe ipſam (niſi aliud poſsit) voratura ſæuiori laniena euomendam. Georgius,

Digitized by Google

qui apud alios non metus, ſed modeſtiæ impulſu ſiluit, vt temporis opportunitati prudentia edoctus vtiliter obſequeretur, in ſecundis comitijs Diocletiani feritatem coram ſenatu acerrimè damnauit, vtpote illius, qui legem ferret diuinis, humaniſq; legibus repugnantem. Non potuit Imperator in ſumma dignitatis amplitudine anguſtiſſimus Georgij animum, vnde ingenua loquendi manabat libertas, non iniquus ſuſtinere, eò grauiorem auctoritatis ſuæ aſpernatorem ratus, quòd vnum duntaxat inter multos ſententiæ prolatæ reluctantem inueniſſet. Ob id in vincula, & compedes detrudi, maximo lapide opprimi iubet: vnde non mortem, ſed vitam morte ipſa miſeriorem attraheret: ſed totum aliud contigit ei, qui ad tormenta totus lapideus videbatur; immo Chriſto, quaſi petræ ad inuictam vbiq; firmitudinem inhærebat. Enimuerò lapis ille, quanuis grauiſſimus, alterius lapidis duritiem oneri ſuo reluctantem adeò ſenſit, vt videretur leuiſſimi aeris naturā induiſſe: vnde Martyr ſanctiſſimus de Deo afflictorum liberatore illud ſecum loquebatur: *In petra exaltauit*
Pſal. 26. *me, & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.* Hinc factū eſt, vt altera die ad Diocletiani aſpectum pallenti ore (quòd cruciatus tam breui ceſſarit) adductus, vtq; ſententiam mutaret multis pollicitationibus rogatus reſponderet: ſi ex inflicto ſupplicio, Imperator, nunc in me timorem conijcis, toto cælo aberras: quantum ſpei cor meum Chriſto dicatum enutriat, acriori tormento experire. Dicto citiùs rota exponitur, cui Georgius arctis eòuſq; funiculis illigatus, vt etiam oſſa non leuiter premerentur, ſubductis in tabella aculeis, nouaculiſq; in gyrum dilaniabatur cum multa ſanguinis effuſione, quæ plurimos illic aſtantes non ſine decore infecit, atq; omnium fide Chriſti Martyrem cū ſacro ſanguine ſacratiſſimam animam effudiſſe. Id ipſum Imperator ſibi perſuaſit, poſt cuius diſceſſum illud cæleſte inter tonitrua eloquium omnis cœtus aures exceperunt; ne timeas Georgi, conſtanter age, quod agis: multi nanq; exemplo tuo edocti ad meæ fidei ſuſceptionem diſponentur. Poſt hæc diuinus Eſculapius,

nem;

nempe Dei Angelus illum, nemine non ſpectante, vinculis exemit, dum Gentes ipſæ conclamarent: ſalutaremq; adeò eiuſdem vulneribus medicinam fecit, vt ille Imperatorem in Apollinis templo, vbi ſacra peragebat (veluti magnum quoddam facinus per lanienam aggreſſus eſſet) non magis tortorum, quàm propriæ voluntatis ductu, inter innumeras Deo laudes, & gratias, quaſi cycnus moribus albeſcens, funeri præcantatas, liber, incolumiſq; inuenerit. Cumq; Diocletiani oculis ſe non Georgium, potius Georgij ſpectrum videri intelligeret, illud cōfidenter ait: Quid miraris? Deus omnipotens, quem colo, me à tuis atrociſſimis tormentis ad mei necem properantibus vendicauit. O Georgium ſupra, quam dici poteſt, inuictum, ne cunctis quidem inferorū cruciamentis euincendum! qui etſi ferrum vſq;ad exenterationem ſuſtinuerit, ſe parum tamen pro Chriſto ſuſtinuiſſe arbitratus, ad pœnas longè ſæuiores animum iam diu accommodatum æternæ beatitudinis deſiderio obfirmabat, hiſce vocibus Dominum alloquutus:Iam ego ſine minima læſione rotam acerbiſſimam paſſus in poſterùm ero tibi ſicut verſatilis rota: quocumq; volueris, me vertam, ad omnia tormentorum genera paratiſſimus, cum haud nutanti fiducia, futurum vt ſortem non minùs proſperam, immo rotam in rota, quæ curſum conſumet, experiar, te ſcilicet Deum ſine principio, & fine benigniſſimum. Neq; decipiar, quoniam teres vita permanet inoffenſa; illud nō infrequēter inter eximia gaudia vſurpans:ad rotas rotor.In tanta animi conſtantia tribuniciæ inter milites dignitati, quam ab Imperatore acceperat, ſe nullam iniuriam facere non iniurius opinabatur, ſi à capta ſententia, quam Chriſtiana religio ingeſſerat, iniquæ ipſius Imperatoris menti conſtantiùs ſemper reluctandi non diſcederet, aut in eandem opinionem omnium auribus, expreſſam fortiſſimos commilitones fortiùs incitaret. Nec temerè quidem ſenſit: illius nanq; exemplo duo militum Tribuni Anatolius, & Protelcus, ſe Chriſti fidem, quam antea cordibus pauor occluſerat, profiteri apertiſſimè declararunt. Quæ vox, licet

Im-

Imperatoris iuſſu per capitum amputationem adempta; attamen apud illius vxorem Alexandram de omnibus, quæ Martyri euenerant, varijs linguis, ſed haud variè edoctam echo mariti auribus amariſſimam creauit, dum hæc ipſa non alium deum, quã Chriſtum Ieſum veri Dei filium confeſſa eſt. Felicem fœminam non fœminei animi nominemus, quæ à terreni principis matrimonio ad Supremi thalamum delicijs incorruptilibus opulentũ commigrauit. Quid mirum, ſi tyranni ſæuitia in Chriſti Athletam ſemper atrocius ſæuiebat? Ipſe pugna cum Georgio iam diu inita, quem primo ictu confoſſum credidit, hunc in ſtadio victoris inſtar currentem intuetur. Quid plura? De vxore iam ſibi cariſſima triumphantem ignominioſus experitur. Quamobrem taceat tyrannorum inhumanitas de Martyrum internecione ſæpe, ac ſæpius gloriata. Quæ nam gloriandi occaſio, ſi perduelles ſuos ad meliorem vitam enecarunt, eademq; opera non occidendo, ſe ipſos ad ſpiritualem mortem, quæ altera mors eſt, nimirum vera, quoniam æternitati addicta, occiderunt? Quanquam hæc ita ſint: idcirco Diocletianus ab iracundia non deſiſtit; quinimmo triplicem furiarum aciem in tribus furijs ab inferorum barathro, reiteratis vocibus appellat; vt ipſarum ſtimulis vndequaq; acutiſſimis ad inceſſantem ferociam concitetur. Non cenſenda inanis appellatio, cum non modò furiæ, verum etiam quicquid apud dæmones furoris eſt, in eius pectore auguſtam ſedem inuenerit. Hinc ferociſſimè adactus, Georgium in ſuccenſam fornacem immittit, vnde triduo ipſo ad triũ puerorũ ſingulare exemplum immunis commoratus, non ſecus, atq; aurum purgatiſſimum exiuit cum ingẽti animorum apud Gentes depreſſione: vnde Imperatoris feritas vſq; ad belluinam atrociam augebatur. Ab ea conſilium cepit ſupplicijs ſupplicia cumulandi, vnde, vt Georgius calceis ex candenti ferro non ſine interioribus aculeis indutus ambularet, imperauit: qui, quantò minùs poterat, tantò magis ad curſum vario carnificis impulſu inter huius modi è cælo verba, quæ animos illi adderent, angebatur: eia Georgi ad per-

petuæ ſalutis brauium alacriter curre. Ecquis igitur illius pedes (neſcio dixerim, ferrum ignitum, an ignem ferratum) nullo detrimento calcantes verè ſpecioſos non appellet? Specioſos, inquã, cunctis humanis affectionibus purgatos, ideoq; bona omnia, quibus beatiſſimi Spiritus perfruuntur, cum æterna pace, quæ ſumma eſt veræ felicitatis, Georgio annuntiantes. Vnde obſecro tam felix nuntium? A fide, quæ impetum ignis non ſolum potuit extinguere, ſed etiã ipſemet ignis ab ea miris quidem modis congelaſcere. Non longiorem, neq; acriorem pugnam inter Martyres, ac tyrannos poſteritatis memoriæ commendatam legimus. Voluit Imperator ſtrenuorum hoſtium victorijs elatus vincere, de ſua maieſtate non parum detrahi opinatus, ni hominem nudum, ac inermem ſuperaret, qui refertas militum phalanges armis optimè munitas deuicit. Contra verò Georgius poſtulauit non vinci, qui, in lucta ne ſuccumberet, veſtimenta, bona ſcilicet temporalia, quibus arctè, contentèq; teneri potuiſſet, abiecit, ea nuditate contentus, quæ opima ex hoſte ſpolia ſibi polliceretur: vnde ex ſui cruore purpureo pallio indutus ad cæleſte Capitolium triumpharet. Idcircò Diocletianus ſuæ ſæuitiæ vndique appellans, aliam pœnarum ſpeciem in Martyrem cogitauit, vt aliquam internecioni congruam aliquando tandem reperiret. Sic peſſimè affectus ad frequentem plagarũ acerbitatem confugit: iſtam in perduellem exercens, ad mortis pabulum contundit, illius vitæ peroſus, qui tot, tantiſq; cruciatibus ſupra naturæ vires exemptus, tortoris vitã vehementiſsimè cruciatam redderet. Georgius nihil mouens, ſed animum ad conſtantiam adhortans, inter verbera multò plus doloris tyranno, quàm ſibi afferentia, verba Deo pro gratiarum actione profudit, illius benignitatem eximiè laudans: cuius ope diu, multùmq; excruciatus, adhuc tamen à ſuppliciorum ſenſu non minus, quam à culpa alienam vitam traduceret. Imperatori non ſatis viſi ſunt homines, optauit etiam dæmones ſuæ crudelitatis miniſtros adhibere; ſed non obtinuit: dum enim conſilium experitur, iſtos ſæuitiæ

teſtes, non miniſtros cognoſcit. Athanaſium magum appello, è cuius manu mortifera potio Imperatoris iuſſu Martyri hauſta, cum nihil damni attuliſſet, præter opinionem eorum, qui non ambiguam illinc à medicato herbarum ſuccu Georgij necem expectabant, illumq; diuino auxilio periculis omnibus ereptum audierũt, ipſe impius illud Diocletiano ſuggeſſit, vt, qui Chriſti ſeruis multa miracula adſcribebat, huic humati cadaueris reſurrectionem imperaret. Tyrannus impio conſilio aſſentiens, hominem iam diu defunctum Georgij ad Deum precibus è ſpecu egredientem vidit, ſimulq; Chriſtianæ religionis encomia prædicantem, ad Martyris pedes obſequij ſtudio ſe prouoluentem nunquam amplius ab illius latere diſceſſurum oculis eòuſq; iniquis proſpexit, vt, quicquid eſſet, dæmoniacis artibus aſſignaret: magus verò totum aliud ſentiens, cum inter hominis rediuiui amplexus Chriſtum verum Deum eſſe fateretur, vterq; glorioſam mortem à Diocletiani ſeueritate reportauit. Admirandos rerum euentus diligenter, ſi libet, AA. obſeruate. Ex poculo, quod Martyri ad necem porrigitur, potans ipſe, ac pocillator tantum vitæ excipiunt, vt illius beneficiũ mortuis liberaliter impertiant. Hoc loco re ipſa Georgio cum Pſalmographo ad Deum licet ex-
Pſal. clamare: *Tranſiuimus per ignem, & aquam: & eduxiſti nos in re-*
45. *frigerium*. Enimuerò, cum ignem non modò pedibus, ſed etiam membris omnibus conculcaſſet, aquam ex Acheronte, aut Cocyto quaſi aſportatam ore excepiſſet, ex vitæ immortalis fiducia iucundiſſimo ſolatio perfuſus eſt. Imperator in tanta rerum anguſtia, quid rerum agat ignarus, ad priora conſilia reuertens, Georgium in vincula iterum conijcit: vt, cui non poterat vitæ ſpatium varijs cruciamentis intercludere, ſaltem Chriſtianæ fidei ab eo propagationem, cui ex Gentibus non pauci adhæſerunt, præpediret. At illud quoq; imprudens egit, aut demens: vnde enim fieri poteſt, vt veritas coarceatur, ſi ad clariorē ſui proſpectum arctè cohibetur? Iteratis vinculis Diocletianus Georgium adſtringens, catholicæ veritatis potentiam ab eo lucidiorem ex-
preſ-

preſſit, plurimis hominibus vario morborum genere laborantibus, qui illum in carcere inuiſerāt, priſtino ſalutis loco non alio, quàm crucis figuræ medicamento reſtitutis. Quod varia ſupplicia ſæpe, ac ſepius repetita non potuerunt, illud verborum lenocinio tyrannus, ſe impetraturum cogitauit: quamobrem amanter, & placidè Martyrem alloquutus, poſt tribunatus dignitatem, multa per caput ſuum iurando pollicetur; cauſam verò, cur vſq; ad illum diem non exiguis pœnis ipſum exagitarit, propriæ à natura iracundiæ adſcribit. Inde anxio roganti, vt ſe in Apollinis templum ad ſacrificia comitetur, annuit Georgius, etiam per ludos, iocoſque omnem acerbitatem ſuperaturus: vt qui venenum corde premens, mel ore oſtendebat, mutuam deludendi artem nō ſecus, ac notus deluſor referret. Neſciuit mens barbara (quod ſemper exoptabile habuit) Georgij ſententiæ mutationem lætanter in fidem non admittere. Tormentis iam defeſſum, quaſi ſomnians, eum credidit, qui illorum ſingula inconcuſſo animi robore delaſſauit. Falſam opinionem induit, eum mortis horrore percitum, à quo mors ipſa perterrefacta non ſemel receſſit. Inter iſtas irriſiones è throno deſiliens, illum cariſſimè amplectitur, tandem reſipiuiſſe ſibi gauiſus, illi ex animo gratulatur. Interea de ipſius ad deos conuerſione per edictum populus admonetur, Apollo, vt potè Chriſti victor celeberrimus in vrbe prædicatur, & Diocletiani prudentia ſummis laudibus extollitur: qui veluti è petra ſanguinem eduxerit, aut piſcem in aere captauerit. Vniuerſi ciues poſt Imperatorem, ac Georgium, templum adeunt, rem nouam, diuq; ambitam magis, quàm ſperatam conſpecturi: & illic thus falſo deo adolendum paratur. Vbi nemo negatam ſæpius oblationem curioſus non expectat, Martyr inter nulla obſequia exurgens hiſce liberrimis vocibus idolum appetit. Tu igitur Apollo, numen, cultumq; diuinum tibi arrogas? Cui ille: Ego mihi diuinitatem non arrogo, quinimmo vnum Deum rerum omnium conditorem Chriſti Ieſu Patrem conſtantiſſimè fateor. Ipſe nos angelos creauit, & culpæ noſtræ flagellis ad infe-

-s præcipitanter detruſit. Tunc Georgius: Cur ad mei aſpectum ſtare non dubitas, cum illud optimè ſcias, me ſeruum eſſe illius, quem tu non fictum, neq; ſimulatum Deum confiteris? Ad hæc, cruce veneranter effictа, magus dæmonum ſe ſe non parum inter querelas exagitantium ſtrepitus auditur: idolum cum multis alijs, quæ templum indecenter ornabant, corruens, non ſine aſtantium admiratione atteritur. Quantum auctionis accepiſſe Imperatoris animum ſæuiſſimè furentem ex publica ſtatuarum attritione, iudicabimus? Augebatur quidem ſæuities: ſed multò magis vigebat inuicta Martyris patientia crebris victorijs decorata, vltimo autem trophæo, quod mortis beneficio, non tamen anxius expectabat, cumulanda; quinimmo illud ſemper diuinitùs ſenſit, pœnarum prolixitate meritorum opulentiam, vnde in cælo præmium augeſcit, enutriri. Ea ſpe fretus, cum omnia lætabundus ſuſtineret, nefarij Apollinis ſacerdotes, poſt Dei ſui cum attritione ludibrium, inter vehementiſſima verba, quæ celerem Georgij mortem Diocletiano ſuaderent, quaſi vero Deo holocauſtum offerrentes, in Martyrem leonũ inſtar inuecti ſunt. Vt eorum voluntati Imperator placeret, ſed Georgio ne minimùm quidem parceret, hunc deluſorem, magum, veri Dei contemptorem, inter miſerandæ necis comminationes, frequenter appellauit: quæ verba leonino furore grauida Alexandram Imperatoris vxorem, poſt Chriſtianæ fidei confeſſionem, prætorianorum militum cuſtodiæ traditam, martyrijq; cupidiſſimam in Apollinis templum citiſsimè adegerunt. O cæleſtis gloriæ cupiditatem apud ſeruos Chriſti anguſtias cordium aſpernantem! Eadem poteſt ſui amantes è cuſtodia vel arctiſsima educere, ad manifeſtum occiſionis periculum allicere, illiuſq; deſiderium afferre. Hoc ipſo cum æſtuaret Alexandra, humani imperij contemptrix glorioſa, vix templum ingreſſa, vbi Georgium vidit, ad illius pedes (quod piæ pictorum imagines apud draconem ab ipſo Diuo necatum oſtendunt) humiliter proſtrata, Chriſtique religionem apertis vocibus profeſſa, feruentiſſimis eius precibus

ſe

ſe ipſam ex animo commendauit. En Diocletianus vltimo furoris loco adactus, illius cor cunctis Ætnæis ignibus accenſum, animuſq; Caucaſo monte aſperior. En Alexandræ maritus, hoſtis iam illi factus: en Imperator Imperatricis ſuæ, nō quaſi ſuæ, ſed ſuimet carnifex immaniſſimus; qui, dū vxorem cruciat, ipſum ſe (quoniam vxor altera ſui pars eſt) crudeliter, ne ſentiens quidem excruciat: quia animus nihil aliud, quàm in Chriſticolas pœnarum curas, & cogitationes apprehendit. Quàm longe hæc abſint à veritate, illinc colligite; AA. quòd Diocletianus non tam mox vxorem Chriſtianam intelligit, quàm mox Georgium Imperatricis deceptorem vocat; cum ad immortalitatem ducem ſtudioſiſſimū deberet nuncupare: & ne lōgius protraheretur tragœdia, qua ſe actorem potiùs, quā alios actos propria ſæuitia defatigarat, Georgium cum Alexandra decollandum cenſet, illud fortaſſe non ſine ambitione vſurpaturus, nullum in Georgij corpore membrum à ſe tortore acerbiſſimo crudelem lanienam non inueniſſe. Martyres ad ſupplicij locum exporrectis frontibus adducti, illum, veluti cæli oſtium, vnde ad æternam felicitatem aditus ſibi pateret, Georgius dextera, Imperatrix læua (ne vlla pars obſequioſo officio careret) flexis genibus, conſalutarunt. Ille necem ſibi indictam nō minùs à veræ fidei flagrantia voluntariam, quàm à furenti Imperatoris animo extortam, cæleſtibus etiam animis teſtaturus; ſingulis tortoribus diuina miſeratione indulgentiam ſuppliciter poſtulauit: indeq; Alexandra, vt inditæ cum imperio à natura maieſtati conſtantia vſq; ad martyrij conſummationem ſuppeteret, fuſis cum gaudio lacrymis precata eſt. Preces vtrinque exceptæ, multos ex Gentibus fidei orthodoxæ, quam antea auerſantes, Georgij tormentis miniſtrarunt, cum ipſius voluptate non vulgari Alexandræ palmarium inter admiranda intrepidi animi indicia pepererunt. Iſta fortitudo, quæ in muliere Imperatrice animum non modò virilem, ſed etiā heroicum timoris affectioni imperantem omnium oculis obiecit, Georgium, qui ſexus imbecillitati non parum timebat, iu-

Digitized by Google

cioſiſſimam roſam diuinis naribus periucundam libidinum æſtu areſcentem aſpicere! at ille potiùs aruit iſtius iniquæ cupiditatis ardore cùm gehennæ flamma æqualiter æſtuante. Hæc omnia fuerunt in cauſa, cur Ordo Caſſinenſis Eccleſiæ Dei non breui annorum curſu præfuerit. Si præfuit, inde pariter exitu ipſo comprobatum eſt, illud pollicitationis, qui Chriſtum ſequuti eſſent, eos orbem terrarum vniuerſum iudicaturos: enimuerò ſummi Pontifices ſunt iudices animarum. Inſuper ad Petri nauim ſedentes quiſnam piſcatores hominum non appellet? piſcatores inquam, Domini: quia ſicut piſcium captura captatoris iuri cedit: ita etiam Pontifices imperium habent animarum, quas arbitratu ſuo & ligatas ſoluunt, & ſolutas ſignat ea poteſtate, quæ terræ cæliq; limites comprehendit. Ideo duas claues ad ſui ornatum, ſed multò magis ad ſupremæ auctoritatis indicium in inſignibus geſtant: alteram auream, argenteam verò alteram, nec non gladio præmuniuntur vtraq; parte acuto, qui temporalē ſcilicet, ac ſpirituale poteſtatē declarat. Optimè igitur nō ſolùm Benedicto, ſed etiam vniuerſæ illius familiæ prædicitur ſeſſio duodecim ſellarum: vt ibi totius orbis iudicium in præſenti ſæculo, & etiam in futuro exerceatur. Illorum bonorum heres Patriarca Benedictus, quæ ſunt vera bona, quoniam non fragilia, non caduca, ſed æterna, & ab omni moleſtia, & ſolicitudine, ab omni angore animi aliena, pluribus coronis redimitus perfulgeſcit. Felices animæ, quæ in hac valle miſeriarum conſepultæ, cæleſtem aulam tot, tantiſque ſertibus ornatam ad ſui ſuſpiciunt allectamētum. Felices, inquam, quę Benedicti coronam precioſiſſimis margaritis luceſcentem contemplantur: illic enim ſpectant ſingulos Beatorum Ordines certatim gratulantes Benedicto, qui optimū vitæ inſtitutum ſingulorum apud immortales Ordinum dignitatibus decorauit. Gratulantur Patriarchæ, innumeros Chriſto filios eum genuiſſe firmiſſima Eccleſiæ catholicæ admiranda cæleſtis Ieruſalem ampla ornamenta. Gratulantur Prophetæ, multa de rebus imminentibus enunciaſſe. Gratulantur Apoſto-

li, verbo Dei diſcipulorum auribus monaſticæ regulæ obſeruantiam indefatiganter ingeſſiſſe. Gratulantur Martyres, eundem proprij corporis dilaniatorem nemini non habitum. Gratulantur Confeſſores, ipſorum Ordinem vbertim adeò multiplicatū, vt in dies magis, magiſq; non ſine Chriſtianæ religionis amplitudine abundet. Gratulantur Virgines, caſtitatem ab eo ne minima quidem cogitatione contaminatam. Gratulantur demum Anacoretæ, ſuum decus vſq; ad vltimum ſanctitatis faſtigium deueniſſe. Cur iſta deuotæ gratulationis officia diuinis mentibus cōcepta, linguis Seraphicis expreſſa, gratulatio noſtra venerationis plena non comitetur? Quò longiùs à nobis gratulatores iſti receſſerunt, eò propiùs ad illos obſequioſa noſtri in gratulādo humilitas accedere ne recuſet. Per huiuſce virtutis gradus in nos ipſos altiſſimè deſcendentes, in ſublimi cælo diuinis ſpiritibus coniungimur. Per hanc ipſam inter homines cum Sanctis verſamur; quinimmo ab ea edocti non amplius homines, ſed Diui omnes ſumus, ad maturam ſempiterni æui fruitionem, quæ Chriſti humilitate humilibus præcipuè parata eſt, feliciter extollendi.

S. Georgius vario tormentorum genere inaniter cruciatus.

ORATIO VII.

VTiliſſimum illud Chriſti monitum: *Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum*, non ſolùm ad Apo- *Matt. 10.* ſtolos, verū etiam ad ſingulos illius famulos martyrio condecorandos referri, nemo ſacrarum litterarum lectioni deditus inficiatur: ipſe enim Eccleſiam cæleſtes orbes faſtigio ſuperaturam, cuius per acerbiſſimam paſſionem iecerat fundamenta, ſanctorum Martyrum ſanguine firmiſſimè

gius palmaribus præmijs vel in ipſa iuuentute aſſuetus cæleſtem palmam, quam cunctis terrenis ouationibus præferebat, conſequuturus, cum in manuum conſertione acerrima parentem armorum vſus peritiſsimum amiſiſſet, vt cetera, quæ à fortuna liberali acceperat, cœco illius imperio eriperet, quicquid auri, veſtimenti, aliorumue bonorum apud ſe congeſſerat, ſeruorum, & pauperum vſui diſpertiuit, captiuorum grege emancipato, procuratore in Palæſtina (vt, quæ illic fortunæ eſſent, in miſeram egenorum fortunam miſeranter alleuandam impenderetur) nominatim delecto, ad cælum viam ſibi præſtrauit, vbi palma magis, magiſque in ſingulos dies perpetuo illius ornamento ſuccreſcebat. Non potuit ſic piè affectus, omni ſarcina exoneratus, ferreis calceis, incommodorum ſcilicet toleratione indutus, repagulis omnibus, quæ viam intercluderent, ſubductis, aſperrimum montis cacumen non ſuperare. Igitur Diocletianum adit, comitijs, quæ in Chriſtianorum perniciem habebantur, iterum interfuturus: eò quidem conſilio, ſic fieri poſſe, vt Imperatoris iuſſioni obſtaret, qua prudentiſsimos quoſq; totius imperij viros ad maximi ponderis cauſæ deliberationem conuocarat; nimirum, vt Chriſticolis perpetuum vel ab imperio, vel à vitæ beneficio exilium indiceretur. O crudele concilium ſceleſtiſsimo dæmonis ſuaſu inuentum! O iudicium, quod Diocletiani mens iniqua oſtendit, ab ipſis iudicibus extortum! In prioribus comitijs varij varia ſenſerunt: ſed Imperator nihil aliud ſentiens, niſi quod ipſum ab humano ſenſu longiſsimè alienum demonſtraret, illud aperto ore, venenato corde, non abſque multorum, qui Chriſti fideles confouebant, mœrore expreſsit, imperij incolumitatem à remotiſsima eorumdem ablegatione, aut communi nece omnino conſtare. Nemo, quanuis huic edicto immaniſsimo repugnarit veritus, ne effænatam illius iracundiam in ſe concitatiùs deriuaret. Vult lupina rabies alieno ſanguine immergi, vult gurgitatim ſatiari: ſi repugnes, ſemper magis eſurit, ſe ipſam (niſi aliud poſsit) voratura ſæuiori laniena euomendam. Georgius,

qui apud alios non metus, ſed modeſtiæ impulſu ſiluit, vt temporis opportunitati prudentia edoctus vtiliter obſequeretur, in ſecundis comitijs Diocletiani feritatem coram ſenatu acerrimè damnauit, vtpote illius, qui legem ferret diuinis, humaniſq; legibus repugnantem. Non potuit Imperator in ſumma dignitatis amplitudine anguſtiſſimus Georgij animum, vnde ingenua loquendi manabat libertas, non iniquus ſuſtinere, eò grauiorem auctoritatis ſuæ aſpernatorem ratus, quòd vnum duntaxat inter multos ſententiæ prolatæ reluctantem inueniſſet. Ob id in vincula, & compedes detrudi, maximo lapide opprimi iubet: vnde non mortem, ſed vitam morte ipſa miſeriorem attraheret: ſed totum aliud contigit ei, qui ad tormenta totus lapideus videbatur; immo Chriſto, quaſi petræ ad inuictam vbiq; firmitudinem inhærebat. Enimuerò lapis ille, quanuis grauiſſimus, alterius lapidis duritiem oneri ſuo reluctantem adeò ſenſit, vt videretur leuiſſimi aeris naturā induiſſe: vnde Martyr ſanctiſſimus de Deo afflictorum liberatore illud ſecum loquebatur: *In petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.* Hinc factū
Pſal. 26. eſt, vt altera die ad Diocletiani aſpectum pallenti ore (quòd cruciatus tam breui ceſſarit) adductus, vtq; ſententiam mutaret multis pollicitationibus rogatus reſponderet: ſi ex inflicto ſupplicio, Imperator, nunc in me timorem conijcis, toto cælo aberras: quantum ſpei cor meum Chriſto dicatum enutriat, acriori tormento experire. Dicto citiùs rota exponitur, cui Georgius arctis eòuſq; funiculis illigatus, vt etiam oſſa non leuiter premerentur, ſubductis in tabella aculeis, nouaculiſq; in gyrum dilaniabatur cum multa ſanguinis effuſione, quæ plurimos illic aſtantes non ſine decore infecit, atq; omnium fide Chriſti Martyrem cū ſacro ſanguine ſacratiſſimam animam effudiſſe. Id ipſum Imperator ſibi perſuaſit, poſt cuius diſceſſum illud cæleſte inter tonitrua eloquium omnis cœtus aures exceperunt: ne timeas Georgi, conſtanter age, quod agis: multi nanq; exemplo tuo edocti ad meæ fidei ſuſceptionem diſponentur. Poſt hæc diuinus Eſculapius,
nem-

nempe Dei Angelus illum, nemine non ſpectante, vinculis exemit, dum Gentes ipſæ conclamarent: ſalutaremq; adeò eiuſdem vulneribus medicinam fecit, vt ille Imperatorem in Apollinis templo, vbi ſacra peragebat (veluti magnum quoddam facinus per lanienam aggreſſus eſſet) non magis tortorum, quàm propriæ voluntatis ductu, inter innumeras Deo laudes, & gratias, quaſi cycnus moribus albeſcens, funeri præcantatas, liber, incolumiſq; inuenerit. Cumq; Diocletiani oculis ſe non Georgium, potius Georgij ſpectrum videri intelligeret, illud cõfidenter ait: Quid miraris? Deus omnipotens, quem colo, me à tuis atrociſſimis tormentis ad mei necem properantibus vendicauit. O Georgium ſupra, quam dici poteſt, inuictum, ne cunctis quidem inferorũ cruciamentis euincendum! qui etſi ferrum vſq;ad exenterationem ſuſtinuerit, ſe parum tamen pro Chriſto ſuſtinuiſſe arbitratus, ad pœnas longè ſæuiores animum iam diu accommodatum æternæ beatitudinis deſiderio obfirmabat, hiſce vocibus Dominum alloquutus:Iam ego ſine minima læſione rotam acerbiſſimam paſſus in poſterùm ero tibi ſicut verſatilis rota: quocumq; volueris, me vertam, ad omnia tormentorum genera paratiſſimus, cum haud nutanti fiducia, futurum vt ſortem non minùs proſperam, immò rotam in rota, quæ curſum conſumet, experiar, te ſcilicet Deum ſine principio, & fine benigniſſimum. Neq; decipiar, quoniam teres vita permanet inoffenſa; illud nõ infrequẽter inter eximia gaudia vſurpans:ad rotas rotor.In tanta animi conſtantia tribuniciæ inter milites dignitati, quam ab Imperatore acceperat, ſe nullam iniuriam facere non iniurius opinabatur, ſi à capta ſententia, quam Chriſtiana religio ingeſſerat, iniquæ ipſius Imperatoris menti conſtantiùs ſemper reluctandi non diſcederet, aut in eandem opinionem omnium auribus, expreſſam fortiſſimos commilitones fortiùs incitaret. Nec temerè quidem ſenſit: illius nanq; exemplo duo militum Tribuni Anatolius, & Protelcus, ſe Chriſti fidem, quam antea cordibus pauor occluſerat, profiteri apertiſſimè declararunt. Quæ vox, licet

Im-

Imperatoris iuſſu per capitum amputationem adempta; attamen apud illius vxorem Alexandram de omnibus, quæ Martyri euenerant, varijs linguis, ſed haud variè edoctam echo mariti auribus amariſſimam creauit, dum hæc ipſa non alium deum, quã Chriſtum Ieſum veri Dei filium confeſſa eſt. Felicem fœminam non fœminei animi nominemus, quæ à terreni principis matrimonio ad Supremi thalamum delicijs incorruptilibus opulentũ commigrauit. Quid mirum, ſi tyranni ſæuitia in Chriſti Athletam ſemper atrocius ſæuiebat? Ipſe pugna cum Georgio iam diu inita, quem primo ictu confoſſum credidit, hunc in ſtadio victoris inſtar currentem intuetur. Quid plura? De vxore iam ſibi cariſſima triumphantem ignominioſus experitur. Quamobrem taceat tyrannorum inhumanitas de Martyrum internecione ſæpe, ac ſæpius gloriata. Quæ nam gloriandi occaſio, ſi perduelles ſuos ad meliorem vitam enecarunt, eademq; opera non occidendo, ſe ipſos ad ſpiritualem mortem, quæ altera mors eſt, nimirum vera, quoniam æternitati addicta, occiderunt? Quanquam hæc ita ſint: idcirco Diocletianus ab iracundia non deſiſtit; quinimmo triplicem furiarum aciem in tribus furijs ab inferorum barathro, reiteratis vocibus appellat; vt ipſarum ſtimulis vndequaq; acutiſſimis ad inceſſantem ferociam concitetur. Non cenſenda inanis appellatio, cum non modò furiæ, verum etiam quicquid apud dæmones furoris eſt, in eius pectore auguſtam ſedem inuenerit. Hinc ferociſſimè adactus, Georgium in ſuccenſam fornacem immittit, vnde triduo ipſo ad triũ puerorũ ſingulare exemplum immunis commoratus, non ſecus, atq; aurum purgatiſſimum exiuit cum ingẽti animorum apud Gentes depreſſione: vnde Imperatoris feritas vſq; ad belluinam atrociam augebatur. Ab ea conſilium cepit ſupplicijs ſupplicia cumulandi, vnde, vt Georgius calceis ex candenti ferro non ſine interioribus aculeis indutus ambularet, imperauit: qui, quantò minùs poterat, tantò magis ad curſum vario carnificis impulſu inter huius modi è cælo verba, quæ animos illi adderent, augebatur: eia Georgi ad perpetuæ

petuæ ſalutis brauium alacriter curre. Ecquis igitur illius pedes (neſcio dixerim, ferrum ignitum, an ignem ferratum) nullo detrimento calcantes verè ſpecioſos non appellet? Specioſos, inquã, cunctis humanis affectionibus purgatos, ideoq; bona omnia, quibus beatiſſimi Spiritus perfruuntur, cum æterna pace, quæ ſumma eſt veræ felicitatis, Georgio annuntiantes. Vnde obſecro tam felix nuntium? A fide, quæ impetum ignis non ſolum potuit extinguere, ſed etiã ipſemet ignis ab ea miris quidem modis congelaſcere. Non longiorem, neq; acriorem pugnam inter Martyres, ac tyrannos poſteritatis memoriæ commendatam legimus. Voluit Imperator ſtrenuorum hoſtium victorijs elatus vincere, de ſua maieſtate non parum detrahi opinatus, ni hominem nudum, ac inermem ſuperaret, qui refertas militum phalanges armis optimè munitas deuicit. Contra verò Georgius poſtulauit non vinci, qui, in lucta ne ſuccumberet, veſtimenta, bona ſcilicet temporalia, quibus arctè, contentèq; teneri potuiſſet, abiecit, ea nuditate contentus, quæ opima ex hoſte ſpolia ſibi polliceretur: vnde ex ſui cruore purpureo pallio indutus ad cæleſte Capitolium triumpharet. Idcircò Diocletianus ſuæ ſæuitiæ vndique appellans, aliam pœnarum ſpeciem in Martyrem cogitauit, vt aliquam internecioni congruam aliquando tandem reperiret. Sic peſſimè affectus ad frequentem plagarũ acerbitatem confugit: iſtam in perduellem exercens, ad mortis pabulum contundit, illius vitæ peroſus, qui tot, tantiſq; cruciatibus ſupra naturæ vires exemptus, tortoris vitã vehementiſsimè cruciatam redderet. Georgius nihil mouens, ſed animum ad conſtantiam adhortans, inter verbera multò plus doloris tyranno, quàm ſibi afferentia, verba Deo pro gratiarum actione profudit, illius benignitatem eximiè laudans: cuius ope diu, multùmq; excruciatus, adhuc tamen à ſuppliciorum ſenſu non minus, quam à culpa alienam vitam traduceret. Imperatori non ſatis viſi ſunt homines, optauit etiam dæmones ſuæ crudelitatis miniſtros adhibere; ſed non obtinuit: dum enim conſilium experitur, iſtos ſæuitiæ

Digitized by Google

teſtes, non miniſtros cognoſcit. Athanaſium magum appello, è cuius manu mortifera potio Imperatoris iuſſu Martyri hauſta, cum nihil damni attuliſſet, præter opinionem eorum, qui non ambiguam illinc à medicato herbarum ſuccu Georgij necem expectabant, illumq; diuino auxilio periculis omnibus ereptum audierũt, ipſe impius illud Diocletiano ſuggeſſit, vt, qui Chriſti ſeruis multa miracula adſcribebat, huic humati cadaueris reſurrectionem imperaret. Tyrannus impio conſilio aſſentiens, hominem iam diu defunctum Georgij ad Deum precibus è ſpecu egredientem vidit, ſimulq; Chriſtianæ religionis encomia prædicantem, ad Martyris pedes obſequij ſtudio ſe prouoluentem nunquam amplius ab illius latere diſceſſurum oculis eòuſq; iniquis proſpexit, vt, quicquid eſſet, dæmoniacis artibus aſſignaret: magus verò totum aliud ſentiens, cum inter hominis rediuiui amplexus Chriſtum verum Deum eſſe fateretur, vterq; glorioſam mortem à Diocletiani ſeueritate reportauit. Admirandos rerum euentus diligenter, ſi libet, AA. obſeruate. Ex poculo, quod Martyri ad necem porrigitur, potans ipſe, ac pocillator tantum vitæ excipiunt, vt illius beneficiũ mortuis liberaliter impertiant. Hoc loco re ipſa Georgio cum Pſalmographo ad Deum licet exclamare: *Tranſiuimus per ignem, & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium.* Enimuerò, cum ignem non modò pedibus, ſed etiam membris omnibus conculcaſſet, aquam ex Acheronte, aut Cocyto quaſi aſportatam ore excepiſſet, ex vitæ immortalis fiducia iucundiſſimo ſolatio perfuſus eſt. Imperator in tanta rerum anguſtia, quid rerum agat ignarus, ad priora conſilia reuertens, Georgium in vincula iterum conijcit: vt, cui non poterat vitæ ſpatium varijs cruciamentis intercludere, ſaltem Chriſtianæ fidei ab eo propagationem, cui ex Gentibus non pauci adhæſerunt, præpediret. At illud quoq; imprudens egit, aut demens: vnde enim fieri poteſt, vt veritas coarceatur, ſi ad clariorẽ ſui proſpectum arctè cohibetur? Iteratis vinculis Diocletianus Georgium adſtringens, catholicæ veritatis potentiam ab eo lucidiorem expreſ-

Pſal. 45.

preſſit, plurimis hominibus vario morborum genere laborantibus, qui illum in carcere inuiſerāt, priſtino ſalutis loco non alio, quàm crucis figuræ medicamento reſtitutis. Quod varia ſupplicia ſæpe, ac ſepius repetita non potuerunt, illud verborum lenocinio tyrannus, ſe impetraturum cogitauit: quamobrem amanter, & placidè Martyrem alloquutus, poſt tribunatus dignitatem, multa per caput ſuum iurando pollicetur; cauſam verò, cur vſq; ad illum diem non exiguis pœnis ipſum exagitarit, propriæ à natura iracundiæ adſcribit. Inde anxio roganti, vt ſe in Apollinis templum ad ſacrificia comitetur, annuit Georgius, etiam per ludos, iocoſque omnem acerbitatem ſuperaturus: vt qui venenum corde premens, mel ore oſtendebat, mutuam deludendi artem nō ſecus, ac notus deluſor referret. Neſciuit mens barbara (quod ſemper exoptabile habuit) Georgij ſententiæ mutationem lætanter in fidem non admittere. Tormentis iam defeſſum, quaſi ſomnians, eum credidit, qui illorum ſingula inconcuſſo animi robore delaſſauit. Falſam opinionem induit, eum mortis horrore percitum, à quo mors ipſa perterrefacta non ſemel receſſit. Inter iſtas irriſiones è throno deſiliens, illum cariſſimè amplectitur, tandem reſipiuiſſe ſibi gauiſus, illi ex animo gratulatur. Interea de ipſius ad deos conuerſione per edictum populus admonetur, Apollo, vt potè Chriſti victor celeberrimus in vrbe prædicatur, & Diocletiani prudentia ſummis laudibus extollitur: qui veluti è petra ſanguinem eduxerit, aut piſcem in aere captauerit. Vniuerſi ciues poſt Imperatorem, ac Georgium, templum adeunt, rem nouam, diuq; ambitam magis, quàm ſperatam conſpecturi: & illic thus falſo deo adolendum paratur. Vbi nemo negatam ſæpius oblationem curioſus non expectat, Martyr inter nulla obſequia exurgens hiſce liberrimis vocibus idolum appetit. Tu igitur Apollo, numen, cultumq; diuinum tibi arrogas? Cui ille: Ego mihi diuinitatem non arrogo, quinimmo vnum Deum rerum omnium conditorem Chriſti Ieſu Patrem conſtantiſſimè fateor. Ipſe nos angelos creauit, & culpæ noſtræ flagellis ad infe-

ſe ipſam ex animo commendauit. En Diocletianus vltimo furoris loco adactus, illius cor cunctis Ætnæis ignibus accenſum, animuſq; Caucaſo monte aſperior. En Alexandræ maritus, hoſtis iam illi factus: en Imperator Imperatricis ſuæ, nõ quaſi ſuæ, ſed ſuimet carnifex immaniſſimus; qui, dũ vxorem cruciat, ipſum ſe (quoniam vxor altera ſui pars eſt) crudeliter, ne ſentiens quidem excruciat: quia animus nihil aliud, quàm in Chriſticolas pœnarum curas, & cogitationes apprehendit. Quàm longe hæc abſint à veritate, illinc colligite; AA. quòd Diocletianus non tam mox vxorem Chriſtianam intelligit, quàm mox Georgium Imperatricis deceptorem vocat; cum ad immortalitatem ducem ſtudioſiſſimũ deberet nuncupare: & ne lõgius protraheretur tragœdia, qua ſe actorem potiùs, quã alios actos propria ſæuitia defatigarat, Georgium cum Alexandra decollandum cenſet, illud fortaſſe non ſine ambitione vſurpaturus, nullum in Georgij corpore membrum à ſe tortore acerbiſsimo crudelem lanienam non inueniſſe. Martyres ad ſupplicij locum exporrectis frontibus adducti, illum, veluti cæli oſtium, vnde ad æternam felicitatem aditus ſibi pateret, Georgius dextera, Imperatrix læua (ne vlla pars obſequioſo officio careret) flexis genibus, conſalutarunt. Ille necem ſibi indictam nõ minùs à veræ fidei flagrantia voluntariam, quàm à furenti Imperatoris animo extortam, cæleſtibus etiam animis teſtaturus, ſingulis tortoribus diuina miſeratione indulgentiam ſuppliciter poſtulauit: indeq; Alexandra, vt inditæ cum imperio à natura maieſtati conſtantia vſq; ad martyrij conſummationem ſuppeteret, fuſis cum gaudio lacrymis precata eſt. Preces vtrinque exceptæ, multos ex Gentibus fidei orthodoxæ, quam antea auerſantes, Georgij tormentis miniſtrarunt, cum ipſius voluptate non vulgari Alexandræ palmarium inter admiranda intrepidi animi indicia pepererunt. Iſta fortitudo, quæ in muliere Imperatrice animum non modò virilem, ſed etiã heroicum timoris affectioni imperantem omnium oculis obiecit, Georgium; qui ſexus imbecillitati non parum timebat, iu-

Digitized by Google

cundiſſime affecit: enimuerò, quam per martyrij ſtadium nihil timentem, hanc ipſam capitis amputatione brauio feliciter potitam aſpexit. Quod fuit in cauſa, cur ille ad auguſtiſſimæ Imperatricis exemplum, collo percuſſoris longe iucundius dato, diem illum Beatorum choris peculiari applauſu, ingentiq; pompa perpetuo celebrandũ exhibuerit. Id ipſum præſtitit nobis, qui mortales ſumus, vt præſentem ſolemnitatem albo lapillo apud ſuperos ſignatam, ritu plurimum certè pietatis redolente, ad ſui gloriam nulla temporis vetuſtate obliterandam, celebremus. Iſtud officium à noſtri omnium vita, quę in ortu ipſo velox ad occidentem currit, enixè obſecro, AA. ne occidat; quinimmo in terris nõ minùs religioſe, quàm decet, agitatum, ad perpetuam ſui agitationem feliciſſimos poſtes nobis recludat in cælo.

S. Aldebrandus in vita ad epiſcopatum, poſt mortem ad patrocinium à Foroſempronienſibus appellatus.

ORATIO VIII.

CVm Romanæ æloquentiæ princeps M. Tullius nihil à veritate alienus ſententiam illam perpetuis litterarum monumentis conſignauerit: *Non nobis ſolùm nati ſumus, ortuſq; noſtri partem patria vendicat, partem amici*, ecquid, obſecro, deuinctionis profitendum cenſeamus ijs, qui patriam noſtram opera quolibet tempore, & loco fouere non deſiſtunt? Hinc animus meus arctiſſimis laqueis irretitus, ſolutionem non quærit, ſed ligaminis potiùs cognitionem hodierna die D. Aldebrando ſacra oſtendendi anſam lætiſſimus arripit: dum ille Fori Sempronij patriæ meæ cauſas in cælesti foro benigniſſimè tueri non dedignatur, olim epiſcopali munere

Off. lib. 2.

inſi-

inſignitus. Igitur nequicquam abſurdum, credo, iudicabitur, ſi multis vobiſcum precibus contendo, vt humillimo à mea inculta lingua tanto Præſuli obſequio attentis æqualiter, ac pijs auribus ſequelam exhibeatis. Quod multi perperam fortaſſe ſentientes, naturam Aldebrando nouercam fuiſſe affirmant, quippequæ illum Sorbetuli propè Cæſenam genuerit, ego matrem prouidam ſimul, & liberalem non vereor nuncupare, quoniam loci nobilitatem abſque vlla illius culpa denegando, occaſionem præbuit, vt locum ipſum ſuis eximijs virtutibus cum ſumma ſuimet laude illuſtraret. Vnde quicquid encomij oratio mea in eũdem adduxerit, ſemper integrum aſſeruabitur, nulla quidem vel minima parte cuiquam impertienda. Cum in puerili ætate non puerili ingenio, ac iudicio grammaticæ ieciſſet fundamenta, vt iuriſprudentiæ turrim cum theologiæ muro exſtrueret, vnde Aſtræam, quæ iam pridem hominum ſceleribus offenſa aſtris caput condiderat, venerabundus contemplaretur, ad Portuenſe monaſterium Canonicorum Regularium Lateranenſium prope Rauennam commigrauit: vbi eo tempore optimarum artium Academia floreſcebat. Illic voluptatibus, & delicijs, quæ nihilò minùs iuuentutem appetunt, quàm ab eadem ardenter adeò appetuntur, vt etiam in ſenecta difficillimè deſerantur, nuntio remiſſo, ne voluntas libera vagaretur, eidem Canonicorum Ordini ipſam prudentiſſimus mancipauit. Ex hac turri alijs diſciplinis, quaſi lateribus eminenter aſſurgente, conſpicuũ illucuſq; Aldebrandi meritũ apparebat, vt cũ Ariminenſes Canonici, Præpoſito recenter defuncto, à Portuenſis Collegij Doctoribus ſucceſſorem ex iam diu inueterata conſuetudine anxij poſtularent, ille ſupra ceteros morum integritate, ac doctrina, dignus fuerit nominatus. Electionem nihil immaturitatis habuiſſe, ipſius rei exitus planiſsimè comprobauit: cum enim Ariminum ingreſſus, demandatum ſibi munus obijſſet, nihil aliud mente, animo, cogitatione deniq; tota ſecum ipſe tacitus euoluit, quàm vt illuc à Deo vocatus, ad exactam ipſius gloriam, vrbiſq; vtilitatem omnia

nia

nia exerceret. Verùm quid nam optimis operibus maximè ferueſcenti accidit Aldebrando? quod optimis viris non raro ſolet euenire, vt, quò promptiùs, quò robuſtiùs Deo inſeruiunt, dæmon concitatis è barathro furijs, illorum vires conetur eneruare: dum enim in foro ante primariam Eccleſiam concionaretur, poſt acerrimam vitiorum deteſtationem, potiſſimùm contra illos, qui bona Eccleſiaſtica iniquì occupare non dubitarent, tanta populi exorta fuit commotio, vt, niſi per fugam extra mœnia propriæ ſaluti conſuluiſſet, nunc martyrij corona redimitum coleremus. Sed alia palma illius manum in cælo decoratura ſuccreſcebat, quæ affluenti ab eiuſdem membris ſudore irrigaretur. Iſta à foro Ariminenſium fuga Foro Sempronij, quicquid profectò animi angoris erat fugans, ſucceſſiuam lætitiam felicitatis compotem adduxit: enimuerò, cum legati ad eum miſſi, vt ad epiſcopatum illis diebus vacantem appellarent, ac ante D. Gaudentij cœnobium, quod à mœnibus parumper diſtat, inueniſſent, inter obſequioſa verborum officia vſq; ad obteſtationem procumbentes, aſſenſum, ſed cum aliqua difficultate impetrarunt. Difficultas (vt alias vero ſimiles cauſas prætermittam) illinc fortaſſe conſtabat, quòd viro hiſtorijs erudiſſimo ſuppetebat Tiberianum illud, licet ſimulatum, apud politicorum principem Tacitum: *Se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didiciſſe, quàm arduum, quàm ſubiectum fortunæ cuncta regendi onus.* Verùm, vt à muliere exoculata populi impetum ab experientia non alienum, quem fuga declinauit, obliuione deletum indicaret, cum Sereniſſimo Dauid gaudio perfuſus canebat: *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores*; quin à Chriſto acerbiſsime paſſo doctrinam maximè proficuam, loquaci ſilentio expreſſam apprehendit: qui ſputa, alapas, atq; multas percuſiones, oculis velo cõtectis non temerè accepit: verùm, vt nequiſſimos iniuriarum miniſtros nequicquam aſpiceret. Hæc apud Aldebrandum perpetua obliteratio rerum viciſſitudinem peperit à plurimum merendi opportunitate fortunatam, vt à præpoſituræ gradu, tur-

Annal. lib. 1.

Pſal. 128.

bis

bis non parùm concitatis,ad pacatiſſimum epiſcopatum commigraret. Foroſempronienſes Paſtorem flagrantiſſimè ambitum, & à ſummo Pontifice confirmatum, tanta hilaritate ex cordibus prodeunte exceperunt, vt cum hominibus innumeris etiam bruta, arbores, & plantæ, mœnia, priuatiq; lares geſtire viderentur, tanquam hæc omnia à ſanctiſſimo viro opulenter felicitanda. In nouo Epiſcopo ſtatim ciuitas omnigenæ virtutis ſedem agnouit. In eo vigebat Dei pietas vera, proximi caritas flagrantiſſima, fides promiſſorum inconcuſſa, afflictorum miſeratio inaudita, vigilans ſemper orphanorum, viduarumq; cuſtodia, ciuium concordia ſtudioſa, negotiorum agitatio dexterrima, luxus abalienatio admiranda, cibi, potuſq; non mediocris parſimonia, nihil interpolata carnium, viniq; abſtinentia, per aſperum cilicium ſenſus domitura, nullius eloquenti ore, calamoq; ſatis vnquam laudata, in egenos eleemoſynarum erogatio liberaliſſima, earumdem etiam ad ædes miſſitatio optimo cuiq; diligentiſſimè obſeruata. Quæ omnia in vnum certatim coeuntia omnium animis altiſſimè ingerebat, fide nihil dubia retinendum, Aldebrandum ſubſtantiæ cæleſtis potiùs eſſe, quàm terrenæ. Enimuerò carnis apud illum pondus, quod ſui natura ad ima propendere conſueuit, germanæ humilitatis fulcimento ſublimè adeò extollebatur, vt totus cæleſti materia conſtare videretur. In tot rerum, quæ moderationem certè non vulgarem reſpiciunt, nihil exagerata recenſione, quaſi memoriæ exilitatem obijciat, aurem mihi vellit ipſius cubile eò maiori admiratione dignũ, quò minori trāſactis ſæculis hominum conſuetudine vſurpatum, ex ligneo ſcamno inter lectum decenter ornatum, & parietem palmarum ſtrato ſuper poſito (vt corpus abſtemium, præter aſſiduam abſtinentiã, & cilicium, foliorum duritiei aſſuetum in rerum aduerſarum aſperitate faciliùs duraret) in frequentibus contra nequiſsimos aduerſarios prælijs, nihilò quidem rariores victorias relaturum: inſuper vt poſteritati vniuerſæ à diuina prouidentia apud eum, quàm diu vixit, iuſtitiæ vſus innoteſceret, cuius virtutum om-

nium maxima palmæ hieroglyphico denotatur. Eadem folia illius in concionibus facundiam, fructus optimum exemplum, quo verba auditorum vtilitati condiebantur, referebant: feſtis nanq; diebus oues ſibi commiſſas diuini verbi alimento ſanis mentibus ſuauiſſimo nutrire non ceſſabat', tanta auditorum copia, vt ædis primaria olim anguſta, licet ab eo dilatatione accepta, gloriaretur. In diuini ſermonis ſatione ſatis epiſcopali officio facturus, totus erat, illud non impropriè appellans, medicinam ægrotis maximè proficuam, lucernam cæcis præfulgentem, lotionem omnium ſordium purgatricem nunquam inanem, gladium ſpiritus vtrinq; acutum, ignem crimina comburentem, rorem animas refrigerantem ſimul, ac fœcundantem, aquam earumdem ſiti extinguendæ accomodatam, vuamq; vinum optimum emittentem. Quocircà tantam diuino verbo vim ineſſe affirmabat, vt ſi Iudas Chriſtum in nouiſſima cœna ex more concionantem audiuiſſet, nunc deteſtandæ proditionis pœnam apud inferos æternùm excruciaturā non ſuſtineret. Quàm gratus Deo contingeret huiuſmodi laudatiſſimi operis labor, admirandæ rei euentu voluit comprobari: cum enim die quadam ex temporis, argumentiq; oppurtunitate feruentiſſimam haberet concionem, hirundinum, quæ in Eccleſiam copioſè aduolarunt, cātus adeò ſtrepens obortus eſt, vt aſtantium aures penitùs obtunderentur, quò minùs vox Epiſcopi exaudiretur: qui ſtatim vt auiculis garritum interdixit, nulla illarum non obmuteſcente, omnia verbo Dei tanquam validiſſimo cedere celebri exemplo demonſtrauit. Et illinc communis omninò de Aldebrādi ſanctitate opinio ab illius miraculi fama cœpit percrebeſcere: donec ſummus Imperator Deus beatorum Spirituum ſocietate, trutinatis meritis, dignum iudicauit. Quamobrem geminata ægrotatione, indèq; non mendaci mortis præludio agitatus, ætate videlicet iam attrita, grauiq; ſupra, quàm dici poteſt, inappetentia in cælum, cui creatus fuit, inter noua ſemper miracula anxijſſimus anhelabat: ex quibus duo precipua in medium affero. Qui ægroto Præſuli neceſſaria curabant,

bant ; nihil intentatum reliquerunt ; vt illi aliquo modo famem irritarent; quod niſi contigiſſet, omnia medicamenta penitùs irrita fore, non inſipienter præuidebant;præſertim cum vires inedia non breui quàm maximè delaſſatas madidis oculis aſpicerent : optimi nanque paſtoris percuſſio oues potiſſimùm optimas grauiter non poteſt non attingere: quarum corpora,& animas paſcua difficillimis etiam tẽporibus vireſcentia,haud auariter alere conſueuerunt. Neq; illud mihi obijciatur: poſt nouiſſimi Præſulis obitum à ſumma ſummi Pontificis benignitate ſucceſſor non defuiſſet, qui prædeceſſoris exempli ſtimulis acriter impulſus, partes ſuas non paſſus eſſet deſiderari; quia præterquamquòd quarumlibet gubernationum mutationes periculo non vacant, rerum viciſſitudo, cui orbis terrarum ſubiacet, non parùm ſæpenumerò timoris ſecum poteſt afferre. Verùm ne à rerum ordine memoriæ lapſu nimiùm diuagari videamur, qui Aldebrando aſtabant, famuli, perdicem aſſam inter duas patinas appoſuerunt, veluti cibum inſolitum, ideòq; illius palato fortaſſe non incongruum, ea ſpe freti, prudentiſſimum ſenem, niſi ſuæ met neceſſitati, totius ſaltem ciuitatis, quæ in ipſo longiorem adhuc ætatem libentiſsimè vidiſſet, deſiderio indulturum: ſed excruciatricem cordium paſsi ſunt fruſtrationem; eius enim oculum auem aſpiciens, intellectum ad rei nouitatis deteſtationem, hanc ipſam voluntati ſuaſurum appellauit. Aldebrandus rerum naturalium peritiſsimus, cum in perdice amoris turpiſsimi, immoderatæ nequitiæ, frequentis contumeliæ, nec non prauæ aſtutiæ ſymbolum agnouiſſet, eidem figura crucis expreſſa, vt iterato plumarum indumento in ſyluas volatum explicaret, imperauit: quæ iuſſio impleta ſeruorum oculos, mentesq; incomparabili admiratione impleuit, illud attento animo contemplantium, tantam eſſe Epiſcopi ſanctitudinem, vt eadem iubente, ſtrepentes hirundines,non ſecus, atq; vita caſſæ obmuteſcerent, perdices autem contra necis, igniſq; iniuriam aduolarent. Vnde mirabilis adeò Deus in ſanctis eluceſcit, vt natura,

quæ omnia poteſt, iiſdem ſecus volentibus, nihil poſſit: contra verò, quæ nihil eſſe videntur, vires validiſſimas induant: cuius rei intelligentiæ oneri ingenia liberali naturæ beneficio maximè acuta, nec non iudicia æqualiter matura facillimè ſuccumbunt. Ecquid verò Chriſtiana fides viribus ſupra naturam euecta, Præſulis noſtri apud Deum merito (licet incredibile videri poſſit) non adſcribat, ſi vernales fructus ab hieme ſupra omnium opinionem rigeſcente decerpſit? Voluit Deus, vt ſanctiſſimo famulo ſuo, qui bonis operibus nullam peculiarem diem aſſignauit, ſingula anni tempora abſq; vllo diſcrimine obedirent. Ne temerè loqui videar, AA. monſtri exemplũ certè monſtruoſiſſimum, ſed tamẽ breuiter expreſſum, reiq; conſentaneum accipite. Vt ciborum in Aldebrando repulſa pertinaciæ vocabulum apud aliquos euitaret, ille Ianuario menſe non inconſultò ceraſa poſtulauit. Ex iſta intempeſtiuæ cupiditatis expreſſione famuli non paruam in ſene ægroto mentis abalienationem fortaſſe conijciebant, intelligentia non aſſequentes, haud morbi delirium, ſed diuini amoris deliquium eſſe; vnde anima Creatori ſuo arctiſſimè coniuncta, gloriæ cæleſtis arrha fruebatur, ex miſeriarum valle ad colles amœnos, è ſyluarum curis ad viridaria floribus, fructibusq; referta, à lacrymis ad gaudia, & iucunditates nulli amiſſionis periculo obnoxias transferenda. Hac de cauſa reſponſum alto ſilentio inuoluunt, ea re plurimum triſtes, quòd domino morum innocentia cum Angelis abſq; illorum iniuria cõparando, non corde ſolùm, & pede, ſed etiam re ipſa ex eiuſdem inexplicabili merito, ſuoq; ſimul deſiderio non valeant inſeruire. Quibus ille: Petite, inquit, aram, in qua immortali Deo ſacra faciebam. Et quoniam illorum quilibet ad ſerui frugi exemplum ſe-ſe diligenter inſtituerat, vt quod heri frons vellet, oculi ſcirent; quaſi alis ad pedes certatim ſibi aptatis, viam voraturus, ne minima temporis interpolatio mandatum voraſſe videretur, abeuntes, ceraſa tam recentia inueniunt, vt nemo non aliunde, quàm ex arbore indubitanter allata non affirmaſſet. Nemo illud ſibi

im-

imprudenter perſuadeat, Aldebrandi ceraſorum petitionem à ſenſu ſcaturiginem duxiſſe; ſed à ſpiritu: non ab illo, quoniam, vt, veluti pars inferior, ſuperiori (quod æquitas poſtulabat) pareret, prudenti fræno cohibebatur, ſed ab iſto, qui vel in arcta corporis cuſtodia ſuimet vbiq; locorum cuſtos, pede inoffenſo, liberè diuagabatur: quia ab eo nunquam aberat Dei gratia ex ardenti cupiditate perpetim beatura. Ideò ceraſa flagitauit, non vt corpus ſuum paſceret, ſed ouium animas alimonia ſpirituali, cæleſti nimirùm doctrina ſilenter facunda imbueret, eam hominum fiduciæ in gremio Dei repoſitæ vim ineſſe, vt res quoq; impoſſibiles deſiderio obuiæ nihil ab exitu ſuſtineant deceptionis. Aliud quidpiam doctrina continebat magis reconditum, & abſtruſum, ſed Ægyptiorum more antiquiſsimo denotatum. Cuiuslibet veſtrum, AA. idea ficulneam apprehendat, ad quam Chriſtus, obrigente hieme, Apoſtolos miſit, qui fructus collectos aſportarent: cumque illis vacuam audiuiſſet, ira quaſi percitus maledixit. Quidnam arbor commeruit, ſi tempore haud ſuo ficus non produxit: Naturæ potiùs apud eam illiberalitas accuſetur, quæ non maioris illam peperit fœcunditatis: & tamen à maledictione ac tutum legitur exaruiſſe. Origenis eruditio acutiſsima in ficulnea, Hæbreorum ſynagogam myſticè cognoſcit: à qua Deus ſingulis temporibus ex decenti neceſſitate bonorum operum fructus non exegit. Optimus igitur Paſtor monitu ouibus maximè proficuo nouiſſimum diem ſibi claudendum iudicauit: vt bonorum operum lacti, lanæq; ferendæ nullum peculiare tempus præſcriberent, dummodò in libro vitæ ſcribi vellent, cum irreuocabile iudicium agitabitur, ab hædis, æterno igni addictis feliciter ſeparandæ. Ecquis ardentem adeò caritatem in Aldebrando quotidie grauiùs ægreſcente ſatis valeat commendare, niſi tabulis æneis cum Saturni fame nunquam ſatiata ſine detrimento certantibus commendet? Hanc ipſam commendando non minùs decertent innumerabiles ægroti, præcipue verò energumeni, qui, deſperata valetudine, ab vnico illius intuitu cum

be-

benedictione, non ſolùm Foroſempronienſes, verùm etiam ex alijs vrbibus proximis (adijcio longinquis) atq; potiſſimùm Ancona ad illum adducti optimè conualuerunt. Cur autem non conualuit Æſculapius, penè dixerim diuinus, Epiſcopus Aldebrandus? Vt qui clientum cauſas in terra, ſupplicibus libellis in cælum miſsis, indefatiganter defendit, illuc receptus, ad laborum, quos diutiſsimè, ſed tamen nunquam ægro animo tolerauit, mercedem recipiendam, ante ſanctiſsimæ Trinitatis tribunal patrocinium præſens faciliùs exerceret. Et quoniam huiuſmodi exercitationis dies feliciſsima iam aduenerat, ſanctiſsimus vir multis miraculis clarus, ad clariorem vndequàq; lucem eſt appellatus: quæ ſplendorem mutuatur à lucerna, cognomine Agno, qui ad occiſionem ductus, nec etiam muſsitando factus eſt leo: qui de tribu Iuda in elephantum libitu ſuo conuerſus, in pugna cum tetro dracone exanguis cadendo illum confregit, poſt confractionem cunctis ſæculis celebrandam, rediuiuus cũ captiua captiuitate triumphator glorioſus in cælum recipitur. Eadem nocte ante calendas Maij, qua è viuis ſublatus primò aſpicere debuit triumphatorem, illi gratiarum actionis officiũ obſequioſiſsimè ſoluturus, matutinis horis primariæ ædis campanæ, nullo penitus pulſante, mœſtum concentum, quaſi Domino ſuo iuſta celebrantes, ediderunt. Hinc Foroſempronienſium corda duas contrarias affectiones altiſsimè contraxerunt, gaudium ſcilicet, ac mœrorem: alterum, quòd Paſtore carerent, cuius, poſt conditum orbem inaudita caritas nullum ſucceſſorem præſagibat, tanta veneratione proſequendum: illum nanq; præſulatus virtutum omnium ancillatu conſpicuum adeò oſtendebat, vt parentium deſiderio nihil in ipſo reliquum foret; præter æternitatem: alterum, quòd priuatio, licet valde ſolicita, ſaltem futura eſſet temporaria: inſuper nulli, vel minimi ponderis malo etiam imaginario obnoxia, ſed potiùs felicitatum omnium, quæ in cupiditatem cadunt, theſauro ditata. Corpus illud nullius opinione non ſanctificatum, quod cõgruo ſepulchro donari

de-

debuit, in Eccleſia ab eo ædificata fuit collocatum, omniũ oculis, omnium oſculis, tanquàm parenti optimo impingendis obuium, vt aliud miraculum aſpectarent: tecto enim nondum completo, maximus imber exortus parti dio expoſitæ pepercit, ne aqua naturalis importunè illum ablueret, quem, poſt ſacrã baptiſmatis lotionem, diuina gratia, veluti balſamum cuiuslibet corruptionis immunem cuſtodiuit. Tam inſolitæ rei admiratio ſermonem effundebat, non qualitate, ſed magis ex hominum minori, maioriue facundia varium, vtrinq; tamen meritiſſimis laudibus cumulatum. Quàm plurimi non incurioſè obſeruarunt, primam Maij diem illius vitæ fuiſſe nouiſſimã: vnde non parum ſpei obijceretur, ipſum, curarum, ac ſolicitudinum hieme tranſacta, bonorum, quæ firma, ac vera ſunt, vere frui inter Zephiri, nempe Spiritus ſancti flatus iucundiſſimos. Idcircò nihil admirationis capiendũ fuit, ſi tot homines ex Vrbinatibus, Callienſibus, alijſq; vicinis vrbibus ad tanti Epiſcopi obitus famam accurrerunt, vt ciues Foroſempronienſes breuiſſimo temporis interuallo congeminaſſe viderentur. Canonici exterorum frequentiam aſpicientes, eorundem ſiti extinguendæ vini doliolum aſſignarunt, ex quo, cum ſupra duo hominum millia ſine vllo liquoris decremento bibiſſent, non tam mox quidam admirabundus expreſſit: Quid nam, obſecro, iſtud negotij eſt? Igitur innumeri homines vino exhauriendo non ſufficiunt? quam mox Dei prouidentiæ, vt Aldebrandi famuli gratiſſimi funus decoraret, fide in illo fortaſſis deficiente, vinum omninò defecit: ſed non defecerunt miracula, & prodigia, quanuis Deo placuerit hæc ipſa (ne illorum nimia frequentia hominum mentes obruerentur) interpellare. Duobus poſt annis Sacriſta Eccleſiam nocturno tempore ſubiturus, vt campanæ pulſu ad matutinum Canonicos cõuocaret, ſuauem adeò melodiam audiuit, vt quàm maximè obſtupeſcens, fuerit retardatus. Re mirabili ad Archipresbyterum, & vnum ex Canonicis delata, cum ſimul ad templi fores acceſiſſent, non modò idẽ concentus, ſed inſuper fulgentiſſimus ſplendor

dor ſupra Epiſcopi ſepulchrum obortus illos ſummoperè oble-ctauit. Ingreſſis muſica defecit, ſplendeſcente luce nihil remiſſa; quinimmo illucuſq; adaucta, vt nox Phœbo ceſsiſſe videretur, non ſine impulſu, vt de celeri huius ſancti Pontificis translatione conſilium caperetur. Sed in hac ipſa non prudenter ſibi conſuluit, qui pietate impia illius digitum abſtractum ad proprios lares ſecum adduxit, ſtatimq; extemporaneo morbo cœpit laborare: cuius cauſa ſacrilego furto adſcripta, ad Sancti aram reuerſus, dum genibus humillimè flexis illum veneratur, digitum ſibi è manibus elapſum, vt priſtino loco conglutinaretur, oculis ſequutus eſt aduolantem. Homo (vt ille inquit) trium litterarum, nocte intempeſta lampadi ad eandem aram præfulgenti, oleum demere non dubitauit, illudq; furi lucem rerum omnium cariſsimam abſtulit: quocircà, cum ab Eccleſia exitum poſt longam quæſtionem non inueniret, à Canonicis comprehenſus, atq; ad Sanctum ductus, dum ſcelus ex intimo corde dolet, non ſine veniam conſequendi fiducia, priſtino luminis beneficio ſe redditum perſenſit. Sed, quoniam tempus obrepit, nec ſentitur, ego nunc primùm prolixitatem meam ſenſi ab exceſſu parùm alienã. Quamobrem ſilentio vtar, ſi tamen ad noſtrum Epiſcopum, & Patronum Aldebrandum paucis perorauero. Tu, cuius fama tot miraculis, varijs temporibus, & potiſsimùm anno præterito in ſolemni Reliquiarum tuarum translatione cõſpicuis refulget, quot in tua annoſa ætate dies numerantur: tu, qui in Sanctorum numero meritorum opulentia nouiſsimus non cenſeris, gloriæq; accidentalis ex bonorum operum, quæ alij optimo tuo exemplo pepererunt, menſura additamentum accipis: tu, cuius gratiarũ clientibus numeroſæ recenſioni illorum memoria non ſuppetit: tu, inquam, Foro Sempronij patriæ meæ amantiſsimæ in rebus incertis ſemper certas ex diuturna conſuetudine ſuppetias ferre ne recuſes: quæ tibi plurimum debere gloriatur, huic deuinctionem adaugeas, benignum patrocinium (quod humillimè obteſtor) ne ſubtrahas: vt paucis abſoluam, quem libet tuæ ſanctita-

ti

ei addictum ex deſerto, vbi ſerpentes, peccata ſcilicet, veneno mortifero animas inficiunt, ſeu potiùs conficiunt, educas; vt cæli opportuno tempore, quod temporũ diſtributor Deus ſapientiſsimè ſtatuit, potitus, feliciſsimi aſpectus tui deſiderium diutiùs non patiatur.

S. Philippus Nerius in toga Chriſti miles præcinctus, & lucerna ſplendidus.

ORATIO IX.

SI ab optimo Hus terræ incola, inconcuſſo rerum aduerſarum ſcopo, patientis cognomine inſignito, humanæ vitæ definitionem percõctemur, illicò reſponſum accipiemus: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. Quamdiu enim huius lucis vſura fruimur, nulla nobis neq; diurnæ, neq; nocturnæ quietis particula ab inferis hoſtibus impertitur: eòq; acerbiori bello diuexamur, quòd illi dillucidè aſpiciendo, atra caligine inuoluti minimè conſpiciuntur; nos arma cæco Andabatarum more, indèq; inæquali Marte agitamus. Contemplemur, obſecro, in hac belligeratione, AA. ingreſſum robuſtiſſimum Athletam Philippum Nerium, qui Florentię communem lucem aſpexit XI. Cal. Auguſti anno ſalutis MDXV. Neq; natalitio diei myſterium defuiſſe arbitremur, nempè cum Phœbus curſu perniciſſimus terreſtrium animantium regis ſignũ adire conſueuit, atq; in Vaticano Summus Pontifex Leo nomine X. ſedebat: vt temporis curriculo innoteſceret, humilitate, manſuetudine, ac ſimplicitate Agnum, in decem præceptorum integra obedientia, leonino robore pugnaturum contra dæmonem, hæc eadem ab hominum memoria prorsùs diluendi cupidum, non ſecus, ac leo fraudolenti cauda diligens diluit ſui ad catellorum caueam redeuntis impreſſa veſtigia, ne venatorum

Iob. c. 7.

Digitized by Google

indagantium auiditati appareant. Quocircà Principi Apoſtolorum Petro humani generis aduerſarium luciferum, leonem in circuitu vorandi cupidine rugientem (vt nemo propriæ indemnitati non conſuleret) libuit appellare. Huic ſecuritati prudentiſſimè proſpexit Philippus, qui conſtanti fide, optimiſq; operibus, ceu validiſſimis armis præmunitus, poſt multa prælia in ſeptem collium vrbe commiſſa, hodierna die, de myſtico leone triumphator cælum aſcendit. Cumq; haud ſatis exiſtimaſſet, ſe inter Chriſti milites in ſacro fonte baptiſmatis profeſſum eſſe, hoc ipſum charactere ſacerdotali ratũ habuit, cum arctiori ad ſpiritualium armorum agitationem vinculo, nec non commodiori, feruentioriq; anſa Deo inſeruiendi: cuius intimi amoris flamma adeò æſtuabat, vt de acerbiſſima illius paſſione verba effundens, iucundum inter lacrymas animi deliquium perſentiret, Canti-
Cap. 1. corũ illud non infrequenter vſurpans: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* A Romanarum antiquitatum lectione apprehendit, in more poſitum bellatoribus cingulum armatæ ſeruitutis hyerogliphicum reportare: indèq; accidit, vt eiuſdem vſu in ſpirituali militia neceſsitati coniunctior haberetur; ne à lege, quam Chriſtus à ſui nomine exercitus Imperator Lucæ Euangeliſtæ calamo promulgauit: *Sint lumbi ve-*
Cap. 2. *ſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris*, minimùm aberraret. Duplicis cinctorij Chriſtiano militi neceſſitatem non ignorabat: quorum alterum longum, latumq; matrimonio coniunctos, alterum breue, & anguſtum virgines in officio contineret. Quicumq; vnius ex iſtis vſum audaciſſimus detrectat, nulla interpoſita mora, inglorius, ſeu veriùs dicam, ignominioſus exauthoratur. Athletæ noſtri cingulum, arctiſſimam continentiam, quæ vltimam in eo vitæ lineam aſpexit, licet figuratè, non impropriè tamen appello. Hoc Deus in Exodo non ſupra renes, ſed in renibus, nempè caſtitatem, & munditiã, cui ceteræ animi dotes ancillantur, præſcripſit. Ne huiuſmodi virtutem aliquid corruptelæ vnquam attingat, diligenti cuſtodia opus eſt: cum nemo in

in quæſtionem adducat, quò illius theſaurus maioris pretij iure optimo æſtimatur, eò frequentiores eſſe hoſtes ipſius rapinæ omni tempore, & loco auidiſsimos. Caſtitas, candoris ratione habita, non inconcinnè lilio comparatur, ſed quàmplurimis ſpinis vndiq; circumſepto: hæc enim virtus innumeris tentationibus, quaſi turba ingruentibus, obnoxia, cum ſe in vado ſalutis opinatur, tunc quidem læſionis diſcrimen opinione citiùs experitur: vnde fulgentiſsimum Eccleſiæ lumen Auguſtinus docuit, duriora eſſe Chriſtianorum prælia caſtitatis; quia belligerandi frequentiá rara victoria comitatur. Iſta raritas à Diuo noſtro Herculeis viribus munito ſemper abfuit, quem oppugnatio nunquam non viuida cum maximo ſui rubore, atq; illius æquali gloria in caſſum appetiuit; ideòq; non breui experimento eſt edoctus, in ſpiritualibus pugnis à fuga, potiùs, quàm ab armorum fragore victoriam deriuari. Tunc præſertim iſtam ſcientiam omnium vtiliſſimam calluit Philippus, cum à fœmina impudica ad ſimulatam culparum confeſſionem, ſed veram ſui corruptelam accerſitus, non tàm mox luxuriante cultu ornatam, quàm mox cunctis virtutibus excultam inſpiciens, in pedes ſe coniecit ſella aſſociatus, quam ſceleſta odio inardeſcens, ad ſuimet irriſionis vltionem, ſed penitùs inanem proiecit, quinimmo hæc ipſa veluti rationis compos læſioni venerationem præuertens, illi ſolium exhibuit, cum in argenteo caſtitatis curru de libidine non ſine aliarum virtutum applauſu triumphum reuexiſſet. Sed illud à vobis non importunæ obiectionis audire mihi videor. Si caſtitas tot, tantiſque telis impugnatur, quò loci apud ſanctiſſimum virum ſe recepiſſe exiſtimemus? Diuinæ gratiæ ductu nemini prorsùs volenti non obuio, ad excelſam puritatis arcem, reſpondeo, quam triplici armorum genere à ſe antea communitam inuenit, ſobrietate, oratione, ac eleemoſyna: quæ in vnum certatim coeuntia turritæ virginitatis in Philippo, hoſti præcluſit aſcẽſum. Illinc abſtinentiæ, ieiunio, & ſenſus camo, quicquid commodi, ac deliciarum fuit, maximè auerſatus, ſe addixit, quippè

qui optimè nouerat, optimum cinnamomum in rupibus ferè inacceſſis reperiri: continentiam verò à victu, cultuq; aſpero demanare. Iſta viuendi ratio cingulum ſancto Patri obtulit: quemadmodum enim illud non ſericum, neq; laneum, ſed coriaceũ olim dabatur militibus: non ſecùs ipſe propriam carnem loco cinctorij comprimendam iudicabat; quia non rectè mentem appellit caſtitati, qui ſenſum, quaſi indomitum equum rationi reluctantem duro abſtinentiæ fræno cohibere non molitur. Si aliud accidat, à gulæ indulgentia, veluti lignorum igni coacervatione, ſanguinis olla ferueſcente, titillationes erumpunt illucuſquè animo graues, vt initio formicæ ſenſim rependo, leones poſtea euadant, cuilibet vel robuſtiſſimo ſalutis timorem, ac periculum afferrentes. Quamobrem, ſi quis velit puritati conſulere, gulæ luxuriam parientis vitio reluctetur. Philippus Ioannis Baptiſtæ adhuc pueri in eremo ex locuſtis, ſilueſtriq; melle cibum contemplanti animo volutabat; vtq; volutatio nihil haberet inanitatis, in iuuentute arctè adeò coluit abſtinentiam, vt poſtea ſacerdos longè impenſiùs exerceret, ad prandium pauco pane, vinoq; per cubiculum deambulans, ad cœnam vno, aut altero ouo poſt acetarium cũ vnius pomi, ex anni temporum qualitate, additamento contentus. A lacticinijs ſemper alienus, piſces rarò, carnes rariſſimè comedit, ea opinione cum D. Bernardo imbutus, iſtis ſenſum, ſimulq; vitia enutriri. Secundum genus armorum caſtitatis tutamini (quod initio diximus) fuit oratio: cui illud roboris ineſſe, nemo ſanæ mentis inficiatur, vt cuſtodia temperantiæ, virginitatis ſigillum à ſacris auctoribus nominetur. Hinc tantam attrahit defenſionem, vt Ioſeph impudicum Reginæ, ac Dominæ reiecerit inuitamentum. Iudith matronarũ omnium pulcherrima Holophernis caput ſuperbiſſimum, illæſa caſtitate, amputauit. Suſanna geminam duorum ſenum iniuriam peſſimis dolis conſutam, noſterq; Philippus ter maximus duarum mulierum, quæ cubiculum, ad illius integritatis labefactationem, furtim intrarunt, libidinem, diuina fauente gratia, cohibuit. Ex iſto,

Digitized by Google

necnon alijs ſimilibus exemplis, quæ ſacras hiſtorias legentibus occurrunt, ab oratione meritum conſequendi conſilium cepit, illibatam virginitatem perpetuò ſeruaturus, optimè ſciens, cæleſtem Sponſum in huiuſce virtutis apud Sponſam commendatione eam aptè ſignato fonti comparare. Vtq; orationem virginitatis prodromam demonſtret, ipſius veſtimentorum fragrantiam thuris odorem appellat. Tot, tantæq; vires orationem indiuiſim comitantur, vt quo etiam tempore exercetur, non vulgarem menti afferat puritarem. Num vera loquar, AA. non alium, quã Sponſam ipſam, nunquam profectò mendacem, teſtem aduoco: vix enim thuris (quod orationem indicat) collem conſcendit, cum à Sponſo vndiq; pulchra, & ſemper immaculata dilaudatur, vtpotè illa, quæ eximium ab oratione candorem mutuauerat. Et quoniam Philippus collem iſtum non breui temporis ſpatio frequentiſſimè incolebat (vnde nihil admirationis oriatur, ſi Oratorij Congregationem inſtituit) eam internam pulchritudinem verè percepit, quæ clauſi animi anguſtias aſpernata, liberaliter adeò ſe corporeis membris, præſertim verò oculis ingeſſit, vt pictores omnium ſcitiſſimi, maximèq; experti neq; pennicillos, neq; colores ad eius ſimilitudinis expreſſionem idoneos inuenirent. Ecquis autem venuſtiſſimæ faciei lineamenta rectè finxiſſet, ſi Spiritum ſanctum, ne ſuis fauorabilibus gratijs illum decorare indignaretur, humillimis precibus appetitum, in eo iugi poſtea commoratione tam oblectatum legimus, vt ſe ab animo ad corpus transfuderit, non ſine duplici coſtæ fractura, calidiſſimaque cordis ſuſultatione à quolibet doloris ſenſu aliena: quæ totum ipſius vitæ ſpatium comitata eſt? Huiuſce rei euentus, eò maiori admiratione dignus, quò inter homines rarior, nobis faciliimè ſuadendi vim habet, caſtiſſimum illius corpus animati cæli naturam induiſſe, corpus inquam, multò defœcatius, quàm cuiuslibet optimi viri animam, cum in eius carne Spiritus ſanctus ſedem inueneris iucundiſſimam. Tertium armorum genus virginitati ſeruandæ accommodatũ ab ardenti, & nunquam interpola-

ta

ta in proximum accepit caritate, quam feruentiſſimus Dei amor potuit conſolidare. Quamobrem hæc animi duplex affectio, quam in myſtico eius cælo plurimi reuerenter agnoſcebant, illorum mentibus geminum aſtrum videbatur referre huiuſmodi vocabulo ſubiectum; vel, quia, illic manente Phœbo, virtus, quæ ſunt inferiora, fœcundandi geminatur, vel, quoniam æſtiuo tempore, cum noctes breuiores apparent, tunc aut oriuntur viciſſim, aut occidunt: vnde anſam arripuerunt poetæ geminos fratres, Caſtorem ſcilicet, ac Pollucem nominibus exprimendo, alterum ſuperiori, inferiori alterum parti adhærentē demonſtrandi. Philippus, inquā, ſe ſe iſtud ſignum obijciebat, cum eius caritas per Spiritus ſancti gratiam præoccupata, Dei, proximiq; amore ita duplicaretur, vt pars ſuperior, nempè dilectio Dei aſcenſum, inferior autē, proximi videlicet deſcenſum obiret. Quilibet Chriſti fidelis vinulæ caritatis hauſtu delectatus, totum aliud, atq; à naturalis vini, quod libidinē exſuſcitat, exitu experitur. Caſtitas vinum parit, quod luxuriam in puritatem, crapulam in ieiuniū, peccatores in precatores, delictaq; in merita valet Immutare. Hoc vino madidus Philippus animas ad Dei ſeruitiū alliciendi, laborem nullo tempore inanem ſenſit experimento. Quid verò mirum, ſi cor illius, Ætnæ inſtar diuini amoris incendio conflagrabat? Quocircà plurimi à ſalutis via aberrantes, ipſius ſaluberrimis admonitionibus in rectam remeare viſi ſunt. Ad cuius ſanctiſſimi operis conſtantiam à beata Maria Magdalena, quam patronam ſemper habuit benigniſſimam, ſtimulos illi admotos fuiſſe, pia fides tanquàm veritati maximè congruū non poteſt non admittere: enimuerò, cum eadem ab ignominia ad honorem, à culpa ad gratiam, à pœna ad præmium, à captiuitate ad regnum, à cœno ad cælum feliciſſimè commigraſſet, nullius quidem rei anxiori cupiditate angebatur, quàm vt nemo, æquabilem ſortem ab immenſa miſeratione Dei ſibi contigiſſe intimo cordis gaudio nō geſtiret. Philippi caritas omnibus partibus abſoluta, rebus etiam, quæ apud homines corporis neceſ-

ſiat-

ſitatem reſpiciunt, ſtudioſiſſimè conſultum voluit, cum nullius egeni eleemoſynæ poſtulationem vacuam dimittere conſueuiſſet: vnde ſe præbuit dignum, vt Angelo ſub pauperis forma illam non ſine ingenti vſura impertiret: quod Eminentiſſimo Cardinali Bellarmino occaſionem exhibuit ipſum Ioannis Eleemoſynarij nomine vocitandi. Ego inficiari dubitarem, hunc cælèſtem ſpiritum non alium fuiſſe, quàm, qui, dum pecuniam in pauperes erogaret, in foueam delapſum abſtraxit: quo enim pacto nunquam ſatis laudata Dei benignitas auxiliares manus non attuliſſet famulo ſuo, apud quem optimi profectò mores inceſſanti famulabantur caritati? Hoc tertium armorum genus illuc perfectionis Philippum euexit, vt eiuſdem manus illorum capiti, qui venereis titillationibus vexabãtur, impoſitio, Aſmodeum perpetuum tentatorem longiſſimè fugaret. Hic ſilentio haud inuoluendum arbitror, non modò manui, ſed etiam rebus ſenſu caſſis, quibus neceſſariò quotidie vtebatur, hanc virtutem nequaquam defuiſſe. Inſuper corpus illud incorruptæ ſanctitatis templum tanto ſenſuum purgamẽto fruebatur, vt hominum, qui luxuriæ operam dediſſent, graueolentia offenderetur: vnde opportunæ ea de re linguæ obiurgationes ſuppetere nõ ceſſabãt. O felicem, ſupra quam dici poteſt, Florentiam ab illius filij partu, qui cariſſimæ genitricis nomini cumulatè reſponſurus, in lilium florum omnium regem (ſymbolicè loquor) puritatis beneficio conuerti non ignorauit! Cur verò Philippum lilium ſimul, & Angelum non appello? Lilium culparum ſenſus immunem: Angelum, quia donec inter nos fuit, terra illius aſpectu nobilitata paradiſus, quinimmo cælum ipſum poterat nominari; quippè quæ ipſum, non tanquàm hominem intuebatur, ſed tanquàm Angelum, cum virginitas ex Diui Ambroſij opinione Angelos faciat. At ſi negotium attentiore animo expendatur, Angelicam conditionem antecellit: enimuerò quilibet in virgineo ſtatu quaſi Antheus cum Hercule, carne ſcilicet, quam Angeli nunquam induerunt, aduerſaria doloſa

ma-

magis, quàm robuſta, luctator illius relatā victoria poteſt gloriari. Virginitas commendanda eſt, non veluti Martyribus arctiſſimè coniuncta, ſed quoniam in pluribus, immo innumeris Dei famulis, ancilliſque martyrij toleratio verè Athlanticam ſe oſtendit, omneſq; nunc roſarum inſtar, in cæli viridario amœniſſimo purpuraſcunt. Ibi non ſine dæmonis magno rubore rubicundus regnat Philippus, licet non re ipſa, ſed cupiditate ſolummodò martyrium fuerit conſequutus, cum ab vrbe Roma iter Indicum anxijſſimus cogitaret, ad Dei gloriam, fideiq; propagationem, vitam (ſi adfuiſſet occaſio) non illibenti animo profuſurus. Et quanuis voti compos, prouidentia Dei ſecus diſponente, non euaſerit: nouit tamen in ipſa virginitate martyrium reperire; cum ipſa à ſanctis Patribus martyrium ante martyrium haud immeritò nuncupetur: quoniam, ſi belluina tyrannorum ſæuitia Martyres creat, ecquis illorum carni in ſpiritum lanienā exercenti debet comparari? Tantum roboris eſt virginitati ad Sanctorum inter mortales procreationem, vt hanc ipſam Tertullianus ſanctitatis fundamentum libens appellauerit. Quocircà Philippi ſanctitudinē (ſi ſapimus) humillimè veneremur potiùs, quàm admiremur in virginitatis baſe ab eodem prudentiſſimè collocatam. Dum ſatis prolixè mihi videor loquutus de hac virtute, myſtico cinctorio, quo Philippus renes arctè ſibi præcinxit, illius ardens lucerna à me ſermonem deſiderat. Sed quænam ei cum ſatana pugnanti affulſit, niſi bonorum operum copia: vt hæc ipſa prælucerent omnibus illius veſtigia diligentiſſimè indagaturis? Ecquid verò, ſi lucernæ non parùm cum lilio ſimilitudinis ineſſe veridicus affirmabo? quinimmo Philippi lilium, lucernam factum, nihilo quidem de propria imagine detracto, mihi videor intueri. Flos iſte repandis folijs optimum exemplum à nobis proditurum deſignat: quoniam cuiuslibet propriæ virtutis gloria debet animo, quaſi oleum lampade nunquam non occludi; ne meritum, ceù apud quinq; virgines fatuas amittatur. Vt verò quiſq; res ſuas diuinæ ſeruituti geſtas in ſcri-

Digitized by Google

nio cordis intimo diligenter abſcondat, nulli prorsùs, niſi Deo ipſi ſtudeat reſerare, triũ Magorum prudẽtiam maximè laudandam imitatus, qui theſauros nunquam in via, ſed Chriſto infanti præſepis fœnum prementi duntaxat recluſerunt. Nihilò certè minorem in Philippo prudentiam licet commendare virtutum apud ſe occultationi quã maximè addicto, quarũ aſſiduę exercitationis merito extaticus vaſtiſſimas cæli regiones animo, quamuis corpore terrã calcaret, pererrabat. Quoties in ſummo gradu ſapiens plurimum ſtu ltitiæ ſimulauit? Quoties de ſe humillimè ſentiens, tiaras, purpuramque, veluti indignus, modeſtiſſimè tamen recuſauit? Ille terrenos honores, moleſtias, amaras iucunditates, ſpecioſas ſeruitutes, fortunæ ludibria, dæmonis retinacula, animorum exitia prudenti conſilio iudicabat: & cum Themiſtio, malle ſe ad ſepulchrum, quàm ad tribunal ire affirmans, nouiſſimam vitæ diem in alios imperio prætuliſſet. Non ceſſauit lucifer dignitatum oblatione, doloſam cũ ſancto Patre luctam, illum proſtraturus exercere: verum Iobi doctrina imbutus, qui in ſterquilinio ſedit, humil tati adhærens, cum, non vnde caderet, ſed vnde reſurgeret (ſi rem intus aſpicias) haberet, quicquid virium tentationibus inerat, quaſi ſpolia inuictiſſimus arripuit. Non magnum profectò negotium fuit diabolum perduellem ſupplantare; quia animi ſui dotes licet margaritis omnibus pretioſiores, quaſi limum minimi æſtimauit, etſi apud maximos principes, in primiſq; apud Eminentiſſimos Cardinales, atque Summum Pontificem plurimi eſſent: vnde ipſum non ceſſabant ſanctum appellare, cuius vocabuli famam non ſolùm per Vrbem, ſed etiam per orbem vniuerſum percrebuiſſe, nemo in dubitationem adduxit. Honorum aſpernationi argento pariter, auroq; commiſſo, vberes fortunas, quas auunculus hereditate obtulerat, ab eo recedens, declinandas cogitauit: vt in fortunam dominans magis, quàm in ſe tyrannicè dominantem ſuſtineret, apud ipſius Dominum gratiæ in dies maiori additamento fruiturus. Qomodò fieri poteſt, vt cuiuſq; animus tantæ humilita-

tis contemplator hanc virtutem ſingulis horis ingentiorem non agnoſcat? Chriſti Domini veſtis, Eccleſiæ ſcilicet, (de qua Da-
Pſal. 44. uid: *Aſtitit Regina à dextris tuis circumdata varietate*) ornamentum verè ſummi pretij eſt. Ille varietatis vocabulo Sanctos intelligit, qui eidem Eccleſiæ pulchritudinem afferunt: & tamen Philippus iſtius veſtis ſe tanquam inferiorem partem, nempè fimbriam cenſebat, non ſine maximo amicorum commodo, qui neceſſitate conſiliarij ad humiles refugium valetudinis impetrationi valdè idoneum poterat ſuadere. Idcircò quàmplurimi febricitantes, hipopletici, grauiſſimis lapſibus ad necem collæſi, oculis capti, necnõ alij diuerſis caſibus corpore, & animo peſſimè affecti, pietatis ductu, fiduciæ comitatu, illius apud Deum obſecrationibus amiſſę reſtaurationi nunquam inanes implorarunt. Cum ipſe morum innocentia maximus, nihil apud ſe non minimi ponderis fateretur, prophetico ſpiritu præditus, plurima cæli arcana valuit penetrare: quo tam frequenter futura prædixit, vt de humana, aut Angelica illius conditione cuiuſuis iudicium faciIlimè dubitaret: & ne aliquid erroris gigneret dubitatio, à carne hominem, à ſpiritu Angelum omnes coniectabant: hominem à neceſſitatibus natura inditis: Angelum à rebus ſupra ipſius naturæ ordinem geſtis: hominem à ſpecie, Angelum ab eſſentia: hominem à tentationibus, Angelum ab illarum victorijs: hominem à ſenſu, Angelum à ſuimet imperio: hominem à culpæ originalis affinitate, Angelum à voluntate bonorum operum genitrice. Vnde addiſcamus, haud ſatis exiſtimandum lumbos ſibi præcingere, delictis videlicet abſtinere: ſed lucernas etiam, quæ in manibus ardeant, ad cæli gloriam anhelantibus neceſſariò requiri. Ecquis in optimo maiorum exemplo maximã ſubditis vtilitatem allaturo non inſpiciat? Iſtius veritatis teſtem fidelisſimum ſe præbet Elias, qui, cum hominum aſpectui ſubtrahendus, ab Eliſeo ſpiritus geminationem precibus poſtulatam audiuiſſet; reſpondit, ſe hanc rem, etſi difficillimam, minimè negaturum, conditione tamen appoſita, vt à ſui ipſius ſublimi raptu

ptu oculos non deflecteret. Ecquid in Eliſeo ſpiritus auctioni proderat Eliæ ſublimè attollendi inſpectio ſtudióſa? Res ab alto myſterio non aberat, nos admonitura, gratiæ, ac ſpiritus adeptionem optimis exemplis plurimùm confoueri, maiorumq; virtutibus, ceu ſtimulis admotis, minorum animos interdùm otio tabeſcentes eleuari: enimuerò, dum mentis oculus illos inter cælicolas contemplatione verſantes conſpicit, eandem perfectionis metam attingendi cupiditas incaleſcit. Philippus Eccleſiaſticam politicam ijſdem cum ſæculari pedibus ambulantem obſeruans, probè nouerat, ſubditorum mores à Principum exemplo magis pendere, quàm à verbo, inſuper neminem in Sacerdotum actiones bonas, vel malas, licet minimas, oculos non conijcere. Indeq; myſterij intelligentia elicitur, Iordanis aquas Sacerdotum vel manentium, vel euntium imitatrices denotari. Et quoniam aquæ populum deſignant, ſi iſte, Sacerdotes non ambulantes conſpiciat, nihilò minus conſiſtit, pedemq; bonis operibus figit, ſi ijdem non ſecus agere conſueſcant. Quàm referta ſit illorum copia, qui Philippi calcant veſtigia, exprimendi opus nemo non duxerit ſuperuacaneum. Præterea poſt Patres in varijs Italiæ ciuitatibus omnium ætatum laici Oratorio adſcripti non modò à vitijs longiſſimè declinant, ſed etiam in ſacramentorum vſu virtutes lætiſſimis vlnis amplexantur? Nonne tres Cardinales Tarugius, Baronius, & Iuſtinianus, doctrina, ac dignitate Eminentiſſimi olim militantem, nunc triumphantem Eccleſiam illuſtrant? Quilibet ex iſtis, atq; alij multi gradus longè inferioris illud de ſe exemplum laudatiſſimis rebus geſtis emiſerunt, vt accurata noſtris temporibus ſuperſtitum imitatione poſteris normam reliquerint: vnde iunior ætas proficua antecedentis ſemitarum æmulatione imbuatur. Tam clarum à Philippo omnibus quidem, potiſſimùm verò Sacerdotibus exemplum emanauit, vnde ijſdem nihil penitùs abſurdum videri debeat lucernam ſe credere in domo Dei ſingulis hominibus præfulgentem. Quocircà ſi non pauci diuinæ Maieſtatis famuli Pa-

Digitized by Google

tris Philippi exemplo animarum vtilitati euaſerunt lucernæ in culparum tenebris ad gratiã immortalis gloriæ pignus præmonſtrandam, nonne inexplicabilem eſſe noſtri omnium deuinctionem aſſeuerabimus? Sed quò impenſiùs nos in Dei famulatu, hac lucerna præcedente, progreſſibus collætamur, eò acriori inuidia rumpitur diabolus, ob glorioſam victoriam de ſe ab hoſte fortiſſimo reportatam: qua de cauſa ſingulis diebus, ſeu potiùs horis ignominiosè cedit militibus, qui Philippi vexillum, & auſpicia inter labores ſpiritum fouentes conſectantur. Non poteſt lucifer non deuinci: quoniam è cælo in tenebricoſum barathrum deiectus, noctuæ inſtar, oppoſitũ ſibi ſplendorem nequit ſuſtinere. O quàm robuſtè ſanctiſſimus ſenex belligerauit, vt illud de ſe
Pro. ipſo euentu aliquando comprobatum aſpiceret: *Non extinguetur*
31. *in nocte lucerna eius.* In eius nocte lucerna debuit eluceſcere, quæ octogenarium illius vitæ curſum, quaſi alter Phœbus ſuo fulgore nunquam dereliquit. Mihi hoc loco non parùm auidè contemplanti, illud expendendum obijcitur, à duabus partibus lucernæ flammam deperire, quarum alteram parcitas gignit, alteram opulentia: hæc à vento nimis grauiter flante, illa ab oleo paulatim deficiente. Ventum, qui omnia ſubuertens, aduerſantis fortunæ typum geſtat, Philippus conſtanter adeò tolerauit, vt nunquam à ſuis inſtitutis Deo gratiſſimis potuerit dimoueri; quoniam dæmonis viribus, licet validiſſimis, quas illius miniſtri non ſemel, atq; iterum, ſed ſæpe, ac ſæpiùs, ſemper tamen aerem quodammodo verberantes adhibuerunt, robuſtiſſimè repugnauit. Quod oleum cuiuslibet boni operis indicium reſpicit, Philippi lucernam iugiter ſplendidiſſimam enutriuit: quam Deus in candelabro cathedræ collocauit: vt omni doctrina exulante mendacio domui ſuæ, hoc eſt, Eccleſiæ lumen afferre non ceſſaret. Vtq; ſermo iam ceſſet parabolicus, quoties ille Euangelicam doctrinam expoſuit cunctis auditoribus eò magis proficuã, quò faciliùs eorundem auribus inculcatam? Tunc temporis ad incarnati Verbi gloriam illius verbo, gladio vtrinq; acuto, om-
nium

nium corda ad ſalutem vulnerabat,non ad plagas,ſed vt ſatanæ propoſitiones bonarum mentium illaqueatrices aboleret, quibus genij indulgentiam, rationis mancipationem, ſenſus imperium, omniaq; ſpecie boni ſuadere conabatur.Quicumq; ab iſta ſuaſione ſe cautum deſiderat,curet vt Philippus innocentis vitæ exẽplari,quod liberali manu tot luſtrorũ ſpatio exhibuit, à nullo veſtrum, veluti confido, imitationem defuiſſe glorietur.

S. Antonius Patauinus aqua ſapientiæ à Deo potatus.

ORATIO X.

INter dotes ex Politicorum opinione præſtãtiſſimas, quarum alimento Principis animus ſubditorum felicitati,illius gloriæ ſcaturigini enutritur, liberalitas potiſſimùm ſe præbet ſummis laudibus extollendam: dummodò ratione habita plerùmq; meritorum, quæ ſilentio fœcunda facundiſſimè loquuntur, etiam ad immeritos, vnde meriti fiant,non alio, quàm prudentiæ impulſu aliquando extendatur: veluti primo Neronis imperij luſtro contigiſſe, hiſtorias volutando edocemur; qui ampla, & aſſidua beneficiorum collatione profectò omnium beneuolentiæ aucupio neminem excepiſſe perhibetur. Quòuſq; hanc laudem vniuerſi orbis Imperator Deus mereatur, illorum nullo vnquam tempore elinguis oratio afferat, quibus clariſſimè innoteſcit, ab eo gratiarum largitatem ad triplicem ſcopum collimari, noſtrarum ſcilicet precum anticipationem, earundem exceſſum, nulliuſq; termini anguſtiam.Iſtos diuinæ munificentiæ effectus veriſſimos in ſuã vtilitatẽ agnouit Antonius ex Regularium Canonicorum Ordine ad minores Conuentuales ab ipſo Deo hiſce quodãmodo vocibus feliciſſimè appellatus: Cum ego cordium ſcrutator

optimè

Digitized by Google

optimè nouerim, quantò ingentioris apud me meritorum aceruí per aquæ ſapientiæ hauſtum deſiderio afficiaris, ideò aperi os tuũ, & impleboillud. Ibidem, quaſi in media Eccleſia innumeris theologis contra hæreticorum temeritatem circumſepta, dum martyrij palmam cupidiſſimus anhelat, inter immortales gratiarum actiones pro ea, quam recenter accepit, ſe incomparabili doctrina fœcundatum agnouit: quocircà illud Eccleſiaſtici An-
Eccl. 51. tonianæ laudi licet accommodare: *In medio Eccleſiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus.* Vnde prima facie non incurioſè notandum obijcitur, tacitas Diui noſtri preces anticipari: illius nanq; os Deus recluſum non præſtolatur, vt repleat ſapientia; ſed ſpontè hanc liberaliſſimus immittit. Ego autem affirmans, os Antonij exoptabili ſapientiæ beneficio ditatum, non aliud, quàm cordis profectò intellexi, ex cuius adytis humillimas in cælum orationes iaculari cõſueuerat, nihil omninò inſcius, non aliunde emittendas fuiſſe, vt efficaciores, gratioreſq; ad ſanctiſſimæ Trinitatis thronum peruenirent: cor enim hominis non modò ſymbolum, ſed vas etiam ſapientiæ cenſetur. Vas inquam (ſi materiam reſpicias) paruulum: ſi vires, proculdubio maximum rebus omnibus, ſeu bonæ ſint, ſeu malæ, recipiendis habiliſſimum. Verùm, ſi de ſanctiſſimi viri corde penitùs defœcato ſpecificè loquamur, nihil vnquam, niſi ſibimet ſimile recepit, nempè caſtitatis, & pudicitiæ inſitum potiùs dixero, quàm coniunctum. Quo autem tempore intus aquam, eodem pariter ignem fouebat non maiori admiratione, quàm lapis Gonij mõtis in Carthaginenſi agro ſublimè aſſurgentis: vbi ſpectatæ magnitudinis, diebus æſtiuis flammæ, alijs aquæ vbertim ſcaturientis incolæ intuitu ſummoperè oblectabantur. Ea admirabiliori quidem ratione ex Antonij corde aqua ſapientiæ, & incendium caritatis communi quidem commodo manare nunquã ceſſauit ob gratiam Spiritus ſancti, qui à Mediolanenſi Epiſcopo Ambroſio fons viuus, & ignis myſticè appellatur. Vtq; verborum meorũ intelligentia clarior innoteſcat, aſſeuerãter explico,

cx

Digitized by Google

ex illius corde ignem caritatis fidelium animos in Dei amorem accenſurum, & non rarò ſolaminis aquæ riuulos humanarum calamitatum extinctioni, ſimulq; à culpis macularum purgationi effluxiſſe. Quo autem munere (vt vera loquar) magis pretioſo à diuina liberalitate, quàm ſapientiæ auro Antonius potuit diteſcere? Hæc eſt genitrix virtutum fœcundiſſima, quam terreſtris paradiſi fons inexhauſtus hieroglyphicè denotat: quemadmodum enim illinc ſcaturiginē ducunt quatuor flumina Nilus, Tigris, Ganges, & Euphrates, quorum tumeſcentibus vndis vniuerſum terræ elementum allui, nemo fabuloſum arbitratur: non ſecus à ſapientia pendet iuſtitia, fortitudo, prudentia, & temperantia. Quamobrē Antonius in ſapientia ceteris dotibus, quæ neceſſariò animum ciuiliter, moraliterq; ornantes nutriunt, fruebatur. Vnde felicem illum agnoſcamus etiam quo tempore in humanis fuit, à Rege omnium ſapientiſſimo edocti, qui beatum hominem haud inutilem ſapientiæ indagatorem nuncupare non dubitauit: quod fortaſſe philoſophorum moralium principem impulit, vt perpetuis litterarum monumentis illud conſignaret: *Sapiens vicinus, proximuſque Dijs conſiſtit, excepta mortalitate, ſimilis Deo.* Et veluti eſſentiæ non ſimulatæ Deus indeficiens omnino eſt: non aliter Antonij ſapientia nunquam decreuit; vtque non alius perpetim videretur à propria lingua, quæ contra edaciſſimos Saturni dentes poſt multas ætates adhuc mollis ad monſtri exemplum perſeuerat, loquaci ſilentio dilaudatur. A ſuperna prouidentia contingit, vt ipſa, ceu diuinam ſapientiam omnibus impertiendi inſtrumentum corruptioni innoxium etiā hiſce temporibus aſſeruetur eo pacto, quo nunquam ſeneſcit; ſed ſemper eadem eſt ſapientia. Quoniam verò hanc linguam Angelicam potiùs, quàm humanam elinguem me præſentio redditu ram, idcircò aliud quidpiam veſtris auribus non incongruum, quod ab illa voce intellectus educitur, ponderandum ſuſcipio: Deum ſcilicet, vt ſe famulo ſuo liberaliorem exhiberet, non ſapientiam duntaxat, verùm etiam illius vſum impertiuiſſe; ne *Sen. Lib. de Conſt.*

vir-

virtus omnium prima apud eum aliqud inanitatis habuiſſe diceretur. Enimuerò ſicut à ſui ipſarum fruitione magis, quàm poſſeſſione conſtant diuitiæ: non ſecùs quidem niſi exerceatur, ſemper inutilis eſt ſapientia. Quapropter Pythagoras, Socrates, Plato, Ariſtoteles, Democritus, Eraclitus, nec non multi alij philoſophi, quos breuitatis cauſa omitto, plurimum, ſed non rectè ſcientes, nihil ſciuerunt. Ad huiuſce veritatis teſtimonium ipſos appello, à quibus, ſi cauſam mihi libet percontari, quamobrem æternis inferorum pœnis miſerrimè dilanientur, reſponſum accipiam: quia in tenebris ambulauimus. Antonius verò ad Dei faciem, vnde beatorum Spirituum immortalis oritur gloria, aſpiciendam peruenit, quoniam pretioſiſſimi ſapientiæ muneris vſum otiantem non ſuſtinuit. Væ illis, qui obrizo huius virtutis auro ditati, nullo vſu, vel (quod longè grauius dicendum eſt) non infrequenti abuſu donatoris iram ingrati animi vitio omnium peſſimo in ſe concitare non verentur. Iſti, vt poſt ſapientiæ munus vilis pretij inſipienter habitum, tandem aliquando, non tamen inutiliter reſipiſcant, rebus ſuis conſulturi, Aulum Gellium conſulere ne recuſent: qui apud Antiquos deteſtabilis ſacrilegij reatum haberi conſueuiſſe admonet ex ſacerdotis ædibus ignis aliò, vt in rei profanæ vſum conuerteretur, translationem. Ecquid, obſecro, ſapientiam dixeris, niſi flammam omni excremento vacuam calore ſimul, ac ſplendore munificam, quorum altero clariſſimè illuminat, altero ad bonum æqualiter accendit? Quò vſq; ad ſuum, aliorumq; cõmodum Antonius ſapientiæ dono vſus fuerit, Pariſij, & Bononia vrbes celeberrimæ non ignorant: illius enim lingua hyblæo melle referta plurimos ſacris litteris, ſingulorum auribus, ſed magis animis obſtupeſcentibus, erudiuit. Si eius intelligentiæ aliquis locus (ſicuti doctiſſimis etiam viris ſæpè accidit) ſcrupoſus occurriſſet, ſtatim à
Sap. c. 2. prima intelligentia Deo hiſce feruentiſſimis precibus conſilium flagitabat: *Mitte Domine ſapientiam de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, quæ mecum ſit, & mecum laboret*, non ſecùs pro-

Digitized by Google

profectò ac diceret: tu, ſine cuius auxiliò omnis ſapientia inſaneſcit: tu, qui vnico benignitatis ſuaſu Spiritum ſanctum à Patre mittendum prædixiſti; vt tua ſenſa varijs figuris inuolùta enodaret: tu, inquam, intellectum (quod humillimus oro) eiuſdem Spiritus ſplendore mihi clarifica; qua face ſupra meritorũ meorum parcitatem prælucente, quicquid tenebrarum eſt, nòn ad mei faſtum, verùm ad incomprehenſibilis tuæ maieſtatis obſequium penitùs diluatur. Quanta huic precationi vis fuerit, illinc conijcite. Cum animorum noſtrorũ Soter nõ ſatis exiſtimaret, ſapientiã illi cælitùs ingeſſiſſe, ipſe met omnis ſapientiæ theſaurus, infantis ſpecie inter libros, cubiculi poſtibus occluſis, quicquid neceſſe foret, enucleaturus, voluit inueniri. Quæ ſingularis gratia, cum humanam intelligentiam antecellat, pictores non parùm commendanda pietate adigit, vt Sanctum Puerulo blandientem effingant. O te fortunatum Antonium, cui munificentiſſimus Deus longè plura præſtitit, quàm oratio mea valeat explicare! enimuerò ſi innocentibus paruulorum vocabulo ad ſe acceſſum intercludi noluit: *Sinite*, inquiens, *paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium eſt enim regnum cælorum*, cum Sap. c. 9. de re tua ageretur, vtpotè illius, apud quem meritorum copia nulli numero ſubiacebat, ijſdem cumulatè reſpondendum iudicauit: ideòq; puſionis imagine è ſupernis ſedibus ad te deſcenſum nequicquam eſt indignatus, optimè ſciens, humanam ſcientiam non paucis veræ ſapientiæ aliquando prædatricem (quia haud parum elationis ſecum adducit) tibi humilitatem ſuaſiſſe. Et ſi iſtius virtutis conſilium eò demiſſionis tuam de te ipſo opinionem illexit, vt annis iam maturus ad puerilem conditionem retroceſſeris, in qua Deus ſe tibi contemplandus, & alloquendus præſto fuit: attamen cum monitũ illud Eminentiſſimo Apoſtolorum Collegio traditum obſeruaſſes, cæli aditum non patere ijs, qui ad pueritiam reditum minimè amplecterentur, animæ tuæ nauim inflatiſsimas huius vitę pelagi vndas findentem in littore collocaſti. Si Antonij ætas ſanctitate, ac ſapientia

N du-

dupliciter feliciſſima Mineruæ templum ſtructura celeberrimum aſpexiſſet, hac inſcriptione, quam refert Plutarchus, obliuioni demandata, nihil tamen turgidè gloriatum legeremus: *Ego ſum omne quod fuit, eſt, & erit: & meum peplum adhuc nullus mortalium euoluit*; quibus verbis hoc Proculi adeſt additamentum: *Quem peperi fructum, ſol eſt*. Illud certè Minerua intellexit, nempè in ſe omnia inueniri, & nouiſſimam partem cuiuslibet implicitæ ſcientiæ typum à nemine vnquã è ſuo loco excuſſam, theologiam ſcilicet, vt potè à nullo præceptore, quanuis eruditiſſimo enucleatam. Obliuio, inquam, inſcriptionem deleuiſſet non ſolùm, quia tantæ laudis neutiquam compos fuit Minerua, cuius cultum Antiquorum ſuperſtitioſa ſemper religio inſaniſſimè lætabunda iactabat: verùm etiam quoniam theologiæ Princeps Antonius omnia illius axiomata, nec non totius ſacræ ſcripturæ locos maximè occluſos reſerauit. Qua de cauſa Gregorius IX. Pontifex Maximus illum concionantem audiens, teſtamenti Arcam eximij honoris ergò nuncupauit. Et ſi tanti viri meritum recta iudicij lance perpendatur, hoc ipſum in terris Chriſti Vicarius imperſcrutabilis illius doctrinæ teſtis omnium fide recipiendus honeſtauit, cum idem Chriſtus ſuũ cariſſimũ famulum viſitans, cor ei valdè dilataſſet, ærarium veræ ſapientiæ ſtatim euaſurum; ibique lectio exitu comprobata aptiſſimè accommodatur: *Aqua ſapientia ſalutaris potabit illum, & firmabitur in illo, & non flectetur; & exaltabit illum apud proximos ſuos*. Myſtica huius ſcripturæ intelligentia locum habet apud Antonium, affluentem ſcilicet adeò ſapientiam illi à Deo infuſam eſſe, vt non ſapientia ab ipſo, ſed ipſe veriùs à ſapientia fuerit potatus: vnde totum in hanc virtutum omnium Reginam conuerſum non perplexabiliter credamus. Iure quidem optimo ſacroſancta Eccleſia illud de Euangeliſta Ioanne encomium ſingulis annis promulgandum proponit: *Valde honorandus eſt beatus Ioannes, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit*. Si tantũ honoris in Ioannẽ conferendum præcipitur, qui caput ſacratiſſimo Ieſu pectori admouit: quan-

De Iſ. & Oſ.

Ecc. c. 15.

quantò ea de cauſa venerabiliorem Antonium aſſeuerabimus, cuius arctiſſimis amplexibus idē totius humani generis in libertatem Aſſertor ſe totum liberaliter commendauit, non in cœna, hoc eſt, tempore nocturno, ſed luceſcente die: vt Apollo tam inſignis gratiæ largitori, à quo ſplendorem accipit, ſuis micantiſſimis radijs obſequeretur? Præterea, ſi nihil ambiguo ipſius Eccleſiæ teſtimonio Ioannes: *Fluenta Euangelij de ſacro Dominici pectoris fonte potauit*, non alia quidem ratione affluentiorem ſapientiam ebibit Antonius. Quocircà perpetuum ſilentium ſcriptoribus indicatur, illud ſuaſionis cuilibet lectori molientibus, Heſiodum ſopore ad Parnaſſi radices correptum, illinc poeticam artem reportaſſe: vt calamos narratione vera in re defatigent, Antonium, quicquid theologiæ reperitur; ab incarnato Verbo apprehendiſſe, quòd eidem inter ſacra volumina vigilanti ſocium ſe commiſerit. Chriſtum bicipitis Parnaſſi nomine à duplici faſtigio diuinitatis, humanitatiſq; non impropriè nominaui; indeq; illius res præſtitæ ſuperiores pollicitationibus deteguntur. Vtq; huius certiſſimæ veritatis indicia magis etiam clareſcant, Dei ſeruis promiſſa, veluti notas, quarum inſectione, tales crederentur, vobis in memoriam, obſecro, reuocate dæmonum à corporibus humanis, per nomen Ieſu expulſionem, recentium linguarum eloquium, ſerpentum ablegationē, & ab hauſtu mortifero indemnitatem. Si primum teſtimonium in Antonio (vt alia ſubſequantur) libeat obſeruare, iſtud nihil tenebroſum inſpiciemus, cum ſimplici afflatu in ſui Ordinis adoleſcentuli os, Aſmodæum luxuriæ ſpiritum, à quo acerbiſſimi exibant cruciatus, detruſiſſet. Et re vera abſolutè neceſſarium fuit, vt, cum ex recta philoſophia duo contraria in eodem ſubiecto, atq; pariter eodem tempore haud poſſint conſiſtere, ſpiritus malus bono, inferior cederet ſuperiori. Quoties Antonius diuinæ legis zelothypiæ impulſu, ex Ioannis Baptiſtæ exemplo, indelaſſanter concionando, vnius ab ore proprio idiomatis, multis, varijſque Nationibus intelligentiam patere intellexit? Quamob-

tem, ſi vnica notio ad plures ignotos ſupra naturæ vires peruenit, illinc longè maior apparet gratia, quàm ſi aliquis multarum linguarum ſermonem poſſet exercere: iſtud nanq; varijs temporibus conceditur, illud à natura, ſimulq; ab arte, nulla tamen iniuria, denegatur. Quæ de ſerpentum expulſione, & à venenato potu de duodus alijs Chriſti ſeruorum indicijs verba faciam? Inter res non ſine maxima quidem admiratione geſtas, nemini haud numeranda videatur in cibo, potuq; veneni præcognitio, vt, quæ vitam nutriunt, necem afferrent, ab hæreticis fraudolenter immixti. Quid verò difficilius iudicandum, omni læſione amota, venenum ſumere, aut ab eiuſdem occulto periculo præniſione inexplicabili cauere, in veſtri omnium prudentiam, quæ multa nouit, reijcio: vt Chriſti fidem fideliſſimo ſeruo promiſſis largiorem pronuncietis. Verùm ad illius ſapientiam ab orbe condito inauditam ea verba expenſurus reuertor: *Et firmabitur in illo, & non flectetur*, quibus maximè vtiliter admonemur, quã rectam ſemitam alluerit ſapientiæ aqua vt Antonio in criſtallinum veritatis lacum, quò nunquam non anxius anhelauit, ingrederetur, contra terrenæ ſapientiæ vndarum naturam, quæ per obliquum tramitem omnium deceptioni ad mendacia diffluere conatur: eiuſdemque virtutis conſtantiam in illo Antiochi numo impreſſam, vbi aſpicientium oculis offerebatur leo anterioribus pedibus terram premens, ſuper cuius caput noctua aduolabat auis Mineruæ dicata. Sed quænam iſtius hieroglyphici ſignificatio? Sapientiæ virtuti nihil, quanuis validiſſimum non ſubeſſe: vnde lapidi androdamãti albedine cum argento æqualiter decertanti, & adamanti ſimillimo comparatur: gemmæ, inquam, quæ, Iſidoro teſte, eo nomine appellatur: quia effrænatos animi motus, in primiſq; iram valet cohibere; cum ſapientia mentem rectiſſimo ductu regat, nec non vitia maximè noxia expellat. Viuida Antonij ſapientia, neq; ad dexteram vllo vnquam tempore propendebat, neque ad ſiniſtram: ſed motu neceſſariò frequenti, Euangelicæ veritatis ductu, recta incedebat

ne-

nemini non profutura. Qui non ſimulata pollet fortitudine, nullius concuſſionis, nedum excuſſionis eſt compos, ſed ſemper in eodem loco conſtantiſſimus reperitur: ita quidem Antonij ſapientia à quolibet flexu aberat, interno robori, quod nutriebat, iugiter innixa; vt Antiquorum non vulgaris prudentia conſtaret, qui Palladem armis indutam coluerunt, illud typicè indicãtes, veritati à ſapientia ſecuriùs, quàm ab armis tutamentum ſuppeditari. Igitur, ſi hæc virtus ijſdem nunquam aſpicitur immunitas, quonam pacto apud ſummum Theologum noſtrum poterat incuruari? Tantùm abeſt, vt ipſa minimùm incuruaretur, vt potiùs hæreticæ prauitatis incuruatio excidij principium creans appareret: quæ mendax pariter, & clauda, idcircò non ſolùm facillimè inclinatur, verùm etiam tota fruſtillatim infringitur. Vt hæreticus ſacramentarius ad veram Chriſti panis ſpecie incluſi cognitionem deueniret, armata Antonij ſapientia ſacrum illius corpus ſegetibus tegens, effecit, vt bruta ratione caſſa rerum omnium Domino flexis genibus obſequium exhiberent: & quem perfidus ſub ſpecie panis Deum iniquiſſimè negabat, ſub eadem, inter hordei grana fateretur iumentum. Vnde, qui fallacis doctrinæ ſtimulis in belluam commigrauerat, ad intimam hominis formã aliquando remearet. Ergo de Antonij ſapientia illud nemo loqui ceſſet: *Et firmabitur in illo, & non flectetur*: quoniam tanta firmitudine abundat, vt ab ea, quod fragiliſſimum eſt, mirabiliter lapideſcat. Huius rei teſtis oculatus fuit alter hæreticus; vitreum nanq; ſcyphum è ſpecula talium verborum comitatu proijciens, catholicam fidem veritati non minùs, quàm vaſculum illud à fractione ſecuritati inhærere, ipſum, vt antea illæſum toruis oculis ſecum ipſe tacitus aſpexit. Sed nihil admirationis accidat, ſi vitrum lapidis naturam potuit experiri; quinimmo ipſum lapidem hominis cor lapideum nutrientis cauſa confringere; vt peruicaciæ ſcelus dehereret, qui ad veræ fidei confirmationem prodigium impudentiſſimus poſtulauit: quia Deus infirma mundi eligit, vt fortia quæq; confundat:

quan-

quandoquidem in eo negotio fragilitas ipſa duritiem duritie ſuperauit. Antonij nunquam curuata ſapientia illum ſublimitatis attigit gradum, vnde ad ipſius Dei aſpectum ſine aliqua elatione feliciter aucta, eam gratiam reuexit, vt defunctarum matrum alui filios viuos, & quod omne miraculum antecellit, ætate iam maturos emiſerint, nēpè ex palmitibus à vite reciſis ſuauiſſimas vuas: quas in catholicæ veritatis teſtimonium certum hæreticus optauerat, incredula manu decerpſerit. Eadem aqua ſapientiæ nulla alia occaſione flexibilis, niſi, eum per aures fidelium animos, à quibus non minori attentione, quàm pietate illius verba excipiebantur, attingens, naturalem aquam propulſauit: hæc enim affluenter cadens, populo Antonij conciones audienti impedimentum allatura, nubibus ictu oculi citiùs expulſis, ſereno cælo defeciſſe viſa eſt: non ſecùs, atq; ille imperaſſet, vt aqua naturalis cum ſupernaturali certamen vereretur inire, & per cæleſtis verbi aquam, aſpera audientiū corda diuino amori, ſimulq; legis obedientiæ emolleſcerent. Ecquis eruditiſſimi concionatoris noſtri vim ſapientiæ plurimùm non admiretur, quæ terræ ſpatium amplitudini ſuæ nimis anguſtum putans, vaſtiſſimū pelagi campum occupauit? illud ſibi perſuadens, fore vt quam amaritudinem accepit à natura, ſapientiæ admirabilis dulcedine condiretur: ſteriles arenæ fœcunditatem aliquando agnoſcerent, irrationabileſq; à ſe fœtus à diui eloquij aſperſione humanitatis donum acciperent. Neq; aliud accidiſſe compertum eſt: cum enim Antonius in litore non longè Arimino concionaretur, illuc maritimus grex perniciſſimè cucurrit linguæ muneris nihil cupidus, quaſi non imprudenter ratus, ſe concionatoris ſanctitatem humili ſilentio magis, quàm ore facundo veneraturum: eaq; de cauſa permultæ piſcium ſpecies linguæ priuationem capitis motu in Antonij cultum reſarciuerunt. Quod inſuetum adeò omnium oculis apparuit, vt altiſſima illius elementi voragine memoriam demerſerit concionum, quas Cæſar Auguſtus in eadem vrbe ad milites habuit: vbi ad hanc vſq; diem magnus lapis

piſ aſſurgit, qui eidem militiæ Imperatori, Romæ dehinc imperaturo ſuggeſti officium ſibi glorioſum opinabatur. Sed ò quàm inopinanter ad ea verba: *Et exaltauit illum in æternum apud proximos ſuos*, dicendi prolixitate me adductum ſentio, cum nemo illud à fide reijciat, Antonio contigiſſe, vt immortali fama, quam Auguſtus affectauit, ille nihili omninò æſtimans, potiretur; cum à Deo, qui omnia fortiter, ac ſuauiter diſponit, ſæpiſſimè accidat, vt eius famuli in victus parſimonia, cultus demiſſione, pedum nuditate, generoſa magis facinora admittant, quàm ſummi principes ſummis diuitijs circumuenti, pretioſa purpura, armiſque ſplendeſcentibus induti. Obſeruate AA. rerum humanarum viciſſitudinem æquali nunquam admiratione apprehendendam! Dum pedes integritate ſpecioſi, qui in præſenti vita cœnum calcarunt, in futura cœlum premere collætantur: quod idē profectò eſt, atq; aſſeuerare, Antonium ſui opinione apud mortales deſpectum, meritorum pennis ad ſuperos feliciter elatum inter illos cum abiectæ quondam veſtis applauſu triumphaturum. Auguſtus terrenis opibus, quàm maximè defatigatus, inter acerbiſſimas inferorum anguſtias, æternùm eſt permanſurus. Iſta inenarrabilis liberalitas à Deo Antonij merita reſpiciens, cæleſtis gloriæ veſtem omnium pretioſiſſimam adducit; vt hæc etiam illum appetat commendatio: *Amauit eum Dominus, & ornauit eum, ſtolam gloriæ induit eum*. Stolam nominans, veſtem ſignifico vſq; ad thalos non ſolùm fœminis, ſed etiam maribus apud Romanos antiquitùs communem, tunicæ non diſſimilem. Deus igitur Antonium duplici munere, ſapientia, intellectuq; impertitum, veſte glorioſa exornauit: vt huiuſce doni plenitudo innoteſceret ea de cauſa in ſummo pretio habendi, quoniam gloriæ ſtola in beatis ſpiritibus congeminatur, altera animi, corporis altera indumentum. Illa reſpicit tria, cognitionem, dilectionem, & delectationem. De cognitione Euangeliſta Ioannes: *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Cognitio amorem gignit, cuius præceptum

Eccl. c. 45.

Io. c. 17.

Cap. 22. ptum ſic expreſſit Matthæus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* A dilectione ſumma pēdet oblectatio, de qua legimus in pſalmis: *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.* Altera ſtola, quam corpus induit, quatuor dotibus conſtat, claritate, ſublititate, agilitate, impaſſibilitate: vnde nemo ſacris litteris eruditus illud ignorat: *Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent: & regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Fulgebunt clari, & ſicut ſcintillæ ſubtiles: in arundineto diſcurrent agiles: & regnabit Dominus illorum in perpetuum, impaſſibiles: *Abſterget enim Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum, & iam non erit amplius, neq; luctus, neq; clamor, nec vllus dolor, quoniam priora tranſierunt.* Corporum, quæ immortalis gloriæ ſtola teguntur, dotes attentis (ni fallor) auribus excepiſtis: ſed illæ tam arctè nequaquā habeātur, vt animorum penetralia, inde nunquā abituræ, non attingant. Iſtud ſi veſtræ vtilitati contingat, Antonium contemplatione aſpicietis apud cęlicolas, Imperatoris Dei manu coronatum, vnde reliquum ſacræ ſcripturæ impleatur: *Et ad portas paradiſi coronauit eum.* Cur verò ad portas, non ad portam? Quoniam, cum iſtæ margaritis pretioſiſſimis niteſcentes, duodecim typicè numerentur, ad ſingulas debuit coronari, vt potè qui totius fidei ſymbolum in duodecim particulas diuiſum ſemper acerrimè defenderit: ideòq; hæreticorum malleus vocabulo nulli fidelium ad gloriam, infideliumq; ad pœnam ignotus. Antonij miraculorum perſtricta recenſio cuinam illius patrocinium apud ſanctiſſimam Trinitatem gratioſiſſimum non ſuadeat? Iam oratio conticeſcit, vt eundem ad peccatores, quos Salomon infiniti numeri ſtultos dicit, vociferātem audiatis: *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Non impropriè ſitientes nominat, quos terræ ſine aqua declarat hieroglyphicum. Neq; aliqui doctrinam pro excuſatione, quòd non acceſſerint, in medium afferant: enimuerò, niſi iſtam comitetur ſapientia, virtus eſt, ſed vi penitùs orbata, væ inter multas lacrymas fœcunda; quæ cum

Pſal. 149.

Sap. c. 5.

Ap. c. 7.

Iſa. c. 55.

poſſet,

poſſet, aut neſciuit, aut ſciens, noluit exercitationem maximè proficuam amplexari. Igitur ſine vlla mora ad ſapientiam Antonij accedere ne recuſent, qui aridæ ſitis extinguendæ deſiderio tenentur. Poſt liberum, liberalemq; ſuo libitu potum, Romanorum exemplo, fontinaliū celebrationem renouantes, fontem coronis exornent, Antonij tempora inceſſantium encomiorum ſertis eo conſilio circumdent, vt conducibilem ſui æmulationem ſingulorum cordibus imprimat nulla temporis, aut fortunæ inuidia abolendam.

S. Ioannes Baptiſta Chriſti Præcurſor natus.

ORATIO XI.

DVm in Ioannis Baptiſtæ Chriſti Præcurſoris natiuitate, Zachariæ parentis ſilentium de vxoris Eliſabeth futuro partu fidei parcitate conceptum in clariſſimam vocem erumpit, cur nos, AA. linguas otiemur, de illius meritis non vulgaribus ab Eccleſia catholica, quanuis ſupra omnium opinionem, non tamen ſupra veritatem, edocti? *Si* patris vox ad ſanctiſſimum filij tyrannicè occidendi ortum referatur: noſtra, qui filij ſumus, corda ad eiuſdem in cælo regnantis immortalem gloriam, quomodò licet, explicandam non geſtiant, diſertas linguas non induant? Qui rerum naturam perſcrutantur, non dubiè aſſerunt, ad vnius teſtudinis pulſationem, alterius etiam non pulſatæ neruos reſonare. Hanc nos naturæ vim (ſi quid ſentimus, ſi quid ſapimus) imitemur: quia non ſine ingenti præmio receſſerint voces in illius encomia effuſæ, qui inter natos mulierum maximus nihil non poteſt, internuntius apud eum, cuius aduentum in carne prænuntiauit, non minùs optatum, quàm ſperatum humani generis ſaluti re-

parandæ neceſſarium, tãto beneficio ſacroſancti ſanguinis Chriſti effuſione completo non abuſuris feliciſſimum. Aſcenderat montes Virgo beatiſſima in ciuitatem Iuda æſtuantium dierum incommodo nihil quidem retardata, vt Ioannis genitricem inuiſeret. Vtrinq; gratulationes non parùm officioſæ, quæ mutuum inter conſanguineos amorem nulla temporum, locorumue diſtinctione interruptum indicarent. Hinc venter Eliſabeth plenus, Mariæ virginis Chriſto fœcundæ nihil tamen grauatæ brachijs attactus, fœtum in ſe admirabili gaudio exultantem perſenſit, quippe qui cultus, & reuerentiæ cauſa Deum ſalutaret, tanti muneris auſpicia captaturus: vnde à naturæ Domino ſummæ beneuolentiæ nota decoratus, contra ipſius naturæ leges clauſæ alui ad nouem menſium anguſtias lætitiæ ſtimulis eſt aſpernatus; vt Chriſto, quem in Maria incluſum animo humillimus venerabatur, pro ſanctificatione accepta gratias ageret immortales. Præterea Ioannes egreſſum quæritabat ſanctæ genitrici inuidus, quod Dei Matrem, amplectens, Chriſtum pariter amplectetur nulli non optimo Hebræorum, per longam annorum ſeriem, deſideratum, aſſiduiſq; precibus ex intimo corde manantibus (quod nimiùm diu contra communem Iſraelitici populi ſalutem cunctaretur) appellatum. Ab eo in lucem appellabatur Ioannes, qui lucis infidelium cæcitatẽ illuſtraturæ, illuſtre teſtimoniũ debuit exhibere. Sed quomodò fieri potuit, vt huiuſmodi ſenſu acutiſſimo nõ afficeretur, ſi in Chriſti baptiſmatis apud Iordanẽ miniſterio montes Hermon, & Thabor, vt in ipſius Dei transfiguratione ex indubitabili Dauid teſtimonio exultarunt è Ioannes mons quidem erat futurus, ſupra verticem montium (Chriſtum intelligo) extollendus, illum, inquam, ſua dextera nullo tamen faſtu elata baptizaturus; adeò enim de ſe humiliter ſenſit, vt eius calceamentorum ſolutioni meritis clarè imparem prædicaret. Sic omninò accidit, vt, veluti, quantò inferiùs aqua è collibus deſcendit, tantò altiùs cum aſpicientium voluptate aſſurgit: ita etiam Chriſti fideles in ipſa humilitate non ſine

ma-

magna commendatione ad honores, ac dignitates eleuentur. Enimuerò non poteſt Deus illam virtutem non diligere, per quam ipſius Vnigenitus mundum à graui Adæ culpa, quaſi inflicto vulnere, in terris iacentem, in cælum perpetua felicitate ditaturus erexit. Cum illius humana carne amicti deitatem in genitricis aluo, quæ iam annoſa cōmuni opinione ſterilis cenſebatur, ſentiret Ioannes, tibicinis Chriſti officium præſtaturus, ab eo, qui Verbum erat, verba excipiens, non improprio vocabulo ſe vocem in deſerto clamantis nuncupauit: vocem, inquam, quæ patris vocem amiſſam, in eiuſdem fauces lætabunda cum omnium admiratione reuocaret; immo qui veram lucem, nempè Chriſtum in Iudaicæ infidelitatis tenebrarum horrore ſplendeſcentem teſtis à nemine repellendus, quoniam optimo experientia eruditus, præſignaret. Naſcitur Ioannes, & ſimul naſcitur gratia (hoc enim illius nomen ſignificat) vt hominum animos ſteriles fœcundet: illis nanq; temporibus morum corruptela infeliciſſimis quiſnam cū Pſalmographo ad Deū non poterat clamare? *Anima mea, vt terra ſine aqua tibi.* Quemadmodum enim *Pſal. 142.* hæc ipſa aquis non irrigua neq; herbas, neq; flores veſtit, fruges non emittit: haud ſecus Chriſtianorum animæ, niſi gratiæ cæleſtis rore madefiant, fructus, qui meritum habeant, Deiq; palato ſapiant, nequaquam pariunt. Ioannis natiuitas vniuerſæ familię incredibili lætitia aſſociatur, filio è ventre ſterili egreſſo, qui innumerabiles Chriſto filios diuini verbi expreſſione erat pariturus. At vbi, obſecro, inquitis? In deſerto, cum huius ſæculi commoda, deliciaſq; libens, ac volens deſeruiſſet, hominū in vrbibus conſuetudine ſubtractus, vt vitijs, quæ in illos acerbè conſæuiebant, deuictis, apertam hoſti ſæuiſſimo pugnā indicens, triumphalem victoriam reportaret. Etenim ſub illo aere, qui purior eſt, atq; ſalubrior, contemplationi addictus nunquam Dominū precibus appellabat, quin illum amantiſſimè reſpondentē audiret: *Ecce adſum.* Ibi locuſtarū cibo, cameli pellis indumento contentus, vt, quod ore culparum pœnitentiam hominibus

neceſſariam ſuadebat, ipſemet, quanuis diuini muneris exemptione impeccabilis re ipſa exercens, alijs potiùs, quàm ſibi medicamentum exhiberet. Sed toto cælo aberrans, Ioannem in deſerto fuiſſe affirmaui: vnde illum, etſi ab hominum cœtu abalienatum, nulla peccatorum contagione infectum, aut etiam inficiendum, deſerti ſedem coluiſſe nequaquam opinemur: is nanque in deſerto non eſt, à quo diuina gratia, quin Deus ipſe Angelorum choris circumuentus non abeſt. Tanta viciſsitudo amoris vigebat inter Chriſtum, & Ioannem, vt in gemino corpore non duplicem voluntatẽ enutriret; immo vtriuſq; verba, mores, & res geſtæ ab vno tantùm proficiſci credebantur: quocircà in Ioanne Chriſtus, & in Chriſto apparebat Ioannes, cum in mutuis amplexibus vterque ſe ipſum amplecti animo ſentiret: & tamen alterum amantiſſimis vlnis excipiebat. O mutui amoris potentiam, quæ rem amatam in amantem non minùs, quàm hunc ipſum in illam conuertit. Ideo non temerè Chriſtus ſe verbum, Ioannes ſe vocem appellauit: vt nobis ſcilicet innoteſceret, non plus diſcriminis inter eos fuiſſe, quàm inter verbum, & vocem: cum enim nihil minùs diſtet à verbo, quàm vox: ideò nullus hominum ſimilior Chriſto, quàm Ioannes. Chriſtus ſine peccato fuit natura conceptus: Ioannes peculiari gratia poſt conceptionem ſanctificatus. Chriſtus, cum in deſerto ieiunaſſet, à dæmone tentationibus inaniter appetitus: Ioannes in deſertis locis cibo vacuus contra omnem criminis labẽ præmunitus. Chriſtus gratiarum ſemina proijciens, odij, ac inuidiæ ſegetem meſſuit: Ioannes, cum plurimos beneficijs cumulaſſet, ingrati animi vitio mancipatos agnouit. Chriſtus ab Herode inter Iudæorum valdè clamantium preces, ludibria ſuſtinuit: Ioannes à priore Herode necis ſententiam impudentis fœminę rogatu reportauit. In mortis ſpecie tantummodò diſpares inſpicio; quia Chriſtus creuit cruci affixus, Ioannes decreuit obtruncatus. Sed non potuit diſcrimen exitu ipſo non comprobari; vt Ioannis prophetiã veritati congruentem intelligeremus: *Illum oportet creſcere, me*

autem

autem minui. At, ne Ioannem in deſerto videar deſeruiſſe, illud in dubitationem non adduco, dum ibi moraretur, mel quoque ipſi præbuiſſe nutrimentum: ſed quodnam mel, obſecro? Certè nõ humano ſtudio defœcatum, at ſylueſtre, vt potè quod minùs ſapidum non tamen deſiderium deluderet, ad neceſſitatem potiùs, quàm ad voluptatem comedentis. Nec ſine myſterio mel pro cibo elegerat, nempè voces emiſſurus, non amaras, quanuis ad pœnitentiæ aſperitatem amplectendam homines incitarent: quibus peccatorum ſordes animis quàmplurimũ noxiæ diluerenrur. Ecquid verò iſtas faciliùs diluit, quàm ieiunium? Sententiam illam vulgatiſſimam non ignoratis: *Contraria contrarijs curantur*. Peccatum ieiunio repugnat: quoniam per vetiti pomi comeſtionem in homines transfuſum minimè expellitur, ſi fames à noſtris corporibus expellatur. Quàm diu hac ipſa diuexamur, eſurit diabolus, qui noſtris epulis vberrimè ſaturatur. Ioannes Baptiſta in deſerto ieiunans, vt omnibus in rebus Chriſti Prodromus non immeritò diceretur, eidem in eremo ieiunium quadragenarium non ſibi, ſed nobis omnibus agitatum propinauit, nobis inquam, vt ipſius abſtinentia eruditi, ſimulq; adiuti cibis faciliùs abſtineremus: dum enim Chriſtus ieiunauit, nobis quodammodo præludens, ieiunij viam olim maximè duram, & ſcrupoſam emolliuit, ſpinis vndiq; runcatis, quæ illam calcare cupientes grauiſſimè deterrebant. Hinc ieiunij ſemita latior, atq; facilior non paucos ſui amantes per aliquot annos nihil interpolatos excipiens, ad ſanctiſſimã Trinitatis menſã, vbi non ambroſia, & nectare, ſed immortali gloria nutriendos, quaſi manu duxit. Quot Paulos, Antonios, Hilariones, Onuphrios, Mauros, abſtinentiſſimos tranſacta iam tempora coluerunt? Quot Ioanuis Baptiſtæ exemplo informatos Chriſtus ſolidiſſimè confirmauit? Vos, felices in cælo animæ, obteſtor, vt illud proloquamini, vtrum ieiunij vires famem, veſtra membra olim nõ parùm delaſſantẽ longiſsimè expulerint, ſeu veriùs loquendo, ad orcum demiſerint, ibi eos, qui luxus dilexerunt, in

ſiti

ſiti ardentibus flammis aridiſsima perpetim cruciaturã. O quàm vellent damnati cum Ioanne Baptiſta Anachoretarũ duce diu, multùmq; ieiunaſſe, ne famem, quæ immaniſſimam lanienam exercet, ſuſtinerent, eo tantùm cibo ſatiati, igne ſcilicet inextinguibili, quo paſti, diuina iubente iuſtitia, nunquam depaſcunt; quia dum inter homines fuerunt, ventri, & gulæ, belluarum inſtar, indulgere non paruum meritum iudicio caſsi iudicarunt. Aſperum cameli indumentum, quo Ioannis Baptiſtæ artus non raró gelu obriguerunt, multos ſanctiſſimos viros edocuit, non ſolùm pretioſas veſtes abijcere, verùm etiam ſua corpora, licet delicatiſſima in præſenti vita denudare; vt in futura nuptialem, nempe ſtolam albam, vere innocentiæ typum ad cæleſtes nuptias inducerent; vnde Ioannes Monachorum Princeps appellatur. Iſtam non induit Epulo Euangelicus inter homines purpura, & byſſo indutus, ſingulis diebus ſplendidè epulatus; quinimmo nunc famelicus in flammis algens, non minùs, quàm in algore ardens, guttam aquæ auidiſſimus petit, neq; accipit: quia ſuo tantùm commodo antea deditus, alienæ miſeriæ oblitus, mendico Lazaro, qui voraci fame lacerabatur, micas ſub menſa pereuntes denegauit. Neq; temerarium exiſtimetis in Ioanne Baptiſta camelinæ pellis induuium: iſtud nanq; animal medium eſt inter alia munda, & immunda. Si ruminationem reſpiciamus, mundum: ſi vngulas non diuiſas, immundum appellabimus. Non ſecùs profectò Ioannes, quoniam Iudaico populo, qui mundus videbatur, nec non Gentili, qui omni munditia carebat, rectas ad Deum ſemitas præmonſtrabat, ideò cameli pelle vtebatur. Sed, qua ætate, interrogatis, auſteram adeò vitam inſtituit? A tenera, ſeptennali ſcilicet, aut ex multorum opinione etiam quinquennali, aſſeueranter reſpondeo, vt quæ in victu, & cultu duriſſima erant, longioris æui beneficio emolliret: nihil enim tam aſperum, nihil tam ſeuerum, quod temporis diuturnitate non miteſcat. Voluit Seruatoris noſtri Præcurſor propriam ætatem viribus anteuenire, Chriſto, inquam, morum

ſan-

ſanctitate, & præſertim abſtinentia, ſimillimus, eſſe, non videri: is nanq; vix natus ſacratiſſimam humanitatem, quam cum diuinitate iunxerat, vt cæleſtē Sponſam amantiſſimè clamantē: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, tandem aliquando exaudiret, cunctis calamitatibus noſtri omnium beneficio maturauit. Quid igitur mirum, ſi Ioannes Baptiſta Eliæ ſpeciem omnium aſpicientium oculis referebat? immo quid mirū, ſi eundem aut Prophetam, aut Meſſiam diutiſſimè expectatum exiſtimabant? Debuit profectò, qui lumen, nempe Chriſtum præmonſtrabat, lucernam imitari: vt per illum omnes crederent, in carne iam ad fuiſſe Dominum, qui omnem carnem originalis culpa perituram priſtino iuſtitiæ loco reſtitueret: iſtiuſq; rei euentum feliciſſimum hiſce verbis prædixit: *Ecce Agnus Dei*, ac ſi dixiſſet. Ecce, qui agni manſuetudinem, humilitatem, innocentiam exercens, cunctorum hominum feritatem, ſuperbiam, omnem denique noxam humeris ſuis portabit: vtq; vniuerſum orbem liberet maledicto legis pro illo nec etiam muſſitans, ſpontè occidendus, fiet maledictum. Ecquid ſinguli homines perpetuæ morti ob Adę peccatum addicti, debent huiuſce ſingularis gratiæ prænuntio Ioanni? Hanc debiti magnitudinem declaret, qui non debet: ne nos grauiſſimo illius pondere oppreſſi, altiſſimo ſilentio alligemur: ille inquam, qui clamantis vox eſt, pro nobis clamet. Sed is modeſtiæ ſuaſu ſui laudes in faucibus comprimens, ad alterum Ioannem ſanctiſſimæ Trinitatis Cancellarium nos remittit; qui de Ioannis Baptiſtæ meritis interrogatus clarè ſic reſpondet. Vos Chriſti Prodromo tantum debetis, quantum Arabaces Gueuaræ equiti ſe debere profitebantur: illum enim cum in natalibus interimere potuiſſet, enutriens, regem omnium oculis oſtentauit. Non ſecus Ioannes Baptiſta, cum Dei verbum in Iudæorum agris periturum, nobis diligentiſſimè ſeruatum indicauerit, veræ fidei nutritius poteſt nominari; quia per illum omnes crediderunt. O vox igitur nobis omnibus vtiliſſima, quę cæli oſtium multorum ſæculorum ſpatio diuina iuſſione clauſum reſerauit! Tunc quidem

Cant. cap. 1.

Io. ca. 1.

ea vox magis, quàm antea recluſa eſt, cum illã Herodiana vin-cula occluſerunt: tunc elatiùs in veritatis locutionem exiuit, cum rex inceſtuoſus Diuum ſaltatricis ſuaſu enecandum cogita-ret, & ille ſe neq; Chriſtum, neq; Eliam, neq; Prophetam eſſe, non ſine aperto fidei experimento aſſereret. Tunc inquam, ob-

Matt. c. 3. truncatus ſine voce vehementiùs clamauit: *Parate viam Domini*, veritatem ſcilicet, cuius pater Deus eſt, nec etiam regibus, qui illam auerſantur, reticere. Nunc autem è ſupremis ſedibus cui-libet grauiſſimè clamat in hoc deſerto (vbi feræ, peccatores vi-delicet habitant, ſimulq; ſerpentes, peccata inquam, reptant,

Eccl. 21. vbi verbo Domini nemo non obſurdeſcit): *Quaſi à facie colubri fuge peccata.* Ad iſtius veneni fugam, ſequentes etiam Ioannis Baptiſtæ voces nihil interruptas audiamus: *Rectas facite ſemi-*

Matt. c. 3. *tas eius.* Si ſemitas noſtras obſeruemus, obliquas procul dubio videbimus: enimuerò vix vnus ex nobis non factus eſt, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. Illud in primis præ-cipit Ioannes, ne in circuitu ambulemus: ſed rectas Domini ſe-mitas faciamus. Verùm quid ſibi vult rectas ſemitas facere, niſi per rectam viam, quam Deus Euangelica lege, tanquam du-ctrice fideliſſima oſtendit, incedere? Hoc quidem eſt viam Do-mini in animis noſtris parare, in quos non ſolum illius gratia liberaliſsima illabitur, ſed etiam ipſemet maximè benignus ſub auguſtiſsimi Sacramenti ſpeciebus ſacerdotum miniſterio ingre-ditur. Tunc profectò Ioannis Baptiſtæ voces implentur: *Ecce*

Io. 1. *Agnus Dei*: Chriſtus enim Agni inſtar, crucis palo ad Æterneũ ca-ritatis ignem combuſtus, nõ carne ſua ſacratiſsima ingenti lau-titie paſcit. Rectè igitur Ioannes: *Ecce Agnus Dei*, nec minùs qui-

Ibid. dem rectè adiecit: *Ecce, qui tollit peccatũ mundi*: enimuerò iſtius innocentiſsimi Agni caro pharmacum eſt contra id ipſum, cum non modò gratiam, ſed etiam illius Auctorem contineat, Chri-ſti paſsionis memoriam adducat, & immortalis gloriæ pignus gloria ipſa longè pretioſius (quoniam in eo gloriæ Conditor eſt) largiatur. Agite ergo AA. Ioanni Baptiſtæ clamanti obtempe-

rantes,

rantes, viam Domini certatim paremus. Ecce alterum aduentum non in hominis humilitate, ſed in ſupremi Imperatoris faſtu glorioſiſsimus parat. Ecce ad iucidium properat, actionum, verborumq;, immo & cogitationum omnium ſtrictiſsimam rationem exacturus. Properat, quia tempus obrepit, nec ſentitur. Ne abſq; noſtra vtilitate obrepat, Regem ſapientiſsimum audiamus: *Fili, conſerua tempus, & deuita à malo.* At quo pacto, inquitis, tempus rerum omnium fugaciſsimum conſeruabimus? Aromatariorum artem cum voluptate non difficilem imitemini. Iſti, vt poma tabiei, quam temporis iniuria ſecum affert, immunia, coſtodiant, ſaccharo, aut melle ſtudioſiſsimè condiunt. Illud quiſq; ſecum ipſe reputet, ſingulas horas poma eſſe ſapidiſsima. Ne iſta cum damno, ac malo pereant, bonorum operum ſaccharo aſſeruentur. Ea nanq; ceteris rebus relictis, ſiue bona fuerint, ſiue mala, nos in communẽ locum abeuntes conſectantur. Huiuſce veritatis apud ſe intelligentiam confirmauit Ioannes Baptiſta, qui nullis mundi illecebris irretitus, nihil niſi, quod neceſsitati ſufficeret, accepit: vt qui viam Domini parandam, ſemitas eius dirigendas ſuaſit, parando, dirigendoq; ſingulos faciliùs anteiret. En AA. viuæ vocis oraculum nulli prorsùs deluſorium. En exemplar cunctis fidelibus, qui ad æternam gloriam anhelant, omni cura, & ſtudio imitandum. Illud, ne quid officio meo deſit, propono, & de Chriſti Præcurſoris laudibus dicendi finem facio.

Ecc. 4.

Digitized by Google

S. Chriſtophorus cruciamentorum victor giganteus.

ORATIO XII.

QVi de Sanctorum meritis publicè dicendi conſilium capiunt, aliunde potiùs, quàm à rebus externis argumentum debent deriuare: illas nanq; tempori ſubiectas, fragiles, & caducas viri prudentes parui faciunt: contra verò diuturnæ, & conſtantes, ideòq; magni pretij dicuntur: quæ, cum neque corpus, neq; fortunam reſpiciant, pendent ab animo mutationis inſcio, niſi nos ipſi rebus noſtris nihil conſulentes, immutemur. Idcircò veram laudem illinc omninò conſtare nemo inficiatur: vnde, cum meritum conſtet, voluntas non regitur, at regit ſui tantùm libero imperio mancipata. Et ideò mihi hodierna die de ſummis Diui Chriſtophori laudibus dicturo, ſatis magnam, prolixam ſatis materiam illius internæ dotes ſuppeditabunt. In eo primum locum Chriſtianæ fidei zelothypia occupauit, cuius ſuaſu, patrijs laribus relictis, in Lyciam ad Euangelij promulgationem, cui totùm ſe addixerat, commigrauit: cum antea frequentiſſimis precibus à Deo poſtulaſſet, vt illud onus profectò grauiſſimum non oſcitanter, non imprudenter, ſed magno ſtudio, & magna ſapientia exerceret: quo animas ad idololatriā iniquiſſimis dęmonum cōſilijs adductas, illinc, ne deceptione miſerrima peritarent, feliciori ſorte amoueret, & Chriſto Domino, qui eaſdem in crucis ligno exanguis redemit, quaſi inferis ereptas reſtitueret. Illius aures huic poſtulationi benignè adeò reſeratas inuenit, vt de catholica religione non modò verbis, verùm etiam rebus, & ijs omnium opinione ſupra mediocritatem admirandis loqueretur. Diuini amoris flamma in ſanctiſſimi viri pectore, quaſi Ætna feruēſcebat, ex cuius æſtu ebulliente, cum lingua, cuncta corporis membra,

bra, quinimmo etiam res apud illum ſenſu caſſæ, de Chriſtiani nominis gloria non vulgarem facundiam præſeferrent. Hæc muta omnes appellabunt: ſed vbi diuina pertractantur, vbi Chriſti honor, qui nullo pretio contra benè æſtimatur, ab hominibus agitur, iſti non amplius homines, at Heroes, Semidei, ipſius naturæ domini res antea elingues, tunc facundas experiuntur: qua in re aliena exempla prætermitto: quoniam, quæ domi ſunt, nō longè inueſtiganda. Iam aderat dies, qua Chriſtophorus ad magnum cœtum concionaretur, cumq; non nulla de Chriſto in medium attuliſſet, quæ auditorum fides difficillimè admittebat, ille multiloquium à ſe, longiſſimè remotum non argumentis (quæ licet vera, attamen multorū perfidia reſpuebat) ſed rebus ſenſui obnoxijs atteſtaturus, baculum, quem geſtabat, humi defixum folijs, floribus, fructibus illicò virentem, omnium oculis rei nouitatē valdè ſtupentibus obiecit. En ariditas in virorem, en egeſtas in opulentiam immutata: en res ſenſus expers, illius affinis: en res muta ſermone plena. Sed cur, obſecro, admiramini, AA. me Chriſtophori baculum opulentum, ſenſus compotem, & facundum nominaſſe? Quot in ipſo folia, flores, fructus, totidem ora, labia, linguæ cenſebantur, quæ indubitabilem veritatem loquaci ſilentio declararent. Non incongruum certè fuit, qui corde hanc viridiſſimam retinebat, eundem non modò lingua, verùm etiam rebus elinguibus reſeraſſe, quique beatiſſimæ Virginis ſanctiſs. Ioſephum in Chriſti geſtatione flumen tranſiens, fuerat imitatus, florentem ipſi baculum, floridæ illius virgæ ſimilem contigiſſe; immo conſentaneum fuit, baculum flores emittere; vnde in eo Chriſtophori in ſe ipſum regnantis potentia, in floribus intaminati animi pulchritudo, in fructibus bona opera typicè agnoſcerentur. Iſtius rei maximè admirabilis euentus non inutilis fuit, at ſummoperè proficuus: quia plurimorum in ſe oculos alliciens, plurimos quoq; ad conuerſionem allicere non ceſſauit. O Chriſtianæ legis magnitudinem, cui placet non à diuitijs, non ab armis, non ab inſidijs, ſed à nuda rei

P 2 ve-

veritate incrementum accipere! O ſupremi Regis omnipotentiam,qui infirma eligit,fortiſſima quæq; oppreſſurus! Enimuerò quid fortius, quid durius, quid conſtantius hominum in rebus diuinis opinione mendaciſſima non alijs, quam perfidiæ viribus confirmata? & tamen illius fortitudinem eneruatam, duritiem emollitam, conſtantiam excuſſam non ignorantes, apud innumeros Chriſti famulos, præcipuè verò apud Chriſtophorum, de quo veſtræ omnium benignitatis impulſu, quæ aurium, ſimulq; animorum in audiendo tolerationem neſcit denegare, hodierna die verba facimus. Nemo igitur non exclamet. O militantis Eccleſiæ fabricam in æuum ſempiternum admirandam! quæ fundamentis vili piſcatorum manu iactis ſublimè adeò aſſurrexit,vt illius faſtigium rerum omnium Conditoris regiam attingens, nullum labefactionis periculum, nec etiam ab inferorum viribus timeat. Iſtius faſtoſæ molis opus Chriſtophori ætate non parùm feruebat, qui, ne inter tot, tantoſq; viros illius ad ſtuporem feliciter ſurgentis laboribus addictos non ſine culpa otiari videretur, in ſacroſancti Euangelij propagatione inſudans, nihil vnquam laſſitudinis ſenſit, licet rex Lyciæ Dagnus illum imperio ſuo delaſſare conaretur: eximia enim idolorum cultus per Chriſtophorum imminutione audita, cũ plurimum damni ſibi, regnoq; facere exiſtimaret, Chriſti Athletæ accerſiri iuſſo, in deos obſequium,& venerationem verbis amantiſſimis proponit. Quæ res, cum haud ex ſententia ſuccederet, in vincula detrudit, illius integritatis violationem per duas mulieres infamiæ nota inſignitas, quæ cũ ſancto viro libidinosè agerent, ſolicitat fraudolenter ratus, Chriſti militis conſtantiam luxuriæ æſtui facillimè ceſſuram, cui non pauci milites fortiſſimi armatis hoſtium copijs inſuperabiles omninò eneruati ceſſerunt: ſed, prælio ne minimùm quidem tentato, Martyr Chriſti triumphans, de illis opima ſpolia reportat; enimuerò vix in obſcurum carcerem (vt armis venereis in Chriſtophorum inceſſerent) ingreſſis, lumen diuinitùs affulſit, cuius ſplendore conditionis ſuæ calamitatem

agno-

Digitized by Google

agnoſcentes, Chriſtianam fidem iam ſibi plurimùm exoſam, Chriſtophori præcibus ad Deum internuncijs ſuſceperunt. O felices fœminæ, quæ ex lautiſſimo plurimarum culparum alimento Chriſti aucupantis præda euaſiſtis, illius ſeruitutem, quæ liberum imperium habet, nunquam amiſſuræ! Felices, inquam, ſpagyricæ artis peritiſſimæ, quæ ex peccati materia ad caritatis ignem appoſita cæleſtis gratiæ aquam elicere non ignoraſtis! Quid igitur repaguli Dei ſeruis vincula, & catenę obijciunt, quò minùs Domino fidelem operam impendant? Sed quo pacto iſta coarctent, ne per ſuſcepti muneris ſtadium curſuram exerceant? Caritas neſcit timorem, vinculorum nodos penitùs indiſſolubiles ſoluit, catenarum laqueos etiam adamantinos frangit, de rebus arduis, & ſcrupoſis Herculeo robore triumphatura. Hæc virtus in virilibus mulierum cordibus Chriſtophori ſuaſu accenſa eò vſque conflagrauit, vt ab iniquiſſimi regis comminationibus ad publicam orthodoxæ fidei confeſſionem contra mendacem deorum cultum nihil timoris contraheret. In Iouis enim templũ, vt ſacra facerent, abſtractæ, Martyris exemplo, cuius memoriam abſentes ſtudioſiſſimè colebant, vittis, quas ſibi ademerant, in falſi dei ſimulacrum coniectis, illud ab ara diuellunt, inter conuicia turbæ, quæ ibi aſtabat, aures verberantia validè conculcant, vociferantium clamoribus nequaquam terrentur, omnia tormentorum genera, etiam necem in tanti criminis pœnam minitantes deludunt, hanc ipſam à tyranno non dubię fidei conſtantia ſuperato indictam, ceruicibus athleticè datis, ſubeundo, quadraginta viros in laudatiſſimæ fortitudinis exemplar adducunt: vnde Chriſtophorum in vinculis habitum non mediocri ſolatio afficiunt, efficiuntq;, vt in ſingulas horas magis, magiſq; martyrij deſiderio incaleſcat. Sanctiſſimarum mulierum felicitati non mediocriter inuidens, quæ morum fœditate olim cornices fuerunt, puriſſimas columbas vocat, in cælum diuino aucupio receptas. Eiſdem ex animo gratulatur, ſimulq; preces offert, vt grati animi virtutem exercentes, vbi nihil, niſi quod ſupremo

gra-

gratiarum Principi gratiſſimum apparet, exercetur, hunc ipſum orent, vt eandem ſortem iam diu exoptatam ſibi concedere (quæ illius eſt benignitas) non recuſet. Haud irritæ ſunt preces; immo voti compos ad regem adducitur, an velit Chriſto nuntium remittere iterum ſolicitatus. Quid inde? Chriſtum ipſum, Deum viuum, & verum, nullumq; alium, hoc vno excepto, niſi ſtultorum opinione reperiri liberius, quàm antea confitetur. Adijcit, ſe velle hanc ignominiam per ignem, & aquam euitare; ne, qui humeris Chriſtum geſtauit, hunc ipſum animo ingratiſſimus deponat. Non defuit inter regis miniſtros, qui ſæuitiam, quaſi virtutem omnium laudatiſſimam amplexatus, & ideo hanc loquendi libertatem iniquè ferens, Chriſtophoro alapham impegerit: contra verò non defuit percuſſo Martyri audacia, vnde percuſſori crimen, nulla tamen odij affectione concitata, exprobraret. Improbus miniſter multùm à Chriſtophoro timuiſſet, cuius animi magnitudo admirabilem corporis molem ſuperabat: ſed iſtæ Martyris voces leniſſimæ omnem acceptæ iniuriæ retributionis ſuſpicionem amouerunt: Ego libens te ſuſtineo, quoniam Chriſtianæ fidei fulcimento ſuſtentor. Significauit miles generoſiſſimus, in Chriſti famulis illud præſertim requiri, vt eius veſtigia calcantes, ſuis perſecutoribus parcant, non aliam illis vltionem, quàm bona omnia appetant. Ex ipſa percuſſione ſtatim illico ipſi ſubijt ſceleſtiſſimi Hebræorum Pontificis miles, quem Chriſtus immaniſsimè percuſſus, non grauiter voluit tolerare, vt noſtri peſſimi conſilij de vindicta duritiem non tam à rei difficultate, quàm à multa genij impatientia prodeuntem emolliret: nulla enim virtus meritorum cumulatione opulentior, nulla Deo gratior, quàm facilis iniuriarum obliuio ad cæleſtis gloriæ adeptionem, quæ patientiæ viribus comparatur, neceſſaria. Huic ſemper impenſiùs ſe accinxit Chriſtophorus, varia cruciamenta alia alijs acerbiora à tyrannica feritate ſubiturus. Cum hæc ipſa à rege inter ſceleſtiſsima verba obiectarentur, vir fortiſsimus, quaſi roſas lætis auribus, lætiori animo excipiebat,

bat, vt in cæli ſedem, vbi fortia apud mortales perpeſsi regnant, corona diuino fauore tandem aliquando maturata, exciperetur. Iſtius auro contextæ purgatio igni committitur; inuicti Martyris tempora, quæ regis iuſſione candentem galeam illæſa ſuſtinuerunt, tam inſigni ornatu dignißima prædicãtur. Laudat Chriſtophorus tyranni mentem, licet hæc ipſa aliud reſpiceret, quippè quæ ignitam ſibi galeam imponens, ad ſalutis æternę impetrationem viam præmuniret. Sentit cetera corporis membra ad capitis imitationem geſtientia: quæ, dum immortalitatis veſtem exoptant, æqualem cum ipſo capite meritorum experientiam requirunt. Nihilò quidem minùs, vt de ſe periculũ fiat, ſanguis ebulliens, ambit crudeliſsimis fuſtium plagis è venarũ penetralibus exire, vt ſibi etiam plenè ſatisfactum videatur. Enimuerò Martyr poſt publicam verberationem acriter adeò inflictam, vt nemo illum vndiq; dilaniatum non ſuſpiceret, in ferreo lecto cratis inſtar extructo collocatur: vt ſinguli artus, vna, eademq; opera torreantur, ardenti larido, oleoq; guttatim percutitur: nec tamen ijſdẽ cruore fluentibus extinguitur; ſed potiùs illius iuuentus quaſi aquilæ ad feliciorem vitam renouatur: vnde hominum octo millia ſupra quadraginta Chriſtianam fidem amplectuntur. O quàm iucundè piorum animos affecit gigantea Chriſtophori victoria innumeris quaſi trophæis circumuenta! Quot animas nefariæ idolorum venerationi ſubtraxit, totidem palmas in cælum ſibi aſportandas acquiſiuit, aut ſaltem nullus homo, ex tot millibus illius opera, & labore ad Deum conuerſis, aliquid nobiliſsimo triumpho grati animi præcibus nõ retribuit. Plus tamen nõ aliunde, quàm à tyranni (ò monſtrum!) monſtruoſa immanitate accepit triplici martyrio ſupra omnium fidem acerbo cumulatus: enimuerò quem ignis edaciſſimus non comſumpſit, ſagittarum mucronibus confodiendum demandauit. Stat Chriſtophorus corpore, & animo robuſtiſſimus, arborem reuinctis à tergo manibus, quo modo poteſt, amplectitur. Stat non tam, vt ſagittarum ictus excipiat, quàm vulnera inuictiſſimus ſuſtineat.

ſtineat. Stat, vt corporis robur cum animi virtute coniunctum potiùs oſtendat, quàm iniquiſſima perſecutoris expleat mandata. Dum artus volucre ferrum excipiunt, illius inhumanitatem, quòd non citiùs, quòd non ſæpiùs, quòd non crudeliùs ſæuiat, redarguunt. Dum minima pars corporis ſauciatur, aliæ, quòd vulnus non ſentiant, inuidiam ſæuiſſimè excruciantē ſentiunt: inter ſtigmata priori antecaptum in ſanctiſsimis membris locum facundiſsimè inuicem gratulari non ceſſant. Iſta profectò quàm maximè collætantur, ſe aures quodammodò factas ſalutaria Euangelij monita admiſſuras. Sanguis illinc vbertim effuſus nō aliquā profectò elicientibus vltionem, ſed potiùs à Deo liberalem veniam miſeranter implorat. Interim Chriſtophorus ad necem crudeliſſimam vulneratur: & quod ardentibus flammis non licuit, ſagittarum aculei ſibi licere arbitrantur: vnde cateruatim ingruentes, ſibi inuicem animos addunt, ſeueritatemque ſimul, & celeritatem ſuadere non deſiſtunt. Sagittarios ipſos ad robuſtam emiſſionis frequentiam hortātur, à laqueis opem expetunt: qui Martyrem arctè habentes, ictibus promptiorem faciant. Arborem enixè orant, vt funes coerceat: terram obteſtantur, vt arboris radices in ventre ſibi defixas (ne vllo pacto concutiantur) ad grauiorem cruciatum conſtanter retineat: vt faciliùs poſſit, opulenter enutriat. Dum hæc omnia ad Chriſtophori lanienam congruunt, illius feruens oratio ad Deum velociter aſcendit, non vt ſe ſupplicio eximat, verùm pro fide catholica triumphatorem efficiat. Si velit tormenta longiùs proferre, non abſtineat: ſed de tyranno palmam anxiè ſperatam ne auferat. Quicquid vexationis apud mortales reperitur, in ſe vnum congerat, dummodò conſtantiæ beneficio impertire non dedignetur. Aſſerit perſecutorum telis locum non eſſe in hominis corde diuinæ caritatis vulneribus occupato. Voluit Deus Chriſtophoro cruciamenta producere, martyrij palmam ad honoris auctionem triplicare: vnde, quem igni plurimùm flammeſcenti abſtulit, hunc ipſum telorum aceruo exemit: cuius animi celſitudo tortoribus nun-

quam

quam ceſſit, huic defatigatæ ſuppliciorum vires ceſſerunt: qui nihil in toto corpore flammis conſumendum habuit, acerrima ſagittarum ſpicula faciliùs retudit: qui in candenti lecto cubans, ſe ipſum euicit, ad arborem erectus longè fortiùs pœnas ſuperauit. Conſpicite (ſi vultis) AA. prælium inter Chriſti militem, & diaboli miniſtrum, ſupra quàm cogitari poſſit, crudele. Tyranni arma ſunt rabies, & ſæuitia: Martyris ſemper magis, magiſq; inconcuſſa patientia. Ille oppugnat immaniter imperando: hic repugnat nequaquam parendo. Illinc iterantur cruciatus: hinc geminatur toleratio. Illinc ad perduellis necem ebullit inuidia: hinc ad hoſtis vitæ deſideriū feruеſcit beneuolentia. Illinc apud inferos educuntur noua tormenta: hinc in cælo quæritantur athleticè ſuſtinēdi exempla. Rex Dagnus idolorum obſequio damnum pertimeſcit: Chriſtophorus in dies meliùs ſperans, veræ fidei robur acquirit. Ille ſanguinem mente euoluit: hic amœnitatem, riſum, lætitiam animo inceſſanter ingerit. Ille Martyrem dilaniando, ſe ipſum euiſcerat: Martyr lanienam alacriter ſuſtinendo, animum immortaliter beat. Ad ſummam recentibus pœnis Chriſtophorum vinciendo ipſe vincitur: Chriſtophorus ſingula æquanimiter patiens, victoriæ palmam inter cæleſtes triumphatores caput ornaturam intuetur. Quocircà non magis libet tyranno, quæ crudeliſſima ſunt, experiri, quàm libeat Chriſtophoro mortem momento temporis è vita erepto in æui æternitatem commutare. Tyrannus Chriſtophorum aggreſſus, obtruncat: Chriſtophorus poſt ceruicem lætanter datam è mortali carcere egreſſus, trigeminam de hoſte palmam reportat. Et quoniam illi triplex corona debetur, hæc in vnum contexta glorioſum Chriſti Athletam exornat; de quo militantium Eccleſia illud encomiū explicat lætabunda: *Corona aurea ſuper caput eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.* Chriſtophori ſanctitatem ignis crati ſuppoſitus examinauit, ſagittarum turba fortitudinem expreſſit, ſecuris acutiſſima ſublimem honorem, nempe martyrij dignitatem, attulit. Vbi Chriſtopho-

ſtineat. Stat, vt corporis robur cum animi virtute coniunctum potiùs oſtendat, quàm iniquiſſima perſecutoris expleat mandata. Dum artus volucre ferrum excipiunt, illius inhumanitatem, quòd non citiùs, quòd non ſæpiùs, quòd non crudeliùs ſæuiat, redarguunt. Dum minima pars corporis ſauciatur, aliæ, quòd vulnus non ſentiant, inuidiam ſæuiſſimè excruciantẽ ſentiunt: inter ſtigmata priori antecaptum in ſanctiſsimis membris locum facundiſsimè inuicem gratulari non ceſſant. Iſta profectò quàm maximè collætantur, ſe aures quodammodò factas ſalutaria Euangelij monita admiſſuras. Sanguis illinc vbertim effuſus nõ aliquã profectò elicientibus vltionem, ſed potiùs à Deo liberalem veniam miſeranter implorat. Interim Chriſtophorus ad necem crudeliſſimam vulneratur: & quod ardentibus flammis non licuit, ſagittarum aculei ſibi licere arbitrantur: vnde cateruatim ingruentes, ſibi inuicem animos addunt, ſeueritatemque ſimul, & celeritatem ſuadere non deſiſtunt. Sagittarios ipſos ad robuſtam emiſſionis frequentiam hortãtur, à laqueis opem expetunt: qui Martyrem arctè habentes, ictibus promptiorem faciant. Arborem enixè orant, vt funes coerceat: terram obteſtantur, vt arboris radices in ventre ſibi defixas (ne vllo pacto concutiantur) ad grauiorem cruciatum conſtanter retineat: vt faciliùs poſſit, opulenter enutriat. Dum hæc omnia ad Chriſtophori lanienam congruunt, illius feruens oratio ad Deum velociter aſcendit, non vt ſe ſupplicio eximat, verùm pro fide catholica triumphatorem efficiat. Si velit tormenta longiùs proferre, non abſtineat: ſed de tyranno palmam anxiè ſperatam ne auferat. Quicquid vexationis apud mortales reperitur, in ſe vnum congerat, dummodò conſtantiæ beneficio impertire non dedignetur. Aſſerit perſecutorum telis locum non eſſe in hominis corde diuinæ caritatis vulneribus occupato. Voluit Deus Chriſtophoro cruciamenta producere, martyrij palmam ad honoris auctionem triplicare: vnde, quem igni plurimùm flammeſcenti abſtulit, hunc ipſum telorum aceruo exemit: cuius animi celſitudo tortoribus nun-

quam

quam ceſſit,huic defatigatæ ſuppliciorum vires ceſſerunt : qui nihil in toto corpore flammis conſumendum habuit, acerrima ſagittarum ſpicula faciliùs retudit: qui in candenti lecto cubans, ſe ipſum euicit, ad arborem erectus longè fortiùs pœnas ſuperauit. Conſpicite (ſi vultis) AA. prælium inter Chriſti militem, & diaboli miniſtrum, ſupra quàm cogitari poſſit, crudele. Tyranni arma ſunt rabies, & ſæuitia: Martyris ſemper magis, magiſq; inconcuſſa patientia. Ille oppugnat immaniter imperando: hic repugnat nequaquam parendo. Illinc iterantur cruciatus: hinc geminatur toleratio. Illinc ad perduellis necem ebullit inuidia: hinc ad hoſtis vitæ deſideriũ ferueſcit beneuolentia. Illinc apud inferos educuntur noua tormenta: hinc in cælo quæritantur athleticè ſuſtinẽdi exempla. Rex Dagnus idolorum obſequio damnum pertimeſcit: Chriſtophorus in dies meliùs ſperans, veræ fidei robur acquirit. Ille ſanguinem mente euoluit: hic amœnitatem, riſum, lætitiam animo inceſſanter ingerit. Ille Martyrem dilaniando, ſe ipſum euiſcerat: Martyr laniенam alacriter ſuſtinendo, animum immortaliter beat. Ad ſummam recentibus pœnis Chriſtophorum vinciendo ipſe vincitur: Chriſtophorus ſingula æquanimiter patiens, victoriæ palmam inter cæleſtes triumphatores caput ornaturam intuetur. Quocircà non magis libet tyranno, quæ crudeliſſima ſunt, experiri, quàm libeat Chriſtophoro mortem momento temporis è vita erepto in æui æternitatem commutare. Tyrannus Chriſtophorum aggreſſus, obtruncat: Chriſtophorus poſt ceruicem lætanter datam è mortali carcere egreſſus, trigeminam de hoſte palmam reportat. Et quoniam illi triplex corona debetur, hæc in vnum contexta glorioſum Chriſti Athletam exornat; de quo militantium Eccleſia illud encomiũ explicat lætabunda: *Corona aurea ſuper caput eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.* Chriſtophori ſanctitatem ignis crati ſuppoſitus examinauit, ſagittarum turba fortitudinem expreſſit, ſecuris acutiſſima ſublimem honorem, nempe martyrij dignitatem, attulit. Vbi Chriſtopho-

rus ſupremum Capitolium conſcendit, vt triumphi gloriam ſanctiſſimæ Trinitati acceptam referret, primum coronæ lapidem adamantem Patri, ſecundum, nempè topazium Filio, tertium nomine ſapphirum Spiritui ſancto humiliter obſequioſus obtulit. Triumuiratus diuinitate, ac potentia indiuiſus, coronam ex auro vnica tantũ gemma, ſed omnium pretioſiſſima exornatam (vt trium perſonarum vnitatem denotaret) honoris cauſa Martyri reponendam iudicauit. Et quoniã eo liberaliſſimo munere non parùm exultat Eccleſia, nos cum eadem communi fidelium genitrice Diuo Chriſtophoro, qua decet humilitate, certatim gratulemur, illud encomium rei propoſitæ conſentaneũm vſurpantes: *Poſuiſti Domine in capite eius coronam de lapide pretioſo.*

Pſal. 20.

S. Dominicus Prædicatorum Ordinis Inſtitutor conſpicuus, & hæreſis expugnator acerrimus.

ORATIO XIII.

Solet animus noſter acutiſſimis præſagiorum ſtimulis incitatus, futuris monſtris fidem accommodare, addo, monſtri ſimilia concipere: quæ apud alios concepta non modò ad fidem, verùm etiam ad ipſam ideam ſibi aditum non reſerarent. Illinc ſpes non dubia mihi oſtenditur, fore vt à veritate nihil prorſus aliena exiſtimetis, AA. (licet monſtrorum omnium monſtruoſiſſima ſint) quæ hodierna die in medium afferam de Prædicatorum Ordinis Inſtitutore conſpicuo, hæreſiſq; Expugnatore acerrimo, cuius natiuitatem multa admiranda anteuenerunt. Ioannæ mulieris primatiæ aluus Dominico plena, per ſomnium ſibi viſa eſt catellum parere, qui ore facem ad totius orbis ſplendorem geſtaret: altera

ra illius mater, nempe à ſacratiſſimo baptiſmatis fonte ſpiritualis, ſtellam aſpexit, quæ eiuſdem infantiam, dum capiti immi-nebat, quodammodò depaſcens, cunctis terræ animantibus præfulgeſceret: vnde alterum alterius, quod infauſtum videbatur, prodigij timorem attemperauit. Poterat Ioanna à ſe partum Troiano Paridi, à quo accenſo igne, Phrygia vniuerſa conflagrauit, exitu ſimilem expaueſcere: at ſidus feliciſſimè ortum facem ad fulgorem, nō ad combuſtionē præſignauit; liceat etiā affirmare ad combuſtionem ſimul, & fulgorem. Ad combuſtionē, inquam, ſed profectò vitiorum, & culparum, præcipuè verò hæreticæ prauitatis, quā & ſcriptis, & ore tam acriter eſt auerſatus, vt in ea, quicquid hominum animos poſſet inficere, non ſine ingenti animo inſectaretur. Ad ſplendorem: quoniam illius doctrina non ſecùs, atque Apollineus nitor per alumnos ſuos, quaſi radios ſplendeſcens, vniuerſum orbem illuſtrauit. Hic libet parùmper commorari, tanquàm in ea parte, quæ impenſiorem Dominici laudem ab indefatigata Chriſtianæ fidei propagatione valeat reportare, animiſque veſtris multò maiorem iucunditatem exhibere. Duo inter cetera lampas Phœbea nobis liberaliſſima præſtare conſueuit, tenebras in colles, valleſq; diffuſas expellere, & lucem hominum vitæ alimento neceſſariā (vt hæc ipſa longè felicior, largèq; productior fiat) ſecum adducere. Cur verò Dominicum Phœbi nomine non appellem? Peculiaris enim labor, ſed tamen ſine moleſtia eidem fuit, cordium apud homines, qui de Chriſtiana religione perperàm ſentirent, rimulas perſcrutatus, ab inferis ortas caligines diluere, poſt tenebricoſam errorum noctem ſereniſſimam diem, quæ ſempiternæ gloriæ tramiti eluceſceret, procreare. In more poſitum non ignoramus apud antiquos Apollinis caput duodecim fulgentiſſimis radijs circumuentum effingere, vt fortaſſe duodecim ſidera, quæ Zodiaci ſigna percurrunt, mortalium oculis ſymbolicè obiectarent. Sed quantò clariùs Dominici pectus, quod (ſi nominis ethimologiam ſpectes) Dominum cuſtodiebat, duodecim fidei articulis, tan-

quam ſplendidiſſimis radijs iugiter exarſit? Iſtius rei indicium ſit, quod euentus ipſe meridiana luce ſplendidiùs comprobauit. Hæreticis nanq; cum ipſo diſceptantibus, grauis controuerſia in longum producta, huiuſmodi conditione quietem ſibi promiſit, ſi vtrinque liber de vera religione conſcriptus, in ignem non mediocriter accenſum proijceretur: qui verò illeſus exiret, hanc illi ineſſe nō difficilè atteſtaretur. Integerrimi viri liber, qui cunctis erroribus verè liber erat, ignem liberrimus euaſit, illud loquaci ſilentio (ſeu veriùs dicam) facunda ſcriptione oſtenſurus, quicquid iam Spiritus ſancti igne inflammatum eſſet, materialem ignem non timere. Debuerunt aduerſarij omnes tam admirabilis rei exitu commoti, catholicæ fidei non diutiùs aduerſari: debuit pariter iſta res monſtruoſiſſima dæmonis monſtra (ſic hæreticos appello) non parum afficere. Affecit profectò ſed admiratione potiùs, quàm conuerſione. Affecit ſui magis eximio dolore ob victoriam, quam ſibi exploratè pollicebantur, in publico amphiteatro non ſine ignominia amiſſam, quàm ob veritatis, vnde æterna animorum ſalus pendebat, cognitionem. Sed quo pacto poterant victoriam adipiſci, quam mendaciſſimi patris, nimirum diaboli vaniloquentia obiecit? Debuit hæc ipſa decollare, & in ignem elapſa, dilui, nihilum fieri, aut, ſi quid omnino facienda eſſet, in ignem ipſum conuerti, cuius ſplendor mendacem hæreticorum opinionem cordibus altiſſimè inhęrentem omnium oculis demonſtraret. Sed, cum rem ipſam diligentiùs expendo, ignis lucem amiſit, ſtatim vt librum mendaciorum tenebris ſuffuſum ſe excepiſſe perſenſit. At non potuit liber tenebras non habere ex inferis eductus, vbi ipſe ignis nihil aliud habet, niſi æſtum verè tenebroſum: quo omnia ſine vlla conſumptione exardeſcunt. Hinc flagrantiſſimè exarſit hæreticorum iracundia: quoniam Dominici liber non ab alio, quàm ſe ipſo, qui veritatem adamantem firmiorem continebat, ter à ſceleſtiſſimis hominibus igni traditus, ter quoque illinc ſponte, ac ſine læſione egreſſus, non paucos viros, & mulieres, præſertim verò nobiles

biles

biles ad veræ fidei confeſſionem adduxit. Illinc multi in Dei famulum ſermones, & conſilia: illinc innumera conuicia, non exigua in corpus læſionis præludia: quæ innocentem animum martyrij cupiditate inflammarunt. Dominicus cogitauit Chriſto pro mortalium immortalitate nihil non paſſo aliquod grati animi indicium exhibere, ſi pro illo caput in diſcrimen adduceret: quocircà per incommodorum omnium perpeſſionem illius ſacratiſſima veſtigia ſequutus eſt, qui humanam carnem induit, vt, quicquid terrarum orbis vniuerſus malorum habuit præter culpam, inculpanter æquè, ac libenter ſuſtineret, vtq; nobis faciliùs ſuſtinendum redderetur, ſui quidẽ roboris attactu alleuaret. Enimuerò quoties mater puerulum humi dedita opera cubantem inueniens, lecto inter molliſſima linteamina ad quietis captionem commiſit? Sed iudicauit puſio, quippe cuius maturum iudicium ætatis immaturitatem antecelleret, in ipſa infantia infantem Chriſtum ad amuſſim iugiter imitandum: in cuius licet Regis ortu, attamen haud regale ſtratum, ſed fœnum abiectum in præſepio membra ſacratiſſima calcarunt. Cognouit, terram, qua conſtabat, velut rerum omnium vilisſimam toto corpore premendam: vt ipſum terræ aliquando reſtituendum ab ipſa preſura innoteſceret. Non ſine maximo quæſtu ſententiam illam intellexit: *Naſcentes morimur*: vix enim, genitricis aluo relicta, ad æuum ſempiternum anxijſsimus anhelauit, cum morti proximum ſe ſe exiſtimans, tunc vitæ beneficio frui cœpit; eaque animi affectione diuinitùs accepta, ex vitæ principio ſuimet finem, mortem videlicet, quæ immortalitatem enutriret, contemplatione aſſequebatur. Nonne hoc etiam monſtri ſimile iudicabitis, AA. tantum prudentiæ ætati, quæ minima eſt, proculdubio conceſſum, vt ſatis eſſet ad præſagium in Dominico futuræ ſanctitatis, quæ annorum copia ex vmbris in apertam lucem recluſa, volentes in ſui admirationem alliceret, nolentes etiam compelleret? Ea demũ vera ſanctitudo eſt, quæ nihil ambiens, de ſe humiliter ſentit, nulli pro ſalute aliena labori parcit,

cit, corpus macerat, ieiunijs, vigilijs, precibus operam nauat: hoc vnum, quod inſtar omnium eſt, animo euoluit, vt Deo nullo vnquam tempore non inſeruiat. Ecquid ex iſtis Patriarcha ſanctiſſimus prætermiſit, immo ſtudioſiſſimè non exercuit? Qui apud Dominicum humilitatem introſpicere deſiderat, huic maxima inclinatione opus eſt: illa nanq; tantum profunditatis in eius animo inuenit, quantum molis cælum conſpecturæ poſtulant fundamenta. Animus noſter fabrica eſt quadratis virtutum lapidibus conſtruenda:& non aliunde conſtantiam præſtolatur, niſi ab humilitate, quæ, quantò eſt profundior, tantò altiùs fabrica eleuatur. Exoptas, illius culmen indiuiduæ Trinitatis thronum aſpicere? Illud potiſſimùm cura, vt fundamenta inferos contingant: nihil enim acriùs poteſt dæmones afficere, quàm virtus ſuperbiæ vitio eorundem damnationis origini oppoſita. Ab ea Dominicus conſilium cepit honores non modò cõtra hominum conſuetudinẽ non conſectãdi, ſed etiã iſtos ſæpius oblatos reijciendi, illud non falsò ratus, verticem dignitatũ à merito potiùs, quàm à meriti fructus adeptione deriuari. Qui illis non caret, opulenta virtutis mercede, quæ ipſa virtus eſt, perfruitur: qui verò honore immeritus potitur, non ipſum, ipſius ſpectrum veriùs amplexatur. Sed quoniam, ſicut, qui aduerſus ſolem incedit, illum fugientem ſequitur; ſi poſt eumdem ambulet, non ſecus, ac pediſequum habet: non aliter dignitates appetentem fugiunt, fugientem appetunt. Iſtud quidem Dominico accidiſſe certò ſcimus, qui poſt vnum, atque alterum epiſcopatum vltro ſibi obiectum, tertium quoque humilitatis ſuaſu reiecit. Abſuit ab eo indicium meriti, ſed nihil prorſus abſuit meritum; quinimmo adfuit etiam meriti indicium, communis ſcilicet bonorum ſermo de illius virtutum cœtu facundiſſimus. Ecquid enim clarius apud ſummum virum meriti non vulgaris teſtimoniũ, quàm imbecillum de ſemetipſo iudicium? Qui optatos aliquandò gradus conſcendunt, infra illos omninò verſantur: qui verò non ſemel præſertim oblatos ſubterfugiunt, terreni faſtus, ac pom-

pæ

pæ triumphatores ſupra iſtos longè extolluntur. Dominicus de proximi ſalute adeò ſolicitè laborauit, vt multarũ matronarum nobilitate inſignium, optimæ religionis conuerſioni, quadragenarium ieiunium pane, & aqua præmunitum, ſeueram carnis cõculcationem, humi cubatum, non infrequentem vigiliam, aſſiduam diuinæ benignitatis implorationem præmittendo, ſacrauerit. Parum dixi, AA. Poſt bonorum omnium abdicationem ab Oximenſi Epiſcopo inter Canonicos regulares receptus, illiq; comes adiunctus, in legatione, quam Caſtellæ Regis iuſſu ad Alfonſum peregerat, cum Albigenſium hæreſim repreſſiſſet, hæreticumq; audiſſet propriæ impœnitentiæ cauſam adducentem, quòd ingenti fame oppreſſus, improborum catholicis reluctantium opibus ad ea, quæ neceſſaria erant, alleuaretur, me, inquit, venui expone; ne diutiùs pro cibi neceſſitate gehennæ flammis te exponas. Non durum, neque aſperum duxit apud mortales ſeruitium, quod poſſet immortali ſeruitio liberare. In hominũ imperio corpus, in dæmonum poteſtate animus ſeruit. Pereat corpus (ait Dominicus) dũmodò animus incolumis aſſeruetur. Illud hac de cauſa pereundo nonperit, in vinculis eſt liber: quoniam regum omnium Regi, apud quem obedientia, mera libertas eſt, fideliſſimè famulatur. O admirandam caritatem boni omniũ maximi, quoniam apud naturam omnium primi, libertatis ſcilicet oblitam! Hæc affluentem lacrymarum copiam ex intimis viſceribus in Dominici oculos, hęc indidem feruentiſſimas in eius linguam ad Deum preces pro illorũ, qui miſerijs cõflictabantur, alleuamento appellauit. Non potuit aflictorum non miſereri, quẽ corporis ſui conflictationis nunquam miſeruit; immo qui Dei iram in alios concitatã placaturus, verbera, & plagas carni acerbiſſimè inflictas ſæpè, ac ſæpiùs gratam, acceptamq; illi hoſtiam immolauit. Dum inclementer ſe ipſum affligeret, illud omninò meritus eſt, vt, quæ ſibi cariſſima fuerunt, malorum omnium immunia inſpexerit. Hoc vnum expreſſioni committam, vnde cetera facillimè conijciantur. Cum Dominicus fluuio veheretur,

non

non paucos libros ſuæ ſcriptionis amiſit: qui à piſcatore aquis erepti, nobiliſſimæq; mulieris iuſſu tranſmiſsi, abſq; minima læſione illinc auctoris cōſpectum, quaſi iam diu optatum lætabundi ſubierunt. Quamobrem taceat hoc loco Philoſophus, qui veritatem in altiſsimo puteo iacentem finxit; vnde difficillimè extrahi valet: enimuerò, ſicut oleum cæteris liquoribus ſupereminet: non ſecus hæc ipſa è mari, licet profundiſſimo libera emergit. Exemplum in promptu accipite. Eruditiſsimi Patriarchæ labores Euangelicæ veritatis teſtes quidem luculentos, quinam, obſecro, aquarum vortex abſorbuit, quinam ardentiſsimus licet ignis exedit? quid verò exedit? immo ſummis etiam labijs attingere non dubitauit? Veteres ad veritatis lucem non ſecus, ac talpæ ad ſolem cæcutientes, eandem temporis filiā nuncuparunt eo fortaſſe conſilio, quòd cum tempore illius parente edaciſsimo omnia conterat: nihil enim ſub ſole conſpicimus, quod temporis viribus cedens, nihilum non fiat. Nos verò catholici longè meliùs, ac prudentiùs ſentientes, veritatem à Deo temporum Domino genitam credimus; quoniam ad illius exemplum falli non poteſt: & quamuis ſæpenumerò fucis obliniatur, fallacijs occultetur: in tenebris tamen quaſi pyropus eniteſcit non aliunde, quàm à ſuo non ſimulato Genitore, qui vera lux eſt, puriſsimam lucē accipiendo. Conentur, quamtùmlibet, hæretici ſalutaria Dominici dogmata perpetuæ obliuioni demandare: impijſſimæ cupiditatis ſuffragatores, lingua mortifero veneno infecta, cuncta valdè confundant. Quid demum? Tanquam vaniloqui, ac nebulones mendaciorum ignominia, digito monſtrabuntur. Illud cælitùs, vnde omnia bona, datum in nullam dubitationem adducitur, nimirùm cuncta elementa viris ſanctis obtemperare, quæ hoc vnum ſibi propoſitum firmiſsimè retinent, diuinæ nimirum voluntatis obedientiam: neq; iſtud, quicquid eſt, monſtruoſum videatur, quoniam hodie de monſtris loquimur. Et nequis hoc iudicet monſtrum, Regium Pſalmographum conſulat, qui, Deum timentium ſe voluntatem facturum pollicetur.

Quod

Quod autem auctoritas non infirma comprobauit, exemplo clariùs eluceſcat. Omnipotentis Dei dexteram orbis terrarum aliquando aſpexit, nec ſine ingenti mœrore: quia non ſine ingenti periculo corruendi. Statim adfuit beatiſſima Virgo, quæ propriæ magnitudinis oblita, vt Filium non mediocriter iratum mitigaret, duos innocentiſſimos viros propoſuit Dominicum, & Franciſcum, veluti duplex virtutum omnium ærarium. Non potuit tantæ ſanctitatis intuitus iram diuinam non modò non attemperare: verùm etiam penitùs non diluere: non potuit fulmina in homines conijcienda in lethes flumen non deijcere: non potuit, quicquid fuit ſcelerum, ſceleſtis ipſis non condonare. Cur igitur eorum alteri Orientis, Occidentis alteri ſalutem acceptam non referamus? O præcellentem virum Dominicum, cuius voluntati elementa, natura, quin ipſius naturæ Dominus obſecundauit! Sic profectò accidit, vt timentium Deum deſideria non fraudentur. En fructus defœcatæ innocentiæ, quæ multò plus ſibi, quàm ipſis miraculis iure optimo tribuẽdum exiſtimat. Idcircò hanc miraculorum Artifex ſapientiſſimus, cuilibet miraculorum fœcunditati præpoſuit; cum vitæ puritatem à culpa longiſſimè alienam pro veritatis teſtimonio Iudæorum perfidiæ obiecit, illud ſignificans, non operibus meis admirandis, ſed morum integritati nunquàm deceptrici fidem adhibete. Hanc igitur apud Dominicum pluris, quàm ipſa miracula æſtimemus: At vitæ integritas meritorum mercedem habet æternitatem ab eo, qui nullo temporis ſpatio circumuenitur, ſacratiſſima ſanguinis effuſione comparatam. Propterea in medium non affero tres mortuos vitæ beneficio à ſanctiſſimo Patriarcha reſtitutos: natura enim debuit æquanimiter obtemperare viro, cui Deus ipſe ad ingentiorem ſui laudem voluit morem gerere. Martyrum virtuti generoſiſſimæ debitum encomium nequaquam detrahatur: quippè qui vitam Deo acceptam per mortis immaturæ tolerationem non magis à tyranno, quàm à libero voluntatis imperio extortam gratiſſimi referunt. Sed nihilò minùs Confeſſores com-

mendemus, qui totum vitæ curriculum moleſtijs, ac ærumnis maceratum eidem addicunt. Iſta laus Dominico adſcribatur, qui ab hæreticis aſſiduè vexatus, animũ nunquàm deſpondit, vultus ſerenitatem nunquam obtexit: nihil iracundiæ coniunctum admiſit; immo huic affectioni, vtpotè omnium peſſimæ ſemper nuntium remiſit. Non potuit Dominicus non clementer ſentire, cuius cordi apes, & ori certatim inſidẽtes mellis dulcedinem ingeſſerunt. Illinc certè plurimorum ad fidẽ orthodoxã conuerſio; quia fauus diſtillans, erant labia eius. Mel labia ſtillarunt, quod innumeræ apes conſequutæ, ex floribus in horto concluſo, in Eccleſia ſcilicet, idipſum colligunt, quo iuſtorum animæ nutriuntur, nempe ad finem, vnde huiuſmodi viros victitare, nemo inficiatur. Quot floribus iſte hortus eniteſcit, quorum odore ſuauiſſimo Chriſti fideliũ nares oblectantur? Quot arbores hunc ipſum ditant, quorum fructibus fideles animæ in Dei famulatu coaleſcunt? immo quot plantæ ab eodem irrigatæ nunc cæleſte viridarium exornant, Diuini Agricolæ manu illuc translatæ, vbi nullam algoris, aut æſtus ſæuitiam timere gloriantur? Potuit igitur Dominicus Ordinis à ſe optimè inſtituti propagatione militantem, nec non triumphantem Eccleſiam locupletare: potuit, inquam, illam, temporum improbitate (quod Summus Pontifex in ſomnis nõ ſine myſterio vidit) labentem validiſſimis filiorum virtutibus fulcire. Si tanti fuerunt apud ſupremum Iudicem quicquid operis à nobis exit ſapientiſſima lance trutinãtem, Dominici merita arctiſſimo corporis ergaſtulo incluſa, ecquid hoc ſæculo apud eundem valere aſſeueremus, per immenſa cæli ſpatia ad perpetuam curſuram glorioſiſſimè ſoluta? Quamdiu viuimus illud miſeriarum experimur, vt in optimè merendi libertate, multum demerendi æqualis occaſio offeratur. Iſtam, qui non captat, prudens eſt: verùm poteſt captare, vt cum inſipientia miſerrimus euadat. Sed poſteaquàm animus, relicto corpore, finem finium, cuius cauſa conditus eſt, nempè cælum attigit, nihil poteſt concipere, quod meriti naturam non redoleat.

Hinc

Hinc cæleſtes ſpiritus nunquàm dolent: lugent nunquàm, immo ſemper lætantur, ac rident, à cuiuſcunque criminis (hoc enim mentem anxiè agitat) timore alieni. Illinc tam longè abſuit Dominicus, quàm longè, dum inter nos vixit, ab omni ſorde, & culpa diſtantē ſe prębuit. Ibi voluptatum copia, ad maiorem felicitatē nunquā deficiente, Solis nullū occaſum aſpicientis ſplendore illuſtratus, rectam cæli ſemitam in hac vita optimo exemplo calcatam nobis illuc anhelantibus oſtendit. Pro hac ipſa ſentibus, & lapidibus ſcrupoſa, ſenſus irritamenta, non infrequentes peccandi occaſiones humanę fragilitati ſuperatu difficillimas intelligite: in quas cæli viam ingreſſi, ſæpiſſimè offendunt, ni prudenter, ni ſtudioſè cauendo ambulent, medio curſu feliciter peracto, infeliciſſimè retardantur. Ecquis iſta quidem repagula non abhorreat, vnde ipſius metæ attactum timor præcedit perpetuus, inextricabilis miſeriarum labyrintus? Si cæleſtem gloriam, poſt minotauri necem, nempè ſenſus conculcationem nobis concedi cupimus, Dædali filum, Dominici ſcilicet exemplum ad labyrinthi exitum capiamus.

S. Laurentius in crate ferrea diuini amoris incendio combuſtus.

ORATIO XIV.

IN hodie per ſinuoſos cæli tractus dies anniuerſaria recurrit, qua diuinus Agricola ex frumenti grano in feracem agrum, per falcatam tyranni ſæuientis iracundiam delapſo, multiplicatam meſſem in ſuperna horrea reportauit. Agricola Chriſtus eſt, frumenti granũ Laurentius, tyrannus homo pecuniæ, ſeu veriùs, leo ſanguinis, qui ex Martyris corpore diffluat, auidiſſimus: quocircà alienæ felicitatis impatiens, vt belluinam rabiem imitetur illorum, qui lapides cæleſtem Ieruſalẽ conſtructuros fruſtrà conantur demoliri, nequiter furit, Leuitam accerſit, vbi Eccleſiæ theſauros condiderit, iniquiùs quærit. Perpendite, quæſo, AA. inexplebilem auri famem ſemper aliquid perperàm hominibus ſuadẽtem. Recogitate in Iuda iniquo humanitatis Chriſti pretium viliſſimum; immo apud milites Dominici ſepulchri cuſtodes ipſius diuinitatem venalem ſperatam: dum pecunia eiſdem exhibetur, [vt glorioſam illius reſurrectionem à diſcipulis furtum, quo tempore ipſi ſomno indulgebant, cauſando, negare non vereantur. Non negat Laurentius, ſe Eccleſiaſticos theſauros in Eccleſia, ſicut in propria illorum ſede, nullo vnquam tempore amouendos, aut aduerſo caſu perituros collocaſſe: modumque exprimit nihil à veritate alienum, ſed tyranno monſtri ſimillimo penitùs monſtruoſum. Pauperes Chriſti membra, quæ vniuerſam Eccleſiam conſtituunt, demonſtrat: aurum, quantumcumq; fuerit, in iſtos neceſſitudinis conſilio liberaliter diſperſum (ne diſperiret) longè tutiùs, quàm in templo Martis collocatum affirmat. Itaquè Chriſti Athleta excelſo animo præditus, verecundiam certè, ſed magis libertatem loquendi amat etiam apud eum, qui nihil ma-

gis, quàm libertatis in illo priuationem deſiderat. Memoriæ traditum altiſſimè retinet Altiſſimi præceptum, nihil timendum ab ijs, quorum imperio in corpora ſæuiendi libero, liberũ animi imperium aufertur. Humanam vitã cũ herba ſolſtitiali comparat, quæ cum ortu ſolis orta, cum illius pariter occaſu exareſcit: vmbræ, fumo, nihilo ſimillimam appellat. Idcircò tantùm de anima, quæ immortalis eſt, cum illius immortali Conditore ad felicitatis fruitionem copulanda, ſingulis momentis, quaſi polypus inhærendo, diligentiſsimè cogitat. Illius boni, quod ſummum eſt, deſiderio accenſus, ſeueritatem in tyranni pectore, Acherontis exemplo ebullientem, in ſui perniciem grauiùs accendit. Perniciem dixi, & aurium veſtrarum pietate non parùm fortaſſe offenſa, non leuiter peccaui. At cur offendi, ſi perniciem corporis, animo tamen verè illæſo intellexi? Pereat corpus neceſſe eſt, ne animus intereat. In ſolum ni cadat, ipſummet ſolum ſine aliqua vtilitate, quinimmo cum ingenti dãno permanebit. Manet tyrannus reſponſum à ſua cupiditate non alienum: ex annorum numero iudicij acerbitatem ſine iudicio, prudentiam non ante illorum copiam, imprudentia deceptus exiſtimat. Propterea in ſatis iuuenili corpore imbecillitatem pauore circumuentam ratus, ex corde liuoris miniſterio æſtuante, ignitas in illum voces, quaſi tela, vnde conficiatur, è ſolio ſuperbus demittit: at demens nebulo non intelligit, dum arrogantem Salmoneum ore imitatur, ſe illius ſortem non temerè à poetis fictam haud fictè, ſed ipſo rei exitu opinione citiùs comprobandam, in ſui exitium concitare. Animo exoculatus nõ videt, laurum eſſe Laurentium fulgurum ictibus non obnoxiam, & ideo verba, licet verbera fierent acerbiſſima, nihil metuentẽ. Garriat, quantum libet, vociferetur, conceptum odij, ac inuidiæ venenum euomat, ſepticipitem anguem pariat: alter Hercules Martyr clauam prægeſtat ignem munitam, hydrę capitibus comburendis congruentem. Tyrannus, vt ignem vincat, Protei exẽplum ſequutus, ignis figuram induit; immo toto corpore, to-

toq; animo inardeſcit, Laurentij ignem (ſi aliquando poſsit) flammis plurimùm accenſis, oppreſſurus. Sed quinam ignis, vel ſulphurea inferorum materia enutritus, diuini amoris æſtum oppidò ardentem extinguat? Poſtulat incredula inhumanitas nimiùm ſibi credens, ſuæ infirmitatis inſcia, contrarias vires cũ aperto periculo experiri: quapropter in ſummo dierum æſtu, feruescente canicula, ſed in tyranni pectore dæmoniaco magis flagrante iracundia, iubet ignem parari, cratem adduci, & in ea Leuitæ corpus guttatim abſumi. Summoperè gaudet Leurentius prunarum aſpectu, quarum externo igne, interior diuini amoris flamma incaleſcit. Iſtas, flores redolentes, purpureas roſas nominat, ſe felicem opinatur, à regum omnium Rege in cellam vinariã non ſine indeficiente caritate introductum, floribus vndequaq;inter amoris deliquia ſtipatum. In crate poſitus Dominum laudans, gratias illi agit immortales, cum cæleſti Sponſa lætabundus ſecum ipſe inquit: *Lectulus noſter floridus*. Illum per cratis cancellos in cælo ſtantem, vt ſuppetias ferat, ridentibus oculis, ſuſpicit: contra verò Laurentij vultum diuinis ſplendoribus circumfuſum Angelorum curia contẽplatur. Oculos in illo defixos habet: vt potè in iuuene, qui ſciat ignitũ ferrum, incenſos carbones non modò pedibus, ſed ſingulis quòq; membris ad roboris adeptionem inter ſe decertantibus conculcare. Vt hæc omnia cum tyranno conſæuiant, viribus in vnum congeſtis, Leuitam conficiant, nihilum faciant, oculus haud inæqualem acerbitatem exerit, torrentibus flammis arridet, ſed ab ijſdem ſtultiſſimus irridetur: qui alterum ignem, vt alter extinguatur, adiungit, non ſentiens, minorem flammam in maioris ardorem commigrare. Ignis diuinæ caritatis ſublimè adeò ferebatur in Laurentio, vt igneum orbem; immo, qui ignis vrens eſt, ignemq; in terram demiſit, vnde hominum corda inflammentur, Chriſtum, inquam, attigerit. Quamobrem licet tyrannus totam materiam, quæ inferorum ſupplicio addictos non conſumendo cruciantiſſimè comburit, Matyris corpori ſuppoſuiſſet; illus tamen

Cant. 1.

viſce-

viſcera diuini amoris ęſtu feruentia, in ſingulas horas longè feruentiùs inflammaſſet. Illic enim maior ſemper ſæuiendi erumpebat libido, vnde minor lætandi conſtabat cauſa. Sperauit crudelis bellua, ſe nihil non ſua ferocia molituram, illud non intelligens, Leuitæ fidem non leuem, neq; fluxam, ſed vbiq; firmam, vbiq; incorruptam, molem eſſe grauiſſimam nulla dæmonum baliſta, nulla catapulta, nullo ariete, quantuis perualido excutiendam. Quid tandem? Ille non parùm concuſſus excutitur, inuidia medius rumpitur: vnde, quæ concepta fuit iracundia, in beſtiam immanem excreta emittitur, parientis aluus viperino more laceratur; quòd aduerſus Leuitā victoriæ confidentia penitùs fraudetur. Quietis indigus, angore opulentus illud ſecū tacitus recogitat, nullum ferè morbum apud homines igne, aut ferro tandem aliquando non abſumi. Morbidum nominat Laurentiū Romano populo, vel refertiſſimo Chriſtianis moribus corrumpendo natum, vtq; illi medicinam faceret, ſe in crate ferrum, in prunis ignem, ſed fruſtra adhibuiſſe inter querelas commemorat. Interim ardent Laurentij artus, ſe nequaquam ardet Laurentius; quinimo interiùs maximè ardet, dum eius membra comburuntur. Ardet, inquam, deſiderio, vt pœna fiat productior, vnde paſſionis meritum augeatur. Ardet cupiditate, vt tyrannus aliquandò intelligat, ſæuiendi materiam ſibi deeſſe, quæ, vt abſumatur, ardentiſſimè optat Martyrem conficere, cui vult Eccleſiaſticas opes iam conſumptas, in egenos erogatas auferre. Martyrem profectò conficit, ſed imprudens, cum Laurentium martyrij corona digniſsimum faciat: contra verò non conficit, quoniam quicquid in promptu eſt cruciamenti in longum producit. Quid ſi modum imponeret? Piſcaretur in aere, venaretur apros in medio mari. Licet igitur torreretur Laurentij corpus, non tamen torrebatur Laurentius. Hic Tyrannus ab eo, qui torquebatur, quiddam ſimile Anaxarchi dicterio ad Nicocreontem Cypri tyrannum audit: Vre, vre Laurentij follem, Laurentium non vris. O quàm acerbè huiuſmodi verba tortoris mentem vrebant,
&eò

& eò magis, quòd illorum intelligentia non perſpicuè innoteſcebat. Leuita ſanctiſsimus inimici etiam hominis ſatis deſiderio faciendi cupidus, alterum dicterium in alterius expreſsionem adiungit: *Aſſatum eſt; iam verſa, & manduca*, ac ſi diceret: Altera quidem pars corporis habet vſtionem, ne altera inferioris cōditionis cenſeatur (cum citiſsimè comburi expetat) fac, vt impatiens dilationis diutiùs non expectet: ne tu cibi auidus longiorem famem expectes; quippequi mei alimento paſci exoptas. Si poteris, helluo, me vorabis: ſed non poteris, quoniam orcinæ ingluuiei iam potiris. O ſedatum, ò firmum animum de ſua magnitudine nihil remotum, immo magis, quàm antea diuini amoris viribus confirmatum! Quemadmodùm non poteſt laurus, naturæ ductu, igni commiſſa non ſtrepere: ſic etiam Laurentius, dum exuritur, nequit tyranno ira accenſo nimiam ferocitatem non obijcere. Lupinam rabiem obijcit, quia natum non ignorat in vrbe, cuius ambos conditores ad Tiberim expoſitos famelica lupa enutriuit: vt Roma illorum filia ſanctorum Martyrum carnibus, per carnificum manus, vſq; ad ſatietatem diſceret enutriri, ſeq; flammarum auxilio cibi materiam, tyranni palato ſi verſetur, non fore inſuauem prædicit. Cur igitur ad comeſtionem non verſauit, ſi carnem, quaſi cibum ad ignem appoſuit? Appoſuit quidem, ſed non eo conſilio, vt cibum faceret, verùm vt tanquàm face ad flammas accenſa, optatum Eccleſiæ theſaurum diligenter quærendo inueniret. Neq; fraudata eſt quærentis cupiditas: fax enim non mediocriter eluceſcens, tantum ſplendoris emiſit, vt quod flagranter cupiebat, non diutiùs quærendum oſtenderit. Ea fortaſſe in re decepta eſt, quòd eminùs adeò pecuniam demonſtrauit, vt cæleſti ærario, vbi pauperum manus coaceruarunt, cunctis hominum (addo & dæmonum) robuſtiſsimis viribus auferri non potuerit. Eia igitur, tyranne omnium immaniſsime, ignem para, accende facem, vt aurum quæras; Leuitam vre, ne tu diutiùs miſerrimè vraris. Dum faces ſanctiſsimo corpori admoues, ipſum te accendis, atque exuris;

ris; quia pecuniam optatam vides, eamq; arripere non vales. Satiùs quidem fuiſſet tanto animi cruciatu non quæritare, quod in ſublimi loco inuentum, magis anxius, quàm antea, concupiſcis poſſidere. Tantali ſortem quodammodò experiris; qui non parùm famelicus, poma ſummis labijs fugientia, nec minùs ſitibundus, recedentes indidem aquas captabat: quinimmo tantò infelicior es Tantalo, quantò longiùs, quàm ille, quod impatienter deſideras, ſine vlla aſſequendi fiducia contemplaris. Nos verò, AA. vt cum aliquo pietatis oblectamento altiùm aliquid contemplemur, Laurentium flammarum tormentis, tamquàm aurum purgatiſſimum à tyranno examinatum ſuſpiciamus. Manet Leuita innocens in crate multùm torrente, vt de torrente lætiſſimus cum Chriſto in via bibens, poſt illum extollatur in patriam. Vos extollite aures, ſed magis animos, & mecum perpendite, quomodò fieri poſſit, vt aqua, & ignis inuicē pugnantes, repugnante philoſophia, in vnum conueniant. Laurentius de torrente bibit, cum in torrente crate ex ærumnarum aquis Martyrum poſteritati propinauit. De torrente igitur non falsò bibens, caput illucuſquè attollit, vbi Chriſto, quàmprimùm, feliciſſimus adhæreat: quia pro illo, adeò acriter fuit crematus, vt vix ignem, exiſtimo, ſenſerit, ſiue (vt veriùs loquar, ne quid tanto pœnarum merito detrahatur) ignis nihil ipſum attigerit. Illud igitur eſt Laurentij meritum, vt igne plurimùm accenſo non comburatur. Vnde verò iſta non combuſtio, niſi ab elingui tormentorum patientia? Si abſit huiuſmodi virtus, meritum adeſſe non poteſt. Si Laurentio hoc ipſum auferamus, eidem martyrij lauream non concedimus. Vt Chriſti Athletæ debitum pietatis officium perſoluatur, flammas in illum accenſas fateamur. Voluit Laurentius igne perſecutoris iuſſu crati ſuppoſito inflammari, ſed non potuit: quoniam diuini amoris incendio flagrantiùs æſtuabat; immo ignis nequiuit iuuenem vndiq; ignitum ad læſionem contingere. Ignem igni ſi addas, ipſum non lædis; potiùs aliquid virium adiungis: non aliter Laurentius ad faciliorem ſupplicij

tolerationem vires accepit, dum in crate ab iniquo tyranno non iniquus, ſed libens combuſtionem ſuſtinuit. Non potuit perſecutor ſuæ opinionis fruſtrationem ſuſtinere: cum enim nonnulla de Martyre interrogans, Leuitæ vocabulum audiuiſſet, etymologiam haud aſſequutus, leuem iudicauit: ſed totum aliud ex ipſa experientia intellexit; illius nanque corpus pœnis acerbiſſimis pertentatum, ponderoſum, conſtans, firmum non ſine maxima admiratione inuenit: ponderoſum fiducia, conſtans fide, firmum caritate. Vnde igitur tyrannus cogitauit, ſe poſſe Laurentio laurum auferre, ab ipſo triumphum reportare? Eius cogitatio inanis, quiddam ſibi ſimile, inanitatem ſcilicet, eſt conſequuta. Sola quidem fides (vt ceteras virtutes ſilentio inuoluam) potuiſſet ignis impetum extinguere: quippe quæ valeat vincula, carceres cũ certa victoria experiri. Longè meliùs cogitauit Laurentius, qui ſcuto fidei munitus, lorica fiduciæ contectus, dum in crate ſupinus iacuit, quaſi otioſus nihil curaret, nihili fecit tyrannum negotioſum, veluti omnia proprijs humeris geſtaret, in throno ſtantem, ſed nõ diù poſt, illinc adeò præcipitanter caſurum, vt nullus reparationi relinquendus fuerit locus. Neq; aliud profectò accidit: enimuerò perſecutoris acerbitas poſt hominum memoriam, non audita, apud illos autem, qui audierunt, aſſiduis deteſtationibus onerata, cum inter flammas Eccleſiæ theſauros quæſiuiſſet, indeficiẽtem ignis theſaurum apud luciferum, æterno ſui ſupplicio, non quæſitum inuenit. Spem fouit impia barbaries, ſæuiendi materiam à ſacris Laurentij membris, quæ ad necem poſtulabat, deſuturam: & ideò, qui in Dei famulum acerrimè ſæuijt, ab illius iuſtitia, quæ debitam meritis mercedem referre conſueuit, nihilò minùs reſæuitum perſenſit. Itaq; par pari reditum, ignis tormento, tormentum igni repoſitum. Si tyrannus infelicem ſortis mutationem felicioris fortunę beneficio pręſagiſſet, in Laurentij crate torreri, quàm ex throno illum torrere præoptaſſet. Dum ibi non diu Martyris membrorum dominus fuit, ab illius crate (vt oculos cruciatu paſceret) non longè abfuit:

fuit:

fuit: nunc à ſolio cũ grauiſsimo angore longiſsimè alienus, crati perpetuò vrendus inhærebit. In præſenti vita Laurentium inter comburentes flammas non ſolùm deſpexit, ſed ceteris quoq; deſpiciendum obiecit: in futura ſe ipſum diuino etiam auxilio deſtitutum inter inanes fletus, & lacrymas ob inceſſantes pœnas inceſſanter miſerum oſtendit. Illic blaſphemus natalis ſui diem deteſtatur, vnde ſæuitiem imbibit feris, nedum hominibus execrandam. Auri famem reprehendit, quæ ſe ad perpetuam inopiam, rerumq; omnium famem redegit, & illud longè deteſtabiliùs exprimit: Vtinam me Deus deſtitueret, vt iſtis tormentis, quæ mihi delaſſato nullam quietis partem impertiunt, tandem aliquando deſtituerer: at ille inuiolabilis iuſtitiæ ſuaſu me potenter ſuſtinet, vt, qui tyrannicis viribus iam potens fui, nunc debitas atrocitatis pœnas potenter ſuſtineam. Leuiticum in Eccleſia militante gradum ſpreui: nunc per gradus difficiles, & ſcruposos ad ſupplicij æternitatem coram triumphante impellor. Illam malorum omnium pondere oppreſſus non ſuſpicio, vt miſerior viuam: iſta innumeris bonis cumulata me plurimùm deſpicit, vt miſerrimus fiam. Quamdiu inter homines fui, poſt multas diuitias, alias etiam quæſiui: nunc vita perfunctus in calamitatum poſſeſſionem, culparum ductu, dolore anxius intraui. Diuitiarũ erogationes, pauperum alleuamenta irriſi: nunc pauperes donis cæleſtibus ditati opulenter me irrident. In Chriſticolas omnes ſæuitiam exercui: nunc inferi in me certatim conſæuiunt. Dies quàm maximè æſtuantes Laurentij martyrio delegi: & ideò temporum diſtributor Deus meis cruciamentis diem non peculiarem, ſed æternum aſſignauit. Crates quadrata Laurentij membra ad conſtantiorem patientiam fulſit: nunc corpus meum calamitoſum verſatilis pœnarum rota ad ipſarum æternitatẽ euoluit. Accedant, obſecro, qui Ixionem apud inferos aſpicere deſiderant; rotam mihi ſine termino euoluendam non ſine maxima ægritudine videbunt. Accedant, inquam: nequaquam aduretur, qui me viderit, à cuius creduli imperio ignis Laurentij mem-

bra inſaniter aduſſit; immò æternus viuet, vt ſupplicium in dies magis, magiſq; viuidum mei nihil miſertum, pro grauiori dolore nihil interpellato me ſuperis ſpretum, inferis deluſum agnoſcat: diuinamq; ſimul clementiam admiretur, quæ tortorem cruciamento non afficiat, cum Dei Leuitam igne, & ferro torquere non dubitauerit. Huiuſmodi quærimonijs tyranni ore, vnde ſingultus manant, non parùm abruptis, ſuaues Laurentij voces è ſupernis ſedibus demiſſæ refragantur. Is martyrij diem, qui verè natalitius fuit, dilaudat, vnde mortalis vitæ oblitus, in ſe ipſum ferox æternitatis initium ſumpſit. Eleæmoſynas pauperibus ex munere ſibi commiſſo diſpertitas, bona Eccleſiaſtica à ſe penitùs abalienata humillimus recogitat: quorum priuatione cum tyranno, qui eiſdem plurimùm inhiauit, famem non ſuſtineat. Indeficientem Dei benignitatem laudibus extollit, qui famulum, licet immeritum, pro breuiſſimis pœnis in hac vita toleratis ad alterius nunquàm defuturæ gloriam per innumeros miſerationis gradus extulerit. Hic diuina, inquit, benignitas inter cæleſtium ſpirituum choros me ſuſtinet: quoniam inter homines calamitatem, licet acerbam æquanimiter ſuſtinui. Nunc triumphante Eccleſia feliciſſimus fruor, quoniam in militante munus Læuitæ, diuina fauente gratia, non violaui. Hæc modò ad ineffabilem Dei gloriam me ſuſpicit: quoniam illa tortoris ſuperbia deſpexit. Hic bonorum omnium affluentia me ambit; quia illic Eccleſiæ bona debita egenis commiſeratio nihil quidem ambiens, diſtribuit. Iſti mecum rident: quoniam impij meam apud ſe paupertatem irriſerunt. Cum tyrannus, veluti ignitus anguis in me ſæuire non ceſſauerit: nunc dæmonum principis ſæuitia in me nihil poteſt. Qui terminum ſupplicijs breuiſſimum fecit, idem cæleſtis gloriæ fruitioni æternitatem præſcripſit: crateſq; non temerè quadrata ſummi boni, cuius in præſens ſcientia me circumuenit, conſtantiam præſignauit. Per contemplationem amabò, accedant, qui Chriſti famulorum delicias ab omni perturbatione, ac periculo remotas aſpicere deſiderant: quaſcumq; dapes palato ſuauiſſimas,

mas, quaſi fabularum argumento inuentas nihili facientes, mihi tot, tantiſq; bonis ditato ad maiorem lætitiã plaudentes, gratulabuntur, id ipſum tẽpore opportuno recepturi. Audiſtis Martyris voces tyrãni vocibus aduerſantes. Qui in cælo ſunt, cæleſtia, qui cũ inferis, infera loquuntur: cantu enim plorare, ploratu canere non licet. Quàmdiu tyrannus in ſolij maieſtate, imperio contra Eccleſiæ miniſtros gloriatus, quaſi tripudians, cecinit, Leuita iniquam ſuperbiam, tam diu non ſuo, ſed perſecutoris detrimento mœſtus deplorauit. Nunc verò, dum Laurentium inter martyres, ad ſuauiſſimos cæleſtium orbium concentus, choreas ducentem videt, inſperatæ ſortis conuerſionem admiratus, inter deteſtationes ſæpiſſimè iteratas ſe totum in ſingultus, ac ſuſpiria, quæ gehennæ flamas magis accendunt, ad perpetuam miſeriam conuertit. Videt tyrannus Laurentium in cælo crati, quæ martyrij inſtrumentum fuit, inherentem: ſed pro calamitatum acceſſione intelligit, hoc eſſe Laurentij victoriæ ſtemma, quod inter ſpolia ex fortiſſimo iuuene ſe relaturũ ſperauit. Nunc haud amplius reditura non aliunde, quàm à ſua feritate ſe orbatum ſentit: qui Leuitam iniquiſſimè tortum in ſupernis orbibus ab æterna fruitione nunquàm deturbandum agnoſcit. Quem ſui corporis lanienam in crate tolerantem aſpexit, inſanum, ignominioſum iudicauit: nunc ſummis honoribus, qui verè decent ſapientem, cum ceteris ſanctis, qui apud mortales optimè ſenſerunt, non ſine acerba moleſtia contemplatur. Quem in crate non hominem, ſed inter homines vermem viliſſimum immeritò nominauit: nunc fœnicem, quæ in rogo, alis ad iuſtitiæ ſolem excuſſis, flammas accendit, in æuum ſempiternum feliciùs rediuiuam appellat. Sed iſtarum rerum contemplatio contemplanti quid prodeſt, ſi, cum valdè profuiſſet, totum aliud credidit ſibi profuturum? Præſtat ex meo iudicio perpetim inſanire, quàm inſaniã poſt rem actam agnoſcere. Qui nunquam ſapit, damnum nõ ſentit: qui ad bonam frugem, frugibus (vt aiunt) iam conſumptis, redit, excruciatricem animi pœnam enutrit. Sol ſine noſtra

con-

conuerſionē ſi occidat, ab eo, qui verùs ſol meritò nominatur, miſerrimè occidemur. Si hiemem, ſenectam ſcilicet ad pœnitentiam expectemus, nos diuturnæ, ſed nihil conducibilis moræ omninò pænitebit. Laurentius, qui florentem ætatem Deo ſacrauit, nunc, tyranno inter flammas areſcente, inter multas roſas in cæleſti Iericho floreſcit. Roſa eſt Martyr Chriſti Laurentius, quam ignis flagrantiſsimus non aduſsit, folijſq; ad diuinæ gratiæ rorem productis, in Eccleſiæ viridario Angelorum cuſtodia circumſepto, pulchritudinem oſtendit. Roſa eſt, quæ flamma tyrannico iuſſu ad illius ariditatem admota non modò non aruit, verùm etiam magis, quàm antea, cum ignito candore purpuraſcit. Roſa eſt ex Hiſpaniæ hortis decerpta, atq; ad ſeptem colles feliciſſimè translata: vtque ab illis pericula euitaret, quæ optimas herbas eruncant, ab hortorum Domino, propter ipſius fragantiam, inter ſuauiſſimos flores (ne perſecutoris æſtu areſceret) in pingui ſolo plantata. Roſa eſt, vnde in Eccleſiæ plantis apes ſtudioſæ mel libant in cæleſtibus aluearijs ad Principis delicias recondendum. Roſa eſt, quæ, cum altera Ieroſolymitana Iudæorum lapidibus ſæuiter obruta, martyrum Regis coronam lætiſſima exornat. Roſa eſt, cuius odorem inferorum ſcarabei nō ſuſtinent; cum ipſa illorum ignem, vnde perpetim langueſceret, immiſſum, in vrbe Roma adeò fortiter ſuſtinuerit, vt in poſterùm nihil eidem ab Aquilonis acerbitate ſit timendum. Veſtra omnium pietas AA. meæ de Laurentij laudibus prolixitati veniam concedat, licet ad illius merita non ſatis prolixæ: ecquis enim cumulatè Martyrem laudet, qui ætate nequaquàm matura martyrij palmam robuſtiſſimo animo maturauit? Ecquis, ſatis commendet delicatiſſimam illius carnem ferè adamantinam, cuius omni ſtudio conquiſitæ conſumptioni vis flammarum potentiſſima defecit? Deficit quidem laudatoris facundia, vnde ſemper noua laudandi materia erumpit. Quod rerum naturalium ſcrutatores narrant de Salamandra, quæ virus frigiditate maximo ignis incendio reſiſtit, non omnium fide receptum legitur: cum mul-

multi experientia edocti, eam graui incẽdio conſumi aſſeuerent. Quod autẽ de myſtica Salamandra Lurentio Eccleſiæ teſtimonio comprobatum eſt, in nullam dubitationem adducitur, ſanctiſſimi viri pectus ad vitæ fruitionis cupiditatem frigidiſſimum, tyranni flammas in ſui necem accenſas non modò ſuperaſſe, verùm etiam ſe ſe in crate, quaſi in molli ſtrato oblectanter volutando extinxiſſe: ſed extincta non fuit inſatiabilis tyranni ſæuiuitia, quæ igne ad Laurentij vires non parùm tepeſcente, magis ebulliendo feruеſcebat. O aſpernationem huius ſæculi vtiliſſimã, quæ nos meliori æuo, æternitati ſcilicet coniungit! O fortunatum Laurentium, cuius animi gemma tot pyropis ornata in cælo refulget, quot prunas eiuſdem corpus ſanctiſſimum (dum in crate vreretur) calcare non dubitauit. Singulæ ignito eloquio cratem feliciſſimam nuncupabant, quæ cum innocentiſsimam Leuitæ carnem attingeret, ſibi ſacrata membra ori ferè cohærentia, lambere non liceret. Sanguinem, aiebant, ex intimis viſceribus diffluentem inſpicimus: qui nos ſuo quaſi gurgite, vel abſorbens, ſitim in nobis ardentiſsimam non extinguit. Vtinam daretur cũ crate ſortem mutare, quæ carnem inſtar ambroſiæ comedit, & ſanguinem ſimul, quaſi nectar bibit. O dapum delicias exoptabiles, quæ Apiciano luxui nõ concedunt! Poſtea ad perſecutorẽ conuerſæ. O tyranne, aut iam ſæuire in Laurentium ceſſa, aut æqualem nobis, ac ferro conditionem para. Non poſſumus amantiſsimos illius complexus non ambire: cuius præſentiam cælicolæ maximè deſiderant. En Laurentij à flammis ſecuritas, AA. Optant prunæ ſanctificata à Spiritu ſancto membra attingere: ſed optant obſequio potiùs, quàm vſtioni. Hic feruentem pietatem (ſi vnquam antea feciſtis) induite, dolori habenas ad noſtrorum temporum improbitatem deplorandam collaxate: illuc enim miſeriarum deuenimus, vt Sanctorum veneratio nihil, aut ſaltem parùm cogitetur. Ecquis ante diuinum tribunal perpetuum patrocinium indelaſſanter exercet, niſi poſt Beatiſſimam Virginem, Beatorum cœtus ad noſtram corporis, & animi
ſalu-

ſalutem vigilantiſsimus ? Iſtorum fidem cunctis temporibus, præcipuè verò aduerſis (vbi neceſsitas vrget) imploremus, ad ſacra illorum templa humillimis precibus confugiamus. Cuius hodie ſanctiſsimum martyrij diem recolimus, meritorum copiã ad æmulationem nunquàm intermiſſam recolamus. Ferunt, in antiquiſsimo Strenæ templo laurum fuiſſe, cuius rami in ipſius Romæ exordijs ſingulorum annorum initio Imperatoribus oblati, rerum felicitatem augurabantur. Chriſtianæ fidei propagatorem Laurentium in militante olim Eccleſia animi, & corporis robore lauro ſimilem fuiſſe non ignoramus: vnde nemo alicuius virtutis in hac vita æmulandæ ramum ab illius vita decerptum ſupremo Imperatori offerre ne cunctetur. Iam ad calcem deſcendit oratio. Auditor, porrige aures. Nunc omnes ſimul (etſi vnà verè adeſtis) alloquor. Singulos ſeparatim appello, qui ſingulorum animi ſalutem æqualiter, ac meam deſidero. Intimæ religionis ductu, ad Laurentium accede: quam in eo virtutem ſupra ceteras (omnes quidem ſunt præſtantiſſimæ) agnoueris, quaſi in lauro, contra animarum hoſtes eligere ne recuſes. Electio te non deceperit: vtq; iſtud è ſententia ſuccedat, diuinam gratiam cum fiducia precantibus negare inſciam lacrymis poſtula. Hæc enim ſi à rebus noſtris (quod Deus auertat) abſit, nihil profectò boni, quinimmo nihil non mali aderit.

Virg. Æn. l. 6.

Ergo alte veſtiga oculis, & ritè repertum
Carpe manu: nanq; ipſe volens, faciliſq; ſequetur.

S. Ioannes Baptiſta exoſo veritatis eloquio decollatus.

ORATIO XV.

Dum illud mecum ipſe tacitus recogito, cur in hunc ſanctiſſimum locum vos AA. pietas anniuerſaria conuocarit, illud pariter enixis precibus poſtulandi cupiditas animum obrepit, vt mihi hodierna die de Chriſti Præcurſore ſermonem habituro, per veſtram benignitatem liceat, quæ in vita, athleticè geſſit, ſilentio prætermiſſis, illius mortem glorioſiſſimam orationi committere. Quid verò, morte audita, frontem quodammodò contraxiſtis: quaſi velim communem ſolemnitatis lætitiam commemoratione iniucunda imprudenter inficere? In eam, obſecro, cogitationem ſinguli deſcendite, Sanctorum mortem, quam Eccleſia catholica in Dei conſpectu pretioſam appellat, non mortem, vitam potiùs nominandam: tunc enim in cælo æterni incipiunt viuere, cum momentario temporis interuallo in terris deſinunt vitæ beneficio frui. In tenebricoſum carcerem detruſus fuerat Ioannes; quia pectoris carcerem, quem alij adamantinis foribus metu clauſum habebant, Herodi in culpæ tenebris iacenti ad lucem veritatis reſerauit. At non mirũ. Principũ enim aures mellito verborum illectui aſſuetæ, orationis, quæ libera eſt, abſynthium, licet medicamentum ad animi ſordes abſtergendas validiſſimum, adeò iniquè auerſantur, vt aulam ingreſſuris, veritatis expreſſionem interdicant. Id ipſum nunc vnus omnium inſtar Pilatus atteſtetur, qui, cum Chriſtum Ieſum iniquo iudicio agitatum de illius definitione interrogaſſet, veritus reſponſionem ſuis auribus nihil penitùs reſpondentem, verba aliò conuertens, è tribunali ſtatim deſcendit. Iam aderat Herodis dies natalitius, aderat etiam ſpes optatæ liberationis Ioannis Baptiſtę nō ipſi certè, qui, quan-

T tò

tò arctiùs neruo vinctus pro Chriſto detinebatur, tantò maiorem ſui met libertatem ſe adeptum exiſtimabat: ſed bonorum cœtui vniuerſo, qui regis impietatem æquis auribus, æquis oculis non potuit ſuſtinere. Apparatur in circo pro regia pompa ſpectaculum vini, veritatis, & Veneris. Committitur pugna pro ipſius tyranni victoria. Vinum primo loco exerit vires: Herodē aſpergens, madidum facit, vt demulceat: nihil omninò emolliens, poſt exātlatos labores Æthiopem ſe lauiſſe, intelligit. Succedit veritas, quę cor regis oppreſſum ſeptem acutiſſimis ſagittis:
Matt. 16. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, oppugnat. Sed illum ſæpè, ac ſæpiùs validè repugnantem non expugnat. Venus victoriam ſibi pollicita, ſigna explicat: emittit globulum ignitum à ſaltatrice ſanguinem appetente: quæ caput Ioannis in odium, & inuidiam adductum petat. Triſtatur Herodes iniquæ petitionis moleſtia: ſed, quicquid clementiæ thronum ornare conſueuit, oblitus, ſacroſanctum illud caput fœminæ improbitati donat, cuius ignominioſo amori iam pridèm ſuum caput, ob ſcelerum infamiam, execrandum donauerat. Ecquid agis, tyranne omniū immaniſſime, ecquid agis? Adeòne muliebri faſcino mens tua capta eſt, vt nihil aliud quàm conſilia vndique ſæuientia concipiat? Adeòne perditè amas, vt illuc amentiæ propendeas, vbi feritatem, & loco, & tempori, naturæ legibus reluctantem non agnoſcis? Enixè, obſecro, Herodes, te ipſum agnoſce; vt commodè facias, tandem aliquando reſipiſce. Non audis, quàm loquaci ſilentio anniuerſaria natalium tuorum gaudia funebri edicto aduerſentur? Non vides conuiuarum omnium vultus pallore contectos, quòd timeant, ne inter regia fercula pluſquàm regium Ioannis caput ad ſaltatricis voluptatem afferatur? Igitur ſtylo abſtine, in Domini Prodromum feram ſententiam exaraturo. Dum Ioannem Martyrem facis, æterno inferorum martyrio te ſubigis. Dum Præcurſori mortalem vitam adimis, ad immortalem animi mortem amentiſſimus adolas. Si Chriſti nuntius à te cadat, ipſius victima proprio ſanguine vbertim aſperſa,

ſa; tu vouei is dæmoni hoſtia, æternis cruciatibus lanianda. Lapidem alloquor AA. quouis Caucaſi lapidem duriorem. Iuramentum obijcit, ſe nihil, fuiſſe, quod puella petijſſet negaturum ignarus profectò, illam demùm peierationem eſſe, iuramentum, inquam, non reſcindere. Sic igitur imprudenter ad nutum vult labaſcere maieſtas regia, vt ſuæ firmitatis quaſi oblita, infirmiſſimæ fœminæ deſiderio obſequatur? O puellæ immodeſtiam, ſeu potiùs arrogantiam ſceleſtæ meretricis fronti congruentem! Quàm altè de ſua demiſſione, contra verò quàm demiſsè de Ioannis celſitudine ſentiens, loquitur! Hunc vatem non agnoſcit: incarnati Verbi nuntium non credit: Herodianæ ſalutis cuſtodem repellens, illius gratia cunctis conatibus excludit. Ob id regem adiens, nihil timet, niſi, ne, qui cunctis auctoritate pauorem creat, Ioannem virum optimum reformidet. Herodem regem re ipſa imperio ſibi parentem efficit illis verbis: *Volo, vt protinùs des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ:* quod enim appetit, non veluti donum regis benignitate, licet impia, deſiderio ſuo concedendum orat, ſed quaſi mercedem viliſſimam, quæ viliſſimo ſaltatricis luſui ſit reponenda, audacter flagitat. Didicerat inter ſaltus belluina inhumanitas Scythiæ ſaltibus, ſyluiſque non indigna comico coragio tragœdiam agere. Vt conuiuium exhilaret, inſtar ludentis impudenter ſaltat, impudentiùs deblaterans, necem Ioannis impetrat: vnde magis, magiſq; iugiter ſuperbiens, quòd regis voluntas voluntati ſuæ non repugnet, impudicam matrem ſic alloquitur bacchanti ſimilis lætabunda. Eſt profectò, mater, cur plurimùm gaudeas, te filiam genuiſſe tuo genio obſequentem. Factum eſt; quod imperaſti: Ioannem hominem improbiſſimum læſa regis maieſtas precibus meis non denegauit. Caput ex tuo iuſſu liberrimè poſtulaui: vt, quod mēbrum verè flagitioſum Herodis aures indecenter lędit, hoc ipſum audaciſsimę loquacitatis pœnas ſuſtineat. Inter huiuſmodi odioſa conuicia, veluti quadriga alba ad carcerem Ioannis deductæ fuerunt, per dilationis optatiſſimæ illius mortis inpatientiam; *Mar. c. 6.*

neſcit enim AA.neſcit muliebre odiũ moras inexequẽdo cõſilia, quæ malo animo in iuſtorum perniciem fuerunt concepta. Quapropter omnia conantur mater, & filia, vt quàm citiſſimè caput illud reſciſſum aſpiciant, quod caput Eccleſiæ Chriſtum non ſemel prædixerat eſſe venturum. Horas grauiter accuſant: illarum curſum nimis lentũ dicunt. Filia metitur momenta; vt dies nocti cedat concupiſcit: noctem ipſam, quæ curas nutrit, ac fouet, Herculeam appellat: regis ſententiam in Ioannem latam iuſtiſſimã prædicat, hoc tantùm mœſta, quòd temporis beneficio Herodes peccatum agnoſcat, ingrati animi ſui vitium damnet, contrariã opinionem induat, necem Præcurſoris deſtruens, hunc in vitam reuocet, cuius ſaluberrimis admonitionibus ab æterna morte poterat reuocari. Sed hæc eadem, & alia multa etiam longè anxiùs mater agitat: ipſa ſecum vaniloqua ventrẽ ſuum cũ agro feraci comparat, qui filiam nutrierit apud regem inſtar omnium gratioſam, quicquid ab illo poſtulaſſet, obtinendi fiducia nihil fraudatam. Quid verò nobilius matris animus filiæ iubendum potuit concipere, quid excellentius filiæ petitio explicare, quid ſublimius regis liberalitas concedere, quàm Ioannis caput apud ſummos principes, magiſq; apud Herodem in ſummo pretio habitum? At iuſſionis nobilitas, petitionis excellentia, conceſſionis ſublimitas, nõ parùm potuerunt vileſcere ab vnius inclementia, quæ nullam tempore aliquo inculpatæ vitæ voluit habere rationem: vt fœminarum cupiditatem in ferrum effrænatè propenſam ſatiaret. Erant mulieres, quaſi leænæ galli vocem, quæ diuiniſſimi ſolis ortum prænuntiaret, cum maximo pauore auerſantes. Prophetæ interitum ſolicitis animis curabant, quoniam ipſe ſatis officio ſuo facturus, in Herodis furtum inceſtuoſum, quaſi canis indeſinenter vigilans, perlatrabat. Cur autem perlatrabat? Cum rem ipſam attentiùs perpendo, canis inſtar in rege peccati vulneribus medicamen allaturus, tali pacto lambebat: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Verbo non licet Herodis poteſtas non offenditur: veriùs peccati culpa, cui pœna indiui-

ſibi-

ſibilis inhæret, ad peccantis conuerſionem referatur. At quoniam Præcurſor vocem referebat, quæ pretioſis pœnitentiæ lapidibus Domino humanitatem ſuſcepturo, viam apparabat, iſtam impiæ fœminæ conantur præpedire: vt illud non licet ſæpe, ac ſæpius, nunquàm tamen cum profectu repetitum, delicatas Herodis aures ampliùs non attingat. Quid verò commeruit Ioannes, vnde neruo, regis mandato, fuerit cuſtodiendus: quæue arctior illi cuſtodia potuit accidere, quàm ſanctificatio in matris aluo, per incarnati Verbi in ſacratiſſimo virginis Mariæ vtero præſentiam, mirabiliter aſſignata? Quibus vinculis cenſeri debuit dignus, qui plurimos adhortatione arctiſſimis peccatorũ nexibus diſſoluit? immo quibus vinculis non indignus, cuius opera, & labore viam culparum ſentibus interclufam inculpabili exemplo patefecit? Indignus quidem fuit carcer, qui ſanctiſſimum virum cuſtodiret. At non carcer Ioannem, ſed Ioannes carcerem cuſtodiuit: illius nanque ſanctiſſimo contactu omnem à ſe ignominiæ notam ablegauit; immo in poſterũ digniſſimus fuit, vt, quicquid honoris, & reuerentiæ ab hominibus manat, in ſui meritum, & laudem redundaret: quoniam à Præcurſoris puritate puriſſimam ſanctimoniam accepit. Enimuerò ſi Socratis carcer, non carcer à ſapientibus viris habitus eſt, quamdiù Socratem habuit; multò magis Ioannes ſui præſentia cuſtodiæ ſordes abſtergens, denſas illius loci tenebras ſplendidiſsimi vultus radijs illuſtrauit. Licet enim lux ipſa non fuerit: ab illa tamen minimùm profectò abfuit; quia lucis ad communem felicitatem orituræ, æterni ſcilicet Verbi, non multis verbis teſtimonium exhibuit. Quę amabò huic beneficio non vulgari merces tandẽ repoſita? Ex eodem carcere ſanctificato neci egreſſus, vt illud explicaretur propheticũ ab humana intelligentia remotiſsimum: *Illum oportet creſcere, me autem minui:* vnde, quemadmodùm Iudæorum inuidia Chriſtum in lignum crucis extulit; ſic illius Præcurſori Ioanni caput ſaltatricis odium abſtulit. Et quoniam huiuſmodi ſcripturæ veritatis exitus, ipſius ſtudio inniti videbatur: iſta, ne longiori mora *Io. c. 3.*

tor-

torqueatur, hiſce vocibus lictorem vehementer corripit. Cur regis imperium non exequeris? Ille mihi ſceleſtiſſimum Ioannis caput in diſco dedit: tu verò datum tua cunctatione, quaſi non datum efficis. Ecquid iſtud negotij eſt? I velox, carnificinam exerce: qui Præcurſoris nomen ambiuit, hunc adeò percute, vt ſe mori ſentiat, qui apud regem ſapientiſſimum ſapere nimiùm voluit, nimiùm ſentire. Quam oculis nunquam non lętis ſaltatricem aſpexit Herodes: huic inſidiatrici obtemperat carnifex. Vinctum Ioannem adit, dementatus gladium exerit: ſed non paruo timore ad fulgentiſsimum conſpectũ perculſus, hunc ipſum inermem inualido ictu percutiens, ægrè conficit: vt illud etiam barbaros fœminarum animos oblectet, quòd ab exili ferientis manu acrior in morte dolor virum innocentiſſimum arripiat. Debuit quidem Ioannis caput in terram cadere, tanquam frumenti granum ſui cruoris humore multiplicandum. Debuit hæc palma, quæ iuxtà ęrumnarũ aquas inter Hebręos plantata plurimùm creuerat, crudeliſſimæ necis pondere inclinari ad perpetuam cæli gloriã ſurrectura. Cadit reſciſſum caput; onuſta inclinatur palma: & tamen effuſioni ſanguinis nihil concedit nondum ſatiata puellæ ſæuitia, cuius auctoritatem in vita ſeruiliter pertimuit, in illius caput diſco acceptum capitalis odij venenum euomere non deſiſtit. Lætatur venatrix tam nobili præda ad voluptatem in ſaltibus interfecta, cuius lenitate innumerabilis ferarum copia, quæ per culparum ſyluas, ac deuia ad manifeſtam perniciem pernici curſu vagabatur, aut diuini verbi rete intercepta, aut optimi exempli ſagittis vulnerata ſanguinem, peccatum ſcilicet, ad conuerſionem effudit. Similem famam, quam Iudith ab Holofernis nece acquiſiuit, ſibi arrogabat, quòd è cuſtodia in regis aulam redeunti, impudicus viciorũ cœtus, matris ductu improbiſſimo, ac-
Iudith. 15. clamaſſet: *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri; quia feciſti viriliter.* Illud eſt viriliter facere, virum non modò inculpabilem, ſed ne culpæ quidem obnoxium, virtutum omnium affinem, diuinitatis compotem, frugalitatis cuſto-

ſtodem, gratiæ cæleſtis ærarium, Prophetarum principem, eremi cultorem, pænitentiæ tibicinem, diuini verbi encomium, bonorum operum aſylum, veri luminis indiciũ, baptiſmatis Chriſti miniſtrum, infami carnificis manu occidere? Cui laudem virtutum inopia non affert, iſtam à vitiorum fœcunditate libet aucupari. Ea quidem ſumma culparum eſt, ſæuities luxuriæ annexa; immo ab improbitatis culmine nihil abeſt ipſa luxuria, quam eximia ferocia libenter amplexatur. Quemadmodùm igitur nõ infrequenter vſurpamus Tiberij, Caligulæ, ac Neronis ſcelerum faſtigio nobilitatam memoriam: ſic etiam per omnium ora circumfertur infamis puellæ fama, quæ in luxurianti corpore belluinum animum ad Præcurſoris necem enutriuit. Huius peſſimo ſuaſu regis conuiuio ſe miſcẽs, ferculis lautiſſimè apparatis Atrei, ac Thyeſtis exemplo Ioannis caput immiſcuit: illud omninò rata, non inæqualem ſuæ feritati ſæuitiam in ſingulorum animis inueniendam. Sed falſa quidem eſt huiuſcemodi opinione, falſiſſima fœmina, quæ conuiuarum animos illud ſpectaculum, auerſantes, ab oculorum toruitate potuit agnoſcere. Fuit etiam, qui vultus compoſitionem ſimularet, ne regis animum externa Ioannis caſus miſeratione maximè afflictum cruciaret: enimuerò illud anguſtiarũ in primis habet liberum principis imperium, vt ab animo culparum conſcio laniatibus nõ ſit liberum. Ideò legimus, Imperatorem Tiberium, poſt multarum libidinum, ſæuarumq; rerum agitationem, inſani furore adactum litteras ad Senatum miſiſſe, quæ nihil, præter animi cruciamenta continerent. Immaniſſimè torquebatur Herodes Ioannis interfecti, nec non ante oculos iugiter verſantis conſcientia, quæ ad ſæuiorem lanienam triplicem gladium, & certè acutiſſimum exercebat à loco, à tempore, à re ipſa. Locus fuit regis curia, inter conuiuales delicias immani ſpectaculo contaminata. Tempus Herodianæ natiuitatis diem anniuerſarium non ſine communi lætitia, referebat, quo vitæ beneficio donatis nefarium ducebatur quẽpiam, licet viliſſimum, morti committere. Res ipſa ſecum habuit

ſan-

ſancticidium non ſolùm hominibus, ſed etiam feris (parum dixi) lapidibus ſenſu caſſis deteſtandum. Illinc augebatur regis cruciamentum, quòd videbat Ioannis oculos non tam mortis pallore, quàm ea potiſsimùm de cauſa occluſos, ne feritatem cui regia celſitudo, & conuiuarũ genius aduerſabatur, aſpicerent. Audiebat illius labia in mortis ſilentio quiduis, præter hoc vnum reticentia: Nunc ſcilicet, Herodes immaniſsime, licet tibi habere vxorem fratris tui: quilibet enim in poſterum meo periculo edoctus, illud timebit vſurpare. Non licet. Videbat ipſam puellam in Ioannis caput, Marci Antonij vxoris exemplum adverſus M. Tullij caput conuiciosè referentem: & tamen facillimè conniuebat veritus, ſi reprehenderet, ne videretur iniquus repetere, quod iam liberum iniquiſſimæ flagitationi conceſſerat. Illuc enim felicitatis per ferreũ pontem Ioannes ſaltatricis ſuaſu, iniquo regis iugu, ſeuera lictoris manu, extructum deuenit, vbi virginitatis laureola, ac martyrij palma decoratus, nec ferrum, nec aliud quidpiam mali in poſterùm formidabit. Tu, beatiſſime Pręcurſor, qui in iſtis fortunatis ſedibus à diuino conſpectu omnia ſciens, & publicas, & priuatas apud nos neceſſitates cognoſcis, huiuſce religioſiſſimi cœtus tuo nomini, obſequio tuo iam pridem addicti voces audire, preces, quas hodie pro vniuerſa ciuitate ex cordium penetralibus emmittit, Deo, cui gratiſſimus viuis, offerre ne recuſes: vnde pro ſua benignitate auguſtiſſima anguſtiarum, quibus aſſiduè vexatur, miſertus, res maximè commotas felici loco reſtituat, illudq; tandem, quod omnium feliciſſimum eſt, nobis humiliter ſupplicantibus concedat, vt, quos tu illius Præcurſor ſanctiſſimus habuiſti clientes in terris, eoſdem æternùm cohæredes habeas in cælo.

S. Franciſcus in monte Aluernia quinq; Stigmatibus ab vno Seraphim inſignitus.

ORATIO XVI.

NEmini mirum accidat, AA. ſi ſuperſtitioſa antiquoquorum religio Cupidini Veneris filio cum exordio mundi nato, innatum numen aſsignauit: vis nanq; amoris tanta eſt, vt poſſit omnia, quæ velis, & velit, quæ etiam alij poſſe volunt; ſed impotentes hoc tantùm poſſunt, vt, quod nullus poteſt, ſemper idem anxiores velint. Iſtud, quicquid virium eſt, poſt Dei Filium, qui vim ſentiendi omnibus tribuit, & beatiſſimam Virginem eius Matrem, nemo inter mortales, immortaleſq; dulciùs ſenſit, quã Patriarcha pauperum Franciſcus. Cur verò non illuc vſq; ſentiret, ſi ceteris rebus tanquàm nullius momenti ſenſum occluſum huic vni, diuino ſcilicet amori reſerans, adeò patefecit, vt nihil aliud, quàm ipſum cogitaret? Ignarus profectò litterarum fuit cũ patre mercaturæ addictus: & tamen de rebus ſacris tam facundè, atq; argutè diſſerebat, vt roſas in cæleſti viridario natas nõ ſine aſtantium admiratione, ac vtilitate loqui videretur. Quocircà vaniloquæ poeſi perpetuum ſilentium indicatur, quæ Thracium Orpheum ſuaui lyræ cantu feras, ſaxa, arbores ad ſe pellexiſſe atteſtatur: iſta namq; ſunt commenta ad aurium potiùs voluptatem, quàm ad veritatis meritum expreſſa. Quod nos de Franciſco affirmamus, nullus teſtis omnium fide receptus non affirmat, ad Dei famulum, cum inter nos concionaretur, volucres, piſceſq; velociter accurriſſe, illius voce tanquàm cibo ſuauiſſimo oblectatos. At vnde huiuſmodi oblectatio? Ab ea re, quæ omnes cerebro ſano, & purgato quàm maximè delectat: quæ bruta quoquè non parùm afficit, nimirùm à diuini verbi efficientia. Vnde iſtius nullo quidem tempore apud Franciſcum deficiens ſcaturigo?

Ab amore in Deum, qui linguas diſertas facit, ſermonem benè ſonantem, ac potentem ingerit; vt quaſi tormentum bellicum arces munitiſsimas expugnet, ab eo ſcaturiens, qui, cùm omnia vincat, ſuos ſeruos victores facit. Non alio armorum genere præmunitus Franciſcus, poſteaquàm huius vitæ commodis, & voluptatibus abdicauit, vt in cæleſtibus delicijs, quæ vera ſunt bona (quoniam non caduca, non fragilia) vitam ageret nunquã perituram, res ſuas, ſeq; ipſum Dei ſeruitio ſacrans, ſanctiſsima eius veſtigia, quæ in hac vita ad commune omnibus exemplar expreſsit, quantum humana imbecillitas ferret, diuino fauente auxilio, ſequuturus. Et quoniam ſecularibus curis exoculatus, ſpiritualibus negotijs, diuini amoris, qui lumen acuit, beneficio lynceus videt in ſpinis, ſemper benè ſentiendi, meliùs agendi viã pro certa animi ſalute reperiri, Aluerniæ montem petit. Illinc per virtutum ad veram perfectionem ducentium gradus ad Deũ ſemper propiùs accedit: quæ dura, ac difficilia vidẽtur emolliendo, ſe ipſum inferis metuendum, immo terribilem reddit; in loci duritie durans, quod ſæuum, atq; aſperum eſt, tanquàm dulce, & iucundum admittit, diù, noctùq; orationi vacans, feruente ſpiritu, quaſi ab Ætna demanaret, niuem diluit, glaciem abſtergit, adamantinam ſaxorum duritiem infringit. Sed cur iſtud laudis cordi, & linguæ duntaxat concedo? Quod ſingula corporis membra iure optimo merentur, eorum ſingulis meæ orationis parcitate nequaquàm denegetur. Manus, pedes, ſcapulæ (vt ceteras corporis partes ommittam) humiles Deo preces effundebant; quinimmo etiam capilli cum rerum omnium Conditore colloquebantur; quia illius cogitationes, & conſilia eidẽ velut Conſultori ſapientiſsimo cohærebant. Vobiſcum recogitate, obſecro, AA. Franciſci manuum extenſionem: ſupputate digitos in cælũ erectos, qui in decachordo, nempè in Decalogi præceptis exequendis cæli, terræq; Principẽ collaudabant. Quod de ſcapulis, & pedibus ferè ignitis raptim commemoro, illorum fide confirmetur, qui Aluerniæ loca ſanctiſsimis Franciſci veſti-

gijs

gijs calcata, pietatis ductu inuiſerunt. Iſti, ne ſupra verum aliquid extollant, ceteris rebus ſilentio inuolutis, hoc ſaltem aſſeuerent, vim illius internam ex corde, quod plurimùm æſtuabat, prodeuntem, externum ignem in ſe concitatum extinxiſſe, nempè diabolum, qui ad grauiorem ſui pœnam totus ignis eſt, æternùm vrens non minùs, quàm vrendus, ſuperaſſe. Dum enim in excelſo loco oraret, vt potè qui præ animi celſitudine ſublimia ſemper humillimus appetebat, dæmon qui è ſupernis ſedibus cũ ſocijs detruſus, vnum quemq; noſtrum per bonorum operum exercitationem in lege diuina proficientem, humi proſtratum deſiderat, illum præcipitẽ agere eſt aggreſſus. Plus verò potuit Franciſcus, qui inuidiæ tela diuini amoris igne adeò fortiter propulſauit, vt mons lapideus, eidem, qui flexis genibus lapſum vitaturus, ſe non nihil recepit, ceræ inſtar ad ignem fluentis, ſupra naturæ vires, non parum cõceſſiſſet, pedum, & ſcapularum notis, quæ adhuc apparent, mirabiliter impreſſis. Quod oculus rerum omnium iudex acutiſſimus videtur exoptare, incorruptæ veritati fidem ne ſubtrahat. Credat, diuini amoris æſtu lapides eliquari, qui eoſdem materiali flamma in cinerem fatetur conuerti. Potuit Franciſci caro à Spiritu ſancto, qui Apoſtolorũ corda ignis ſpecie repleuit, occupata, cautes duras, molles efficere, qui inclinatus, Satanæ accerrimè ſtantis impetum deluſit. Neſciebat profectò, licet multarum rerum conſcius, malus angelus, bonum Angelum Franciſcum Dei iuſſu intrepidis Angelorum cohortibus cuſtodiri. Hunc inter vepres carne lacerum, laceris veſtibus indutum, abiectum hominem, humano auxilio derelictum credidit. Abiectus quidem, atq; humilis fuit ſui opinione, ſed coram Deo, qui inopẽ ſuſcitat, ad ſublime meritorum faſtigium elatus. Quo pacto igitur monte deijci potuit, qui virtutum omnium mons fuit, ſupra verticem montium (humilitatem intelligo) collocatus? Quo pacto, inquam, monte deijci potuit mons ſublimis Franciſcus cum ſublimiori (qui Chriſtus eſt) monte per amorem omnia copulante arctiſſimè coniunctus? Doctoris Gentium

Digitized by Google

ſententiæ experimento, quod nunquam decipit, de ipſo comprobatæ aſſentiamus, nullum malum tam acerbum eſſe, licet acerbiſſimum, quod valeat homines à caritate Chriſti ſeparare. Diabolus certè eſt malus, malorum omnium fons, & origo, immo ſummum malum: contra verò, quoniam ſummum bonum eſt Chiſtus, cum nihil in ſe non contineat boni, diabolus non potuit Franciſcũ caritate ardentiſſima ferueſcentem à Deo, qui vera caritas eſt, ſuis validiſſimis viribus amouere. Nullus ignis eſt, apud homines, quẽ áquarum affluentia non extinguat: at diuinæ dilectionis calor tantùm abeſt, vt aquis, quæ tribulationes denotãt, obruatur, vt potiùs nõ ſecùs, ac oleo perfuſus, magis, magiſq; inflammetur. Huiuſmodi flammis æſtuans Franciſcus, ærumnarum Acherontem à dæmone ſibi paratũ non timens, oratione intenſiùs ſemper incaleſcit, omnia tormenta experiundi deſiderio flagrat, gaudiũ, nõ aliunde, niſi à cruce, cui Chriſtus pro humani generis libertate affixus, pependit, ſe recepturum confidit. Hanc ſingulis horis, momentiſq; animo agitat, quam ille pretioſiſſimo cruore vbertim effuſo purpurauit: & lignum, quod antea amaritudinem habuit, gratiſſima dulcedine repleuit. Ibi quadragenario ieiunio in S. Michaelis Archangeli honorẽ incœpto, vt Seruatoris morem imitaretur, qui, ne quis noſtrum eſuriret, ieiunauit: cæleſtium rerum contemplatione eò ardentiùs affici videbatur, quò plus temporis orationi concedens, plus alimenti quotidiano cibo ſubtraheret. Ne minima quæq; Franciſci actio abſque diligenti examine à nobis dicatur prætermiſſa, hic tria potiſſimùm expendo, ieiunium, tempus ieiunio præſcriptum, nec non illum, cuius obſequio ieiunium fuit dicatum. Ieiunium opus Angelicum magis, quàm humanum appello, enſem contra inſidioſas ſatanæ artes acutiſſimum: enimuerò iſte Franciſci ieiunio eſurit, in eſurie tabeſcit, in tabe victus turpiter cadit: illud etiam vſurpaſſem, in caſu interit; ſed veriùs dixero mortuus viuit: ſumma enim miſeria eſt in mortis cupiditate vitam protrahere, cui æternitas eſt aſſignata. Tempus quadragenarium nu-

numerum habet culparum condonationi conſentaneum, quod Eccleſia catholica à Spiritu ſancto edocta, ſingulis annis filijs ſuis indicit: vt diſcant in cibi parcitate opulenta ſupplicia ſubterfugere, & Chriſti exemplo, qui nihilò breuiùs ieiunium ad noſtram ſaturitatem exercuit, perpetuum humani generis hoſtem ſuperare. Huc præſertim referatur Franciſci contra luciferum æterna luce orbatum in frequentiſſimis prælijs victoria. Ille non poteſt ieiunantium viribus reluctari: ipſos omninò neſcit, ac nequit vulnerare; quinimmo arma amittit, aut ſaltem hæc ipſa aciem amittunt, huc, illuc agitata, aerem verberant, actorem feriunt, trucidant, euiſcerant, qui totis viribus conatur homines athleticè ſtantes culpæ viribus elidere, &, ne amplius reſurgant, nullos etiam facere. Nonne dæmon Franciſci ieiunio eſt eliſus? Ita quidē: illius enim vires, generoſiſſimè luctans, adeò eneruauit, vt, dum inferorum commilitonibus cum armorum oblatione animos addebat, iſti ductu, & auſpicijs eius ad prælium aduerſus alterum Alcidem noſtrum appellati, primo hoſtis, vel inermis intuitu arma proiecerint, ſe ipſos ignominioſæ fugę tradiderint. At, dum Franciſcum cum diabolo luctantem recogito, mendax inermem nominaui. Eiuſdem arma, ſpinæ fuerunt: quas ſanctiſſimum corpus (ne venuſto fœminæ cōſpectu oblectaretur) lacerantes, non Franciſci caro, ſed dæmonis ſpiritus acutiſſimas perſenſit. O nouam (exclamo) præliandi rationem, Græcis, Romaniſq; omnibus ignotam, immo poſt hominum memoriam, nullius oculis, nullius auribus ſubiectam! Ecquis enim vidit, aut certè audiuit, alterum perduellem, in dimicatione, alterius ſe ipſum ferientis ictibus, vſq; ad necem vulneratum? Hoc de ſe Franciſcus vidit, poſteritas non ſine victoris gloria audiuit, idem ſēper auditura. Enimuerò, quod Chriſti militis caro cū adamātis fortitudine comparanda tolerauit, hoc ipſum altiſſimis caracteribus inſcriptum adamantinus lapis perpetuò ſuſtinebit, vt cuius rei monſtrum, licet à veritate nō alienum, hominum opinione haud facilè admittitur, mutus lapis loquaci ſilentio ad certiſ-

ſimam

ſimam fidem atteſtetur. Quem Franciſcus in quadragenario ieiunio ſibi peculiariter colendum propoſuit, Michael eſt, Anteſignanus, Archangelus, ſatanæ à Deo defectoris ſuperbiſſimi, poſt commiſſam cum ſilentij editione pugnam, è ſupernis ſedibus propulſator robuſtiſſimus. De loco non poſſum Franciſci prudentiam non laudare, aut ſaltem (quæ mea eſt in dicendo infantia) laudibus dignam non oſtendere. Decreuit non ſine diuino conſilio vir penè diuinus iſtud peculiare ieiunium exercere in cultum illius, qui Angelicas vires in acerrimo hoſte ad noſtram vtilitatem ſuperando exercuit: nempè vt experimento addiſceret in terræ montibus dæmonem vincere, qui in cæli planitie didicit victoriam, & libertatem non recuperandam amittere, vitamq; æternæ mortis fomentum in pœnis acerbiſſimis retinere. Quò autem obliuionis apud me abijt dies albo lapillo (vt veteres loquebantur) ſignanda, & huic ieiunio non temerè, ſed optimo conſilio præſcripta? Ea fuit, qua ab Heraclio Exaltatæ Crucis memoriam Eccleſiæ Romanæ conſuetudo fidelibus ſumma religione colendam proponit. Hanc, magis piè, quàm antea affectus vir ſanctitate inſignis ex animo coluit, vt illius ligni myſteria recoleret; vbi Chriſtus, cum pro nobis ſemel triumpharit, ſemper triumphat in nobis. Recogitabat hoc lignum Dei digito notatum, vt primi parentis culpam ligno contractam diluens, damnum in eo factum reſarciret. Crux, quæ Franciſci animo aſſiduè obuerſabatur, candelabri imaginem referebat, in quo ſacratiſſimum Chriſti corpus impijs Iudæorum manibus, quaſi totum aliud agentibus, quia myſteriorum neſcijs, collocatum, fulgentiſſimæ lucernæ inſtar in Eccleſia, tanquàm in domo Dei manentibus præluceret. Eadem ipſius menti cathedram denotabat, vbi increata Patris Sapientia in Caluariæ Archigymnaſio lectionem nobis intellectu difficillimam, ſed animorum ſaluti neceſſariam, inimicorum ſcilicet dilectionem paucis verbis: *pater dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciunt*, enodauit. Hæc, concinna
Luc. 23. ſimilitudine, aram ſignificabat, in qua Sacerdos Chriſtus pro nobis

bis

bis redimendis Patrì ſe ſe obtulit ſacrificium. In huiuſce oblationis memoriam, ſpineam coronam, ſpongiam, clauos, lanceam, necnon alia paſſionis inſtrumenta recolendo, quaſi myrrhæ faſciculum contemplatione attentiſſima congeſtum non modò pectori cum cæleſti Sponſa, verùm etiam cordi (vt illorum aculeis acriùs pungeretur) non impatienter anxius admouebat. In ſpinea corona, vnde ſacratiſſima ipſius Chriſti tempora ſanguine vbertim ſcatebant, omnium hominum delicta, quæ ſpinas æmulata, eius caput inflicto vulnere cruentarunt, eadem quàm maximè deteſtatus, reputabat. In ſpongia myrrhato vino madefacta, ipſius ſalutis noſtræ ſitim ardentem, in clauis manuum foramina, ex quibus cæleſtia dona in homines abundanter diffluunt, animo ſecum tacitus euoluebat. In lancea latus perforatum, caueam maceriæ, in quam vnius cuiuſq; anima columbæ exemplo, inferorum accipitris roſtrum fugiens, ſe recondit, aſylum tutiſſimum nominabat. In ceteris tormentorum inſtrumentis, quæ ſacroſancta humanitas ſuſtinuit, ingentem illius tolerationem, quæ noſtram in rebus aduerſis etiam minimis impatientiam redarguit, ſummis laudibus extollebat. O cogitationes ſingulis Chriſti fidelibus iugiter excogitabiles! O curas nemini incurioſo animo amplexandas! O conſilia (ſi mentibus noſtris iugiter inhæreant) perpetuam ſalutem allatura! Hiſce conſilijs, cogitationibus, curis circumuentus vir Eremitarum omnium maximè ſolitarius, nihil aliud admittebat: ſpiritualia oblectamenta corpori etiam impertiendi deſiderio commotus, vt nulla pars hominis à Crucifixi contemplatione beneficio careret: cuius vnicæ tantùm patri, quo decet obſequio, recolendæ totus homo non ſuppetit. Idcircò ſine ambitione ambibat, ſibi caput ſpinis redimiri, pectus lancea vulnerari, manus, ac pedes clauis confodi, vt illud cũ Paulo verè poſſet affirmare: *Stigmata Domini Ieſu Chriſti in corpore meo porto.* Dumq; iſtas cupiditates ore ſimul, & corde iterum exprimit, dulciſſimum Chriſti amorem medullitùs ſentit. Sed rationi haud incogruum fuit, vt illius votum, nullam *Gal.6.*

fru-

fruſtrationem reportaret ab eo, qui tacitis famulorum ſuorum cogitationibus, nedum vocibus præſtò eſſe non indignatur. Huiuſmodi ſortem fortunatam, meritis tamen maximè conſentaneam non diù poſtea eſt aſſequutus: dum enim orationi ſtudioſam operam daret, vnus Seraphim ſpecie Crucifixi cum ſex alis, quarum duæ ſuperiores caput, inferiores duæ pedes, duabus medijs volatum explicantibus, tegebant, e cælo delapſus ſanctiſſimis redēptionis noſtræ notis Franciſci corpus adeò vulnerauit, vt à multa ſanguinis effuſione multū deliquij pateretur. Tunc mortem gaudio, quàm mœrori longè propinquiorem perſenſit: tunc diuini amoris tela telorum omnium acutiſſima cognouit, quorum ſingula necem ſecum habent: ſed tamen hanc ipſam non inferunt, vt amantes iterum vulnerando felices reddant. Quinq; plagis vulneratus Anachoretarū decus Franciſcus diem obijſſet: ſed ſalutis noſtræ impreſſa veſtigia melioris vitæ beneficium per ſingulos ſenſus, quaſi per alueos, in eum liberaliter deriuarunt. Iam diu felix vixerat Pater pauperum cæleſtibus donis ex meritorum opulentia ditatus: at impreſſione Stigmatum recepta non ſecus, ac quinque pretioſiſſios pyropos recepit, illos nec etiam in morte (vnde omnia ad corpus ſpectantia cum eodem intereunt) amiſſurus. Hic omitto AA. tantæ nobilitatis acceſſionem beatiſſimo corpori factam, vt de illa cum animo non solùm decertare, verùm etiam ſe præſtantius aſſerere non dubitaret. Nemo tam demiſſæ conditionis eſt inter homines, vt ſe ad Dei imaginem creatum non affirmet: ſolus Franciſcus animo, Dei Patris, corpore, & animo Filij pro humani generis redemptione paſſi, formam geſtaſſe humillimus gloriatur. Non magni profectò negotij eſt, animum ſui met natura cæleſtem, quod cæleſte habet, retinere: mirum potiùs videatur, corpus fragilitati ſubiectum, quod non fragile, non caducum eſt, ſine aliquo amiſſionis periculo accipere; immo, quod hoſti hominum perpetuo alterum caſum attulit, cicatrices Chriſti, inter arma ceteris acutiora demonſtrare. Si quinq; lapides, qui Dauidis fundam gigan-

ganteæ ſuperbiæ domitricem in valle Therebinti armarunt, ſanctiſsimas Chriſti plagas, quibus in Caluariæ campo diabolum arrogantiæ patrem deuicit, præſignabant: cuius roboris fuiſſe Franciſcum exiſtimemus, poſteaquàm arma accepit, quibus Chriſtus Ieſus inferos, mortem, & peccatum potentiſsimè deſtruxit, ſi ante ſacrarum ſtigmatum impreſsionem ſpirituales nequitias facillimè ſuperabat, hoſtium ex inferis oſtijs contra ſe irruentium impetus repellebat? Illud vobiſcum confingite, AA. dæmonem non ſemel, atq; iterum, at ſæpè, ac ſæpius ad diuinum Franciſci non ſecus, atq; ad Chriſti conſpectũ exhorruiſſe: enimuerò, quemadmodum in deſerto Dei Filium humana carne indutum, non Deum, hominem credidit: ſic etiam Franciſcum fulgentiſſimis Chriſti vulneribus decoratum non Franciſcum, Chriſtum potiùs in eremo Aluerniæ merito ſibi ſupplicio exiſtimauit. Ecquid demum, ſi cuiuſpiam noſtrum piè contemplantium oculis in Franciſco Chriſtus, in Chriſto Franciſcus oſtenderetur? Vis profectò amoris eſſet, non erroris. Amor, qui verus eſt, illud veriſsimè habet, vt illius ſuaſu alter ex amantibus, cum altero coniungatur. Chriſtum Franciſcus tam vehementer dilexit, vt vndiquè cunctis viſceribus inardeſceret: Franciſcum verò Chriſtus æqualiter redamans, quod ſplendido Eccleſiæ lumini ſcribendum dictauit, de ſe ipſo acutiſsimè expertus eſt, amorem pondus eſſe, quo quiſq; facilè attrahitur ſequitur. Chriſtus Franciſci, à quo ſummoperè amabatur, amore illectus, tanto ardore in eundem ferebatur, vt ſe totum illi per ſtigmatum indicia expreſſerit: Franciſcus Chriſti amore, quaſi vino generoſo madefactus, cum ipſo pugnam inire auſus eſt. Tela ex Aluerniæ monte in cælum coniecta, illinc in montem ictus appellabant. Vterq; ferit manu validiſsima: Chriſtus à Franciſci amore multis vulneribus acceptis, non diutiùs ſuppetit; vt victori penitùs concedat, illi dat non modò manus, ſed pedes, & pectus: quæ omnia tanquàm inſignia ex amoris prælio reportata ad ſui gloriam, dæmoniſq; inuidiam, quo-

eumq; greſſum tulerit, ſecum afferat. Chriſtus, licet victus, victoris corpus(animo iam fruebatur)quinq; vulneribus expugnat: vnde alter alterius victoria lætetur. Oratio mea non ſatis clarè explicat iſtius metamorphoſis myſterium, nempè cum hominibus Chriſtum in Franciſco, Franciſcum in Chriſto cum beatiſsimis ſpiritibus commorari. Iſtud pariter amoris imperio adſcribendum, qui amantis animum opulĕtiùs nutrit, vbi amat, quàm vbi animat. Non ſatis enucleabo, Chriſti amoris faces in Franciſcum, quam maximè accenſas, niſi monſtruoſum quiddam affirmauero, Chriſtum in Franciſco vniuerſum genus humanum dilexiſſe: quoniam ſignis, ex quibus ipſe Deus, & homo ſimul cognoſcitur, Franciſci corpus ſexcentis animi dotibus, quæ in ipſum redundabant, inſignitum magis nobilitauit. Quas reuerenter, vt decet, in Franciſco Chriſti plagas nomino, totidem ora eloquentiſſima recenſeo, quorum ſingula ſingulas illius virtutes præclariſſimas arboribus, & plantis adeò vehementer prædicabant, vt quælibet ipſarum folijs, quaſi facundis linguis, multiplicatas eius laudes exprimerent. Taceo in auiculis ſyluas dulci garritu lætificantibus, concentum: quarum plumæ apud ipſas cantum omnium aures demulcentem, æmulabantur. Ipſi fontes longè pluſquàm antea ſcaturientes, ſanctiſsimi viri encomijs naturam ducem ſequutæ, non interppellato murmure ſcatebant. Vtque tot laudatorum eloquentiæ auditor non deeſſet, aderant feræ ſui natura ſæuiter impatientes, quæ tunc feritatis oblitæ, non proprium genium, ſed alienum auribus ſequerentur. Porrò, vt aliquid ſupra ad monſtri acceſsionem (ſed tamen ſine mendacio) accedat, mons ipſe belluarum, auium, fontium copia ditiſsimus vſq; in hanc diem hiatibus Franciſci praconia extollit,: pro ſanctitate ex illius rebus innocentiſsimè geſtis accepta, immortales immortali viro gratias agit, memoriæ ſibi, quàm diu cum ceteris montibus fuerit, inhæſura, Tiberim fluuiū, qui è mente effluxit, aurem mihi vellentem ſentio. Hic certè non culpanter redarguit, quòd nullam de Franciſco mentionis partem

tem

Digitized by Google

tem (cum tamen maior ea in re ſibi deberetur) fuerit adeptus. Is capite ex terræ penetralibus educto, vt, quæ de Franciſco miracula auribus acceperat, oculis etiam impertiret, eadem longè maiora rumoribus contemplatur. Ne iſta omnium cognitione digniſsima oculatus teſtis reijciat, aut vento committat, ad ſeptem collium vrbem curſum inflatus dirigit: quæ de montis Aluerniæ incola in cunabulis audiuit, vidit, adiacentibus oppidis enarrat, torrentes, ac riuulos, vt eadem miracula percipiant, lætabundus inuitat. Illos ſtatim accurrentes, filiorum inſtar in gremium recipit, parentis linguam in Franciſci laudes ſolutam imitantur. Roma ipſa, nihil, vel maximum (quæ illius eſt magnitudo) vnquam admirata, ab vnius viri humilitate, quæ ipſo cælo celſiora ſunt, demanare, ſupra mediocritatem obſtupeſcit; quippe quæ rei nouitate diligentiùs examinata, illud haud temerè præſagit, non modò ſui celſitudinem Apoſtolorum Petri, & Pauli præſentia condecoratam, verùm etiam orbis terrarum (addo cæli, quæ maior eſſe non poteſt) amplitudinem ſanctiſsimis viris ex Franciſci familia prodituris non parùm augendam. Et ſi rei exitum ex hiſtorijs eliciamus, neminem eo præſagio deceptum affirmabimus: enimuerò quot Epiſcopi, quot Cardinales, quot Summi Pontifices ex ea numerari poſſunt, quorum imperio apud ſapientes laudatiſsimo, Chriſtianorum Reſpublica gloriatur? Quot viri, ac mulieres in ſanctorum numero aſcriptæ, cæleſtes ſedes malorum Angelorum caſu deſtitutas occupant? Quot cinericei coloris veſtibus induti, fune præcincti, ſanctiſsimi Inſtitutoris exemplo, in clauſtro æque, ac in cælo integerrimam vitã agunt, boniſq; operibus inhærentes lucernas fulgentiſsimas in Eccleſia prægeſtant? Hinc in Franciſco lateris aperti myſterium non parùm certè abſtruſum intelligo, nempè vt illius proles fæcundiſsima, ſinguliſq; diebus aucta, militantis Eccleſiæ commodo, triumphantis ornamento ederetur. Ecquid in manibus, & pedibus plagæ remotiſsimis etiam regionibus à notitia non remotæ, ſummaq; reuerentia exultæ? Fortaſſe in-

otio degerunt apud illum, qui licet ſemper ſolitarius, nunquam tamen ſolus fuit, aſſidua Angelorum præſentia aſſociatus? Iſtæ ad Dei beneficentiam, quæ virtutum imitatores multis in rebus ei conſimiles facit, laudandam aſſiduè patebant: Franciſcus enim Chriſti ieiunium ſtudioſiſſimè æmulatus, ad ipſius exemplum Angelico miniſterio eſt vſus. At qui fieri potuit, vt vbi Crucifixi Angelorum Domini imago aderat, non lapidibus æneis, ſed humano corpori impreſſa, Angeli quoq; in ſui Creatoris gloriam, & ipſius ſerui honorem non adeſſent? Si quod magno principi ſeruitium exhibetur, illud ſeruientis laus, & dignitas iudicatur, Franciſci ſublimitatem ex fauoribus benigniſſimæ Dei manu in illum collatis conijciamus. O fortunatum Socratem, ſi huius præclariſſimi viri ætatem aſpexiſſet! non ampliùs enim in hominis pectore ſpeculam, vnde illius internæ cogitationes ſui natura imperſcrutabiles viderentur, deſideraſſet. E Franciſci enim pectore hiulco magis ſapienter, quàm olim philoſophatus, verum numen illius cordi altiſſimè impreſſum, Chriſtum ſcilicet cruci affixum (huc enim illius cogitationes omnes tendebant) inſpexiſſet. Iſtud in Franciſco numen lapides, qui nihil ſentiunt, ſæpiſſimè ſenſerunt: enimuerò temporis vetuſtate ex latere montis exciſi, lapſu (ne Dei famulo aliquid obſtaculi fieret) veluti rationis compotes abſtinuerunt, non ſine pia peregrinorum ſacra loca inuiſentium admiratione: qui eoſdem ſummæ magnitudinis ponderibus ſuis cum terreſtris elementi inuidia libratos ſuſpiciunt. Et ne oculus ludificato quaſi aſpectu decipiatur, illos per antri ingreſſionem liberi, atq; incolumes ſubeunt. Inde hiſtoriarum peritis menti occurrit Annibalis fama non pauco ſcriptorum atramento vniuerſæ poſteritati celebrata. Hinc Punicorum ducem maximè ſtrenuum cum Franciſco Dei exercitus milite fortiſſimo comparãtes, rerum geſtarum gloriam multò inferiorem inueniunt: alterius nanq; famam armata ſuperbia, alterius inermis humilitas poſteritati commendauit. In ea comparatione (vt quod virtutum meritis debetur, nihil iniu-

tioſi

rioſi concedant) apud Annibalem loricam armorum aciε impenetrabilem, ſed facundiùs apud Franciſcum lacerum ſaccum collaudant. Annibalis crura ad dimicationem ſemper ocreata, ſed impenſiùs Fráciſci pedes gelu aſperrimo rigentes prædicant. Annibalem dapum delicijs mollibus ſtratis, ſericis tentorijs, ſed libentiùs Franciſcum victus aſperitate, nuda humo, antri fornice oblectatum obſeruant. Annibalis manu vulnera hoſtium corporibus grauiſſimè inflicta, ſed magis Franciſci amore plagas profundiſſimè receptas ſuſpiciunt. Inconcuſſo Annibalis robore expugnatas vrbes, ſed Franciſci patientia inuincibili, proſtrata inferorum regna ſtudioſiùs contemplantur. Ex iſtorum non minùs vero, quàm prudenti, ac pio iudicio noſtra in beatiſſimum virum pietas, non tamen otioſa excitetur: laudes in præclaras illius animi dotes congerat: corporis ſanctificati excellentiam alijs celebrandam non relinquat: ipſumq; lilijs caſtimoniæ indicio circumueniat: purpureis roſis feruentem erga Deum amorem deſignantibus fulciat: myrrha pœnitentiæ typo aſpergat. Et quoniam illius ſepulchrum, vt potè cæleſte profectò ærarium pretioſas gemmas, nempè ſtigmatum notas cum Græcorum, Perſarumq; diuitijs minimè comparandas continet, vt noſtra erga Franciſcum religio aliqua ex parte innoteſcat, ipſius abſtinentiam, puritatem, in Deum obſequiū diligentiſſimè imitemur: Virorum enim, qui præſtantiſſimi fuerunt, merita, nullam ſui laudem apud poſteros magis conſentaneam inueniunt, quàm ſi ipſos indelaſſatos ſui æmulatores experiantur.

S.Eu-

S. Euſtachius ceruorum captator à Chriſto captus.

ORATIO XVII.

LAudabili quidem conſilio ſacroſancta Eccleſia rerum à ſanctis viris geſtarum anniuerſaria lectione aures nobis pulſat: quæ ſi purgatis attentiſque animis excipiantur, non vulgarum virtutum exempla concipimus, rebuſque ipſis parimus cum noſtra ſalute ſempiterna. Iſtam verò quænam virtus faciliùs acquirit, quàm cunctis partibus abſoluta patientia? Illinc à Deo pollicitorum exitus pendet; quinimmo eadem Deum ipſum nobis exploratè pollicetur: etenim ſi hanc mortalium pectoribus adimas, iiſdem omninò ſpem, & caritatem adimis: vnde fides iacet mortua, nempè bonorum operum fructibus (cum illinc opulenter nutriatur) orbata. Contra verò, ſi eandem exerceas, inde omnium optimatum artium baſim ſolidiſſimam conſtruis, ad perpetuum tui commodum, duraturam. Expreſſum non fucatæ, non coactæ tolerationis exemplar exoptatis, AA? Martyrem Euſtachium vobiſcum taciti recogitate: illud enim ſi fiat, vna eademq; opera penitùs fiet, vt non temerè cenſeatis, à natiuitate Placidi nomen accepiſſe, qui vndiq; placidus, vel in armorum agitatione, quæ furorem, & iracundiam ingerunt, cum Magiſtri militum honore cunctis hominibus innoteſceret. Fuit quidem moribus placidus, animi tamen, & corporis viribus Imperatori Traiano ſupra ceteros carus, ſed cæli, terræq; Imperatori carior aliquando futurus. Miſerationis affectionem adeò arctè amplectitur Deus, vt neminem, quanuis à ſui cultu longiſſimè alienum, aſpernetur; immo illud aſſiduè cogitat, vt à recta aberrantes, in viam ſalutis alliciat: ni velint, beneuolentiæ aculeis non tamen coactos impellat; quoniam nihil aliud, quàm vniuerſæ hominum ſalutis

deſi-

Digitized by Google

deſiderium ad famis, ſitis, ſudoris, inſuper ad conuiciorũ, plagarum, crucis deniq; perpeſſionem ipſum volentem eouſq; attraxit, vt cruoris liberaliter effuſi, mortiſq; cum ignominia cõſtanter aditæ, abuſum ægerrimè ſuſtineat. Idcircò nihil non pertentat, ne tantæ redemptionis meritum cum hoſtium gaudio, inutile aliquando euadat. A Deo recedis? Ille amantiſſimè te appellat. Non reſpondes? Voces ſæpè, ac ſæpius iterat. Obſurdeſcis? In ſingulos dies, in ſingulas horas te anxius quærit. Abſconderis? Angulos etiam remotiſſimos perluſtrat: vt videatur potiùs, quàm videat; quoniam è ſupremis ſedibus omnia videt In abditiſſima loca te recipis? Ab eo ſtatim inueniris, quia te vult, vt ſe ante omnia velis; & licet poſſis, nihil repugnes: verùm ad illius voluntatem, quæ nihil non ſapientiſſimum, nihil non optimum velle poteſt, voluntatem accommodes. Hic ad Euſtachij Martyris laudes orationẽ libens accommodo: qui ab omnipotenti Deo aberrans, vixit, in ethnicis fuit; ibi filios ad peſſimas leges deorum, ſeu verius ad dæmonis cultum informauit. Rei euentum, obſecro, obſeruate, AA. Vrbem relinquens, ferarum venationi operam nauat: dum prædam equo admiſſo quærit, prædæ naturam induit. Inter ciues à veri Dei cognitione alienus efferaſcit; in ſyluis ad manſuetudinem animum inclinat. Quod frequens ciuium conſuetudo denegauit, inter ſenticeta, ac ſpelæa ſolitudo elargita eſt: quò magis ſe abſcondit, eò ſtudioſiùs animarum venator illum inueſtigauit; vt ad ſe, quaſi aliud agens, per monſtri exemplum traheret eum, qui monſtruoſa dæmonum ſimulacra venerabatur. Is equo vectus, ſed ab æquo maximè abſtractus, cum inter ſyluas ceruorum gregem ad oblectationem inſectaretur, Chriſti è cruce pendentis effigiem inter cerui, qui omnibus eminebat, cornua, refulgentem ſuſpexit, acerrimam vocem per aures præcordiorum fibras penetrantem excepit hiſce verbis expreſſam: cur me perſequeris? vnde non exigua admiratione affici non potuit, quippè qui non Chriſtum, ſed verè ceruum inſequeretur. Voluit Seruator inter

cerui

ceruicornua ab Euſtachio videri: vt ab eo antea exoculato, tunc defœcato corde exciperetur. Quocircà ceruum perſequendo, Chriſtum ipſum illius capiti inſidentem perſequebatur. Euſtachius à Deo diligentiſſimè quæſitus eſt, vt ipſum potiùs inſpiceret, quàm ab ipſo quidem inſpiceretur: at vbi clariùs inſpici potuit, quàm inter feras, & ſyluas, qui inter ciues nullam tùnc temporis ab Euſtachio ſui habuit inſpectionem? Voluit ſe placidum Placido oſtendere, ideòq; appellans interrogat, cur me perſequeris? Dum ceruos ſcilicet venaris, eò acriùs, ac infenſiùs me perſequeris, quò longiùs à mei cultu, religione deteſtabili recedis. Non perſequi deſideras? me ſequere: dum enim ceruos fugientes appetis, me tui appetentem fugis. Iſtos in ſyluis per aſpera, & dumoſa inquiris: me vbi vis iugiter in promptu, quaſi hoſtem acerrimum iniquè intueris. Nequiuit venator (quia noluit) iſtis amantiſſimis vocibus repugnare; immo feliciſſimam à diuina miſeratione Pauli ſortem nactus, ab equo deſilijt, Crucifixi imaginem, vocemq; ſimul veneraturus. Nihil prorsùs cunctando, inter huiuſmodi verba genua deflexit: Domine, quis es, qui me tui perſecutorem appellas? Reſponſum accepit: Chriſtus Ieſus ſum Dei Filius ignominioſam crucis mortem pro omnium ſalute perpeſſus, è mortis imperio tertia die inter ſpolia opima triumphator rediuiuus. Ad ſuauiſſimum, & potentiſſimum nomen Ieſu, voluntate (quia non ſecus voluit) mancipata: Domine, inquit, quid à me poſtulas? qua in re ſeruitium meum tibi ad dictum deſideras? Illud poſtulo, illud anxius deſidero, adiecit, vt te vxorem, ac filios ſacroſancto baptiſmatis fonte pro vitæ cæleſtis ingreſsione abluas; poſt ablutionem, quicquid aduerſi acciderit (quod non parum erit) mea cauſa æquo animo ſuſtineas. Poſt quæ ceruus in pedes ſe conijciens, illius aſpectum aufugit. Ecquis hoc loco, ò immenſam Dei in homines clementiam! non exclamet? qui noſtri omnium ſalutem vnicè amans, hanc perire non patitur, dumodò nos totum aliud agentes, hoc ipſum,
quaſi

quaſi qui in altiſsimo voluptatum oceano (ne perpetuò occidamus) quæritans, nihil intentatum relinquit, vt animas noſtras lucrifaciat: quia ſingulas ex iſtis nihilò minoris, quàm proprium ſanguinem, & vitam in crucis ara ſe feciſſe non verbis, rebus ipſis apertiſsimè demonſtrauit. Cumq; Euſtachius à vera fide, quàm maximè poterat, deuius vagaretur, inter venationis oblectamenta deprehenſum, ad ſe volentē trahit, poſteaquàm ſuæ miſerrimæ conditionis cognitorem effecit. Quemadmodùm Paulus, dum Chriſti fideles voluptuosè perſequebatur, ſe ipſum perſequutus, non aliter Euſtachius in ceruorum venatione à ſe ipſo abalienatus, Ieſum inuenit: vterq; tamen quæſitus, non quęrens; vterq; miles, vterq; à Chriſto vocatus, Paulus Chriſtianorum inſectator graui fulmine, Euſtachius ceruorum venator leni voce appellatus, immortale ſalutis beneficium eſt adeptus. Non putauit Paulus, Chriſtum à ſe inueniendum, cuius nomen ad ſempiternæ famæ monumentum equo (quod aiunt) albo currens, ambibat interpellare: & tamē ipſe ab iſta interpellatione inopinanter abſtractus, Chriſtū reperit. In oculorū amiſſione oculos accepit: cum omninò eneruatus, tunc robuſtiſsimus, cum equo deiectus, tunc candido iuſtitiæ equo vectus, cum per metum elinguis, tunc eloquentiſsimus, atque ex Saulo in Paulum conuerſus innotuit. Nonne idem de ſanctiſsimo viro Euſtachio aſſerendum? Is inter arma Imperatori gratiſsima, quoniam ſagaci conſilio in hoſtes agitata, dum venationem agitat, dum quiduis potiùs, quàm Deum (vnde ſalus omninò pendet) ſecum ipſe reputat, eundē nihil aliud, quàm de ſui animi incolumitate cogitantem, cū minimè cogitaret, nimirum inter cerui cornua inſpexit. Qui rerum naturam perſcrutantur, ceruos muſicæ cōcentus eòuſq; amantes narrant, vt ad canentiū voces, quas auribus acutiſsimis percipiunt, cateruatim accurrant. Diuina miſeratio, quæ hominum ſaluti nunquàm otiatur, ad Euſtachij conuerſionem maturandam, cæpit muſicam exercere. Non abſurdum cenſuit Chriſtus ceruo ſimilis (quoniam ſit om-

nibus omnia) inter ceruos ad dulciſonas ſuæ miſerationis voces, (vt generoſum militẽ Placidũ, inclytum Martyrem Euſtachium faceret) appropinquare. At non feciſſet, niſi Placidus, veteri fermento ex Pauli admonitione expurgato, à baptiſmali aqua nouam conſperſionem accepiſſet; quinimmo noua conſperſio factus eſſet. Admirando Crucifixi conſpectu cum ſuis domeſticis, nonnulliſq; Chriſticolis communicato, cum vxore Theopiſta, Agapito, & Theopiſto filijs baptiſmate initiatur: & illinc patientiæ in rebus aduerſis initia oriuntur. Proh Dei fidem! Quàm diù Chriſti Athleta inter infideles Placidus fuit, fortunam rebus ſuis placidã, ſtatim vt inter Chriſtianos Euſtachius euaſit, hãc ipſam tam ſæuã, atque crudelem ſenſit, vt in ſacra lotione bonis omnibus, quæ nõ modica erant, orbatus videretur. Si apud Euſtachiũ animi robur cum Iobi toleratione conferamus, non tam lac lacti, aut aquam aquæ ſimilem iudicabimus. Iobo pecudum greges confertiſsimi, vxor, filijque perierunt: ipſi valetudo inter vlcera in ſterquilinio non minùs viſa eſt perijſſe. Euſtachius pariter quicquid armentorum fuit, cum ſeruis omnibus amiſit: quamobrem Roma, vbi opulentam vitam degebat, in pagum viliſſimum neceſſitatis impulſu commigrauit. Ibi non multò poſt, vxorem, & filios rerum omnium cariſſimos ſibi ſurreptos deplorauit: non tamen ſine eo animi alleũamento, quod ab vxoris illibata caſtitate potuit deriuari. At non iſte miſeriarum finis: reliquum fuerat quidpiam calamitatum pro patientiæ experimento ſuſtinendũ: debuit vltimos ad egeſtatis terminos redigi, vt vltimum cõmendationis gradum attingeret. Neq; ſecus à diuina illi prouidentia contigit: cuius aurum ardentiſſimo afflictionis igne voluit examinare; vnde illud cum Pſalmographo non mendax vſurparet: *Igne me examinaſti: & non eſt inuenta in me iniquitas.* Ecquid iniquius excogitari nedùm inueniri poteſt, quàm diuinæ ſapientiæ Angelis ipſis imperſcrutabili legem preſcribere? quàm res noſtras licet genio, aut deſiderio (dicam etiam commodo) quàm maximè repugnent, lamentari, ac meritorum,

Pſal. 16.

ſiquæ

ſi quæ tamen ſunt, quod non aſſero (à nobis enim nihil ſumus) parcitati amplam mercedem aſſignare? Quid auctor moralis Comicus inter ethnicos ſcriptis commiſerit, non reticeo:

Eſt profectò Deus, qui, quæ nos gerimus, auditq; & videt: Plaut. capt. ac. 2.
Benè merenti, benè profuerit, malè merenti par erit.

Illud verò profuerit, ne longè nimiùm abeſſe cenſeas. A te ipſo ſc. 2. non abeſt; quinimmo in te ipſo eſt. Sed quonam pacto? Si te patientem aſsiduis ærumnis exagitat, proficua eſt eiuſmodi agitatio, quoniam à tua virtute, quæ præmium ſibi coniunctum habet, ne minimùm quidem abalienatur. Hæc ipſa, & ſaniora etiam conſilia, ſano animo euoluentem Euſtachium duræ apud ruſticum opulentum ſeruituti durare nihil teduit cum ſpe non dubia, illius opem ſibi non defuturam: *Qui mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.* Reg. 1. Hinc omninò addiſcant, qui poſt ſui conuerſionem, rebus omnibus in peiùs conuerſis, ſe in dies magis, magiſque conflictari admirantur. Non vilis eſt cæli gloria pretioſo Chriſti ſanguine comparata. Ea potiri exoptas? Suſtine, & abſtine. Quæ mala ſunt, nempè vitia, ijs abſtine: contra verò, quæ videntur non bona, miſerias ſcilicet, ſuſtine. Qui abſtinet, facilè ſuſtinet non minùs, quàm, qui ſuſtinet facilè abſtinet. Euſtachius abſtinētiſsimus fuit: ideóq; non mirū, ſi viriliter omnia ſuſtinuit. Iſta inuincibilis patientia, quę ſcriptorum omnium encomia meretur, non diſsimilem Iobi tolerationi finem ſibi paratum tandem aliquando experta eſt. Virtutis fulgor nullis, vel denſiſsimis tenebris operitur; immo quantò grauiùs opprimitur; tantò micantior apparet inimicorum etiam oculis inſpiciendus. Traianus imperij cauſam eò anguſtiarum redactam inſpexit, vt viro armorum vſu peritiſsimo ad militum electionem graui bello neceſſariam indigeret: cumq; ſtatim ſubierit Euſtachius diuturna, frequentiq; præliorum adminiſtratione probatus, illum ſummo ſtudio perquiri iubet: inuentum appellat, delectui militum habendo præficit. Hinc ſententiam illam nihil veritati reluctantem obſeruate:

Plaut. capt. Prolog. *— Dij nos, quaſi pilas homines habent.*

Iſtud nos de Deo, qui vnus eſt, non de pluribus immaginarijs fideliter ſentimus. Euſtachius profectò pila fuit huc, illuc Dei manibus agitata: olim ex domino ſeruus, inde ex ſeruo factus eſt dominus. Cur ita? Vt cum Iobo iteratam fortunæ viciſſitudinem non aliunde, quidē niſi ab altiſsima Dei prouidentia, exitu ipſo perſentiret. Cum totus in militum fideli electione verſaretur, ſecundo caſu filios, & vxorem ſimul, quæ apud priuatum hominem humili, & demiſſo ſchemate ſeruiebat, non ſine ingenti gaudio inuenit. Qua verò de cauſa filios, & vxorem inuenit? Quia in rebus dubijs mentem non dubiam, in anguſtijs animum auguſtum iugiter ſeruauit. Cum Euſtachius Imperatoris iuſſu ſuam functionem diligenter exerceret, ſummus Imperator Deus ſingulas illius virtutes, quas nunquam otioſas habuit, enumerabat, debitum ipſis præmium relaturus. Non patitur Deus, apud ſanctos bonorum operum mercedem interire. Iuſtus eſt non minùs, vt bonis bona, quàm malis mala ad amuſſim reponat. Quēadmodùm patientiſſimus fuit Euſtachius, qui calamitates conſtanti ſilentio comprimens, ſibi alleuabat; vt ex moleſtijs minimum ſentiret, quod quiſque maximum iudicaſſet: ita rationi congruebat, vt, qui ſe ipſum athleticè vicerat, ex Romani Imperij hoſtibus Imperatoris commodo, nec non ſuo ornamento ſpolia reportaret. Idem Euſtachio tam feliciter contigit, vt in ſeptem collium vrbē reuerſus ab Adriano, qui illis diebus Traiano ſucceſſerat, à Senatu populoquè vniuerſo inter decertantes ad eius gloriam acclamationes fuerit exceptus. Ecquis (obſecro) ſibi vnquàm perſuaſiſſet, Romanorum Imperatorem Euſtachio inter mortales, miſerijs duntaxat, ærumniſq; opulento, rebus, gloria, & fama aliquando tandem opimis acclamaturum? Fortuna non ſemper hominem premit, vt comprimat. Libet fortaſſe, ſed non licet: id ipſum enim haud ſentit cum leone, de quo Poeta celeberrimus cecinit.

Ouid. *Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni:*

Digitized by Google

Pugna ſuum finem, cum iacet hoſtis, habet.

Cōtra verò fortuna, cū rebus aduerſis te oppugnat, ſi repugnes, fragilis eſt: dum proſperis exagitat, ne cadas, quoniam nihilo minùs fragilis; immo vitrea eſt, cum maximè lucet, tunc frangitur. Nonne in ipſo limine orationis Euſtachij patientiam vobis obieci? Nonne virum inter omnes conſtantiſsimum commendaui? Quid à reluctantis fortunæ impetu ſuſtinuerit, ſatis prolixè accepiſtis: nunc, quid ab eius exporrecta fronte longè grauiùs tolerauerit, paucis enarrabo. Romã inter præſtantiſsimas triumphi pompas (quod ſupra innui) ingreſſus, nihil de ſe, niſi humile, ac demiſſum credidit, Chriſtianam fidem edoctus. Illius conſtanter, ac firmiter exceptæ indicium ſit, quòd interrogatus, cur poſt Capitolij in triumpho aſcēſum Ioui Feretrio, vnde frequenter hoſtium palmæ expectarentur, ex vſu iam diu inueterato ſacra non faceret, reſpondit: ſe nulla vnquàm ſacrificia niſi Chriſtianorum Deo, quòd ipſius religionem, ceteris dijs ligneis, lapideiſq; contemptis, coleret, obtuliſſe. Iſta reſponſione vniuerſus populus, quippe qui à Ioue, quaſi contempto, timeret, aut ſaltem futuras victorias à neglecto eiuſdem cultu deſperaret, in Euſtachium grauiſſimè eſt concitatus. En vir Deo carus fortunæ felicitati iterum ſubductus, miſeriarum Oceano iterum demerſus: at profectò ſciet emergere, qui ſæpè, ac ſæpiùs inſtabilis fœminæ inuidiam nouit infringere. Iubetur Euſtachius aut Ioui, quem ſtulta antiquorum religio deum maximū nominabat, immolare, aut, ni velit, eidem cū vxore, ac filijs cariſſimis, quaſi victimis, à voraciſſimi leonis dētibus immolari. Hæc bellua in ſyluis à natura, ab arte in amphiteatris ferociſſima, Imperatoris ſæuiori iuſſione, in Chriſti Martyres immiſſa, ad illorum ſanctiſsimos pedes adeò ſe prouoluit, vt ſuos mores penitùs oblita, Chriſti Athletas venerandos potiùs, quàm deuorandos loquaci ſilentio explicaret. O leonis genium Imperatoris genio mitiorem! Feræ in ſyluis natæ, ac enutritæ, inter vrbis mœnia manſueſcunt: homines in vrbibus parti, & excreti, quaſi in ſyluis ef-

fera-

feraſcunt? Ecquis iſtud octauum orbis miraculum non appellet, execrandumq; non deteſtetur apud Imperatorem, cuius eſt hominum mores ſingulis diebus manſuetiores reddere, nedùm inclementiæ exemplo ad feritatem prouocare? Si tantum laudis meritus eſt Titus Cæſar ab Auctore epigrãmatum, quòd leonem gubernatoris offenſorẽ ſagittis cõfodi mandauerit: quantum (interrogo) ignominiæ Imperatori adſcribendũ, qui ſanctos Martyres leoni exenterandos obiecit? O longè crudelior, exclamate, AA. illius animus, qui animantium regis, vt plurimùm ferociſſimi manſuetudine ſuperatus, illuc effrænatæ ſæuitatis deuenit, vt quicquid à viuis beſtijs in Chriſti famulos ferociæ ſibi denegatum vidit, à fictis belluis mutuandum, humani iudicij expers iudicarit! Idcircò alter Phalaris Martyres æneo tauro incluſos, igne torreri mandat, illud ſibi certiſſimè perſuadens, humano ſenſu in Sanctos carere, non quæ inhumana ſunt, animalia, ſed res duntaxat omninò mutæ, atq; inſenſibiles (parum dixi) quæ non ſenſus tantùm, ſed etiam motus ſunt expertes. Tyrannus duo adhibet, vt Martyres vltimo ſupplicio afficiat, taurum æneũ, & ignem. Taurus, ſi motus affinis fuiſſet, neq; Euſtachium, neq; illius vxorem, neq; filios ad pœnã recepiſſet, aut ſaltem receptos ad humanitatis indicium euomendo (ne tantillum læderentur) ab igne voraces flammas non expectaſſet. Voraces, inquam, non in Martyres, apud quos ne capillus quidem læſus, ſed aduerſus Imperatorem, cuius iniquo imperio, vt Martyribus parcerent, quaſi ſenſus compotes obſequium neglexerunt. Vnde igitur Dei victimæ necem acceperunt, à tauro, vel ab igne? A neutro, inquam. Ignis illorum ſanctitatem venerabundus, nihil attigit: taurus, veluti neq; mouens, neq; motus, morti tradere non potuit: & tamen in tauro perierunt. In tauro quidem, ſed non à tauro. In tauro ſpiritus attractio impedita illis animam abſtulit: Spiritus Sancti gratia cumulatos cœleſti gloria impertiuit non ſine Chriſtianorum iucunditate; qui Martyrum corpora flammarum prorsùs immunia conſpicientes, honeſtæ ſepulturæ loco (ne vltimum

mum illis apud homines pietatis officium deeſſet) lachrymis inter oſcula vbertim effuſis, commiſerunt. Felices animæ, quibus iam morti proximis illud licuit lætanter exclamare:

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum Virg. Aen. 1.
Tendimus in latium, ſedes vbi fata quietas oſtendunt.

In latium dixiſtis, nempè in cælum: vbi fata, nimirùm ſumma Dei prouidentia, ſedem perpetuò felicem, quoniã ab omni perturbatione alienam, inter Beatorum cœtus pollicetur. Felices, inquam, quas pollicitationem conſequutas, iuuat labores, & moleſtias ad impenſiorem lætitiam meminiſſe. Hoc veſtrum ſingulos enixè obſecramus: mementote Deum, cui cariſſimæ eſtis, obſecrare: vt nos acerbiſſimis malis, quaſi turba ingruentibus, circumuenti, poſt patientiæ exempli à nobis propoſiti imitationem cæleſtis gloriæ, quæ oppreſſis in hac vita hominibus promittitur, ab illius incomparabili benignitate potiamur.

S. Matthæus ex trapezita Apoſtolus.

ORATIO XVIII.

EA laus cunctis quidem partibus abſoluta debet exiſtimari, quæ à virtutis fonte ſcaturiens, ſui amantiũ animos aſpergit: quoniam à proprijs tantummodò meritis deriuata ſibi ipſi acquieſcit, nihil ambiens, niſi vt à ſe honore non fucato cõpetitores liberaliter exornentur. Iſtam adeò appetebat Matthæus, vt demiſſam auri cupiditatem, qua olim corruptiſſimus vixit, libens deſeruerit. In vinculis voluptuoſè ad telonium ſedebat, quicquid aliundè oblectamenti eſſet, omninò aſpernatus. At cur ſedebat potiùs, quàm ſtabat? Non minùs ſtabat ſedendo, quàm ſtando ſedebat; vt animi appulſum ſordeſcenti auro firmiùs addictum demonſtraret. Sedebat, vt auro imperare videretur, ſed re vera tyrannicum auri impe-

Digitized by Google

perium ſingulis diebus in ſe ipſum grauiùs tolerabat. Sedebat ad eius vocem, qui nullius non ſeſſionem, reſurrectionemquè ab æterno prænouit, ſurrecturus. Sedebat, quaſi Chriſtum præſtolaretur, à quo liberali fauore, non ſine inuida Iudæorum admiratione, erat excipiendus. Sedebat illius, qui diuinam Patris dexteram non relinquens, mortales omnes ad immortalem vitam amoris iaculo, & verbi rete venabatur, dulciſſimo vulnere confodiendus. Nec ſecus profectò accidit: illis nanq; vocibus, ſequere me, à Chriſto prætereunte appellatus, non ſecus, ac biſulco fulmine vulneratus, cor ſuum licet cedrinũ in pectore adamantino confractum, immo contritum, vt holocauſtum Deo gratiſſimum fieret, perſenſit. Sed contritionem iſtam nemo admiretur: enimuerò, ſi verbum Dei gladius eſt, qui ad animi fibras pertingit, ecquid verbum, ipſius Verbi ore prolatum non poſſe aſſeuerabimus? Si Deus per verbum ex nihilo omnia creauit: cur ex homine alium hominem non fecerit? Credimus (nec quidem temerè) verbum Dei valetudinem, quinimmo vitam ipſam eſſe: quocumquè acceſſerit: illicò dolorem aufugere, inualetudinem recedere, corporis, & animi vires fugatas remeare? Matthæus ad telonium ægrotus (ſeu veriùs) exanimatus iacebat; peccatoris enim ſeſſio, animi conſternatio eſt: quocircà eo verbo, quo Petrus ingentem piſcium capturam ſortitus fuit, Matthæus capi debuit, vt felicis vitæ beneficium aſſequeretur. Idcircò, ſequere me, ait Saluator, non pecuniam ſcilicet, quam in aſſiduo animi motu imprudenter ſedendo cõſectaris. Sui met ſequelam obijcit Chriſtus, quoniam Matthæus in auro quietem perquirens, perpetuò agitatus vixit. Id ipſum ei dolos, ac fallacias ſtruxit, quippè quod corpus tranquillitati donans, ad moleſtias animum attrahit. Chriſtus poſt ſe Matthæum vocauit, ne debitorum nomina diutiùs volutaret, ſed Dei filio, cui ſe ipſum debebat, perpetim inhæreret. Sequere me, ait amantiſſimus Deus: quàm diù enim ad telonium ſedebis, in ſummo negotio non ſine tuo detrimento otiaberis. Si vſquè ad hanc diem ratio obtemperauit: in poſte-
rùm

rùm illi ſenſus pareat: iſta in animo, tanquàm in ſolio imperet. Optabat Chriſtus, qui ſummæ benignitatis ſuaſu omnibus omnia velle profitetur, vt Matthæi corpus ſurgeret: ne animus in peccati cœno diutiùs iaceret. Ideò ſequere me, inquit, nẽpe apud quem in maxima quiete non pauca negotia, quæ te lucris lætum afficiant, agitaueris. Si tu publicanus, ego mercator ſum, qui è remotiſſimis cæli regionibus pretioſas gemmas aſſumptæ carnis naui ad humani generis opulentiam nō magno pretio exponendas aduexi. Sequere me, non minùs videlicet corde, quàm pede: illud mihi præbeas, quod abs te longiſſimè remotum vili auro corrumpendum commiſiſti. Nunc idem ad te reuoca: vt facias aurum deſere; immo ipſum te deſerat, cui in neruo captiuus ſeruis. Vt liber omninò ſis, nominum libros diu volutatos otio trade: enimuerò ſi hoc accidat, meliorẽ tui partem (velint, nolint) emancipabunt. Hanc ego cuſtos fidelis aſſeruans, ijs muneribus augebo, quibus maximè onuſtus, non ampliùs Leui, quaſi rerum leuium ſectator, ſed Apoſtolus, nempè ſummi Principis à latere Legatus nuncupaberis. Si diuitias quæris, me, penes quẽ omnia ſunt, nullius vnquā viribus auferenda, citiſſimè ſequaris. Statim vt Chriſtus ſui ſeruitium obtulit, Leui omnia, quæ in terris ſunt, plumis leuiora arbitratus, cum auro nominum libros abiecit, nomen ſuum, immo ſe ipſum, vt omni labe purgatus ſeruaretur, animorum noſtrorum Soteri deuouit. Idcircò pes non valuit à corde viribus robuſtiſſimè affectus, ad illius regulam non componi; immortaleſque ſimul gratias agere, quòd, cum infimum ſe ſe agnoſceret, illuc tamen celſitudinis extolleretur, vt ſacroſancta Chriſti veſtigia, quæ rectam ad cælum viam indicabant, fortunatiſſimus calcaret. Eiuſdem diuinis vocibus ipſius anima aſſenſum nihil cunctantem dilaudat; iteratam forium pulſationem haud expectans, querulas ſponſi voces audire non ſuſtinet: *Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctiũ:* ſed oſtium inſcitia occluſum Chriſto ſapientiæ theſauro recludit. O felicem virum, qui aurum in terris deſpiciens, diuitias in cæleſti ærario Cant. c. 5.

diuina manu coaceruatas,poſt breuem huiuſce vitæ curſum,adepturus ſuſpexit? Illuc anhelans ad Chriſtum Theſaurarium currit, vt in eius fideli obſequio, quicquid opum excogitari poteſt, inueniat. Vocem Domini audiens, profundam theologiam apprehendit,nempè illius vias ab hominum vijs longiſſimè diſtare, eiuſdem verba non eſſe inania,ſed rebus ipſis fœcunda,inexplebiles hominum cupiditates implentia: quemadmodùm Deus non irridetur: ſic ab eo homines non irrideri,ſeruis ſuis vel nihil pollicitum omnia elargiri. Satis eſſe, vt quilibet ab eo vocatus non repugnet: ſi reſpondeat, illicò diuitias ſibi parari,& eas certè, quæ nec amitti poſſunt, nec corrumpi, germanæ beatitudinis, quam ſupra nihil eſt (quoniam in ipſa, ſeu potiùs ipſa Deus eſt) ſtudioſiſſimæ cuſtodes. Matthæus tamen in ea fortuna non exigua laude dignus cenſeatur, quòd Chriſti in pauperis cultu verbis plenam fidem adhibuerit; immo eidem nihil pollicenti,ſe ipſum nullo caſu, licet quàm maximè aduerſo, diuellendum addixerit. At cur pollicitationes quæritaret, ſi res ipſas, immo rerum omnium Architectum, ac Dominum aſpectui ſuo nunquàm eximendum apud ſe habebat? Nouit quippè, Chriſtum eſſe liberalem, quacumq; pergeret, aurum poſt ſe relinquere, opes,ac dignitates affluenter diſpergere. Ex verbis ſequere me, non dubiè cognouit, quicquid in cæli tramite ſpinarum, ac tribulorum aſſurgit, Chriſti, qui totus ignis eſt, veſtigijs comburēdum, Chriſtumque ſequi nihil aliud eſſe, quàm ſumma poteſtate in mortem vti, quàm æternæ beatitudinis pignus poſſidere. In ijs verbis ſequere me, illud intellexit: veluti cum adhuc non eſſes, benignitatis impulſu te hominem creaui: ſic etiam vbi eſſe ceſſaueris, impenſioris vitæ beneficio miſeranter reſtitueris; quinimmo auctoritate à me tradita mortuos ipſos ad Chriſtianæ religionis propugnationem in vitam reuocabis.Promiſſum ſibi diuinitùs excogitatum,exitus ipſe comprobauit: Matthæus enim Ægypto in Euangelij promulgationem peragrata, cum in Æthiopiam deueniſſet, vbi tres ſupra viginti annos verbum dei non

ſine

ſine plurimorum ad Chriſtianæ fidei conuerſionē diſſeminauit, regis Ægippi nomine filiū, poſt dæmoniaca medicaměta, à magis ſine profectu tětata vniuerſo populo ad ipſius regis dolorem collacrymanti, cū maxima Dei gloria, ob fidē à multis ſuſceptā, vitæ reddidit fruitioni. Cum monſtro omnium teterrimo nempè morti, quæ nemini parcit, non fruſtra imperaſſet, cur non debuit duos dracones ab ijſdem magis, vt cunctis timorē incuterent, accitos, crucis figura digitis expreſſa, abſq; vlla hominū offenſá in ſyluas repellere? Omninò, qui Chriſtum ſequitur, illius res geſtas, ſua magnitudine omnium fidem, ſed non veritatem antecellentes, non temerè, nequè inaniter æmulatur. Quæritis, AA. quænam virtus apud Euangeliſtam Matthæū ſupra ceteras enituerit? Fides, reſpondeo. Credidit Chriſto ſui imitationem poſtulanti: poſtulationis rationem, aut mercedem non poſtulauit. Quem homines ad diuinum ſeruitium appellātem audiuit, hunc ipſum non illiberalem, munificum potiùs ſeruorum remuneratorem credidit, illud prorſus futurum animo præſagiens, vt mellitis Chriſti vocibus è feſtiua apud teloniū auri copia abductus, illuc adduceretur, vbi ſummum bonum nullis fortunæ telis ſubiectum retineret. Prudenter ſenſit, ſe, cum ad telonium ſederet, ſui fœneratorem fuiſſe, quoniam animi ſalutem, quam Dei filius propria ſalute, ille vili auro contra æſtimauit. Hinc Dei erga nos beneficentia ſatis clarè innoteſcit: qui non modò res ſuas, ſed etiam ſe ipſum non alio, quàm liberæ apud nos voluntatis pretio, venalem exhibere non indignatur. Illud quoq; ad ſupremū liberalitatis gradū accedit, quòd ſingulis, vnde rectè ament, elargitur: quicquid enim boni voluntas noſtra amplexatur, à primo rerum omnium motore eſt, ſine quo nihil, quod vel vtile, vel honeſtum ſit, volumus; quinimmo velle poſſumus. Iſta voluntas Chriſtianæ fidei propagandæ adeò flagrans refulſit in Eangeliſta Matthæo, vt multa de Verbi incarnatione, non pauca de Sanctorum gloria in concionibus, ſumma eloquentia diſſerendo, ipſum regem Ægippum cum familia vniuerſa ad ſacroſanctum

baptiſmatis fontem illexerit. Plurimùm certè potuit dicendi facundia, ſed multò plus morum ſanctiomnia: nihil enim admonitionis verbo exprimebat, quod nō antea comprobaſſet exemplo. Innumeræ apud illum ſplendeſcebant virtutes: at poſt fidem humilitas eluceſcere viſa eſt, cuius optimo conſilio aras, templa, nec non alios honores diuinos à populo ſibi oblatos (vtpotè qui vni Deo deberentur) reiecit, affirmans, ſe hominem eſſe ab ipſo Deo creatum, vitę dono communi lege aliquādo deſtituendum. Gradus honoris faſtigio proximus eſt laudis meritum: faſtigium verò hanc ipſam, ſi occurrat, aſpernationis aculeo propulſare. Si repellatur (ne decipiaris) repulſam non timet; immo illinc viribus cumulata, plus audet, ipſumq; meritū ſequi concupiſcit, donec perpetuam cum illo ſedem fuerit conſequuta. Illinc nemo prorsùs Matthæum non hominem, ſed Heroem, & Semideum exiſtimet, quippè qui plus, quàm humanis viribus licebat, in ſingulos dies præſentibus ore, & actionibus, abſentibus ſtylo promere non ceſſaret. Illud profectò virtus poteſt, vt omnes in ſui admirationem, amoremque alliciat. Iſtorum numero ſummos viros nequaquàm exceptos opinemini; immo quantò quiſque ingenio, & iudicio præſtat, tātò acriùs virtutis cōſpectu afficitur: quoniam, quæ nobis ſimilia ſunt, non poſſumus eximijs laudibus non extollere, vti nos ipſos non amare. Ecquis, rogo, non amaſſet virum adeò frugalem, ac temperatum, vt carnis perpetuò abſtinens ad neceſſitatem potiùs, quā ad voluptatem quotidiano herbarum alimento vteretur, qui nihil aliud, quàm de animorum ſalute cogitaret, nemini conſilio, & ſtudio non proſpiceret? Populus vniuerſus Matthæum inter varias laudum expreſſiones diligebat, non modò regis iam demortui, quem Ægippum nominauimus, verùm etiam Hirtaci, qui fratri ſucceſſit, exemplum diligentiſſimè ſequutus: is enim regnans, omnia, vel maximi ponderis in Matthæi fidem reijcere conſueuit. Illud Iphigeniæ fratris filiæ hiſtoria memoratu digniſſima atteſtatur. Hæc virgo fuit non minori corporis, & animi pulchritudine, quàm

quàm natalium ſplendore condecorata. Cum rex illam perditè amaret, eximijs dotibus, quæ in eius facie omnium oculis præfulgebant, captus, ſponſam ambibat: ipſa verò, virginitate Deo dicata, pluris ſuam, quàm regis cupiditatem faciendam iudicauit. Is nuptiarum auidiſſimus Matthæo internuntio vti voluit, cuius ſuaſu Iphigenia patrui matrimonio aſſentiret. Apoſtolus mandatum excipit, in Eccleſia, quò multæ virgines conuenerant, concionem habens, non nulla de matrimonij vtilitate, ac neceſſitate non minùs doctè, quàm eloquenter, & eleganter ediſſerit. Iſtud humanæ generationis columen appellat: ſi abſit, totius orbis interitum adeſſe, quicquid in ipſo venuſtatis, quicquid delicij ſit, ſine hominibus, aut nihil eſſe, aut omninò vileſcere acutiſſimis rationibus demonſtrat. Peroratio illud habuit, quàm graui ſupplicio ſe obſtringant adulteri, qui alienum thalamum contra iuſtitiam violare non verentur. Dehinc ad Hirtacum regem conuerſus: Caue, rex, caue, dictum meum coronam tuam attingit: huic (ſi ſapias) conſule, ſi rectè ſentis, diù illam tuere; vt poſſis, Iphigeniæ, quam affectas, matrimonio abſtine. Quæ Deo deſponſata eſt, hominem non admittit. Tu iſtam inſaniam mitte, iracundiam cæli à te prohibe. Poſt hæc cum Iphigenia alias quinque virgines ſacro velo perpetuæ virginitatis indicio decorauit: indeque Moniales, quæ militantem Eccleſiam fœcundant, exordium ſumpſerunt. Ecquis hoc loco mente non concipiat, effrænem regis animum inopinata Matthæi oratione exagitatum? Inſanit, furit, ab Eccleſia æque velox, atque iratus exiens conuicia minis intermixta in Apoſtolum iactat, eòq; feruentiùs, & frequentiùs, quòd ipſe ſua opinione deceptus, flagrantiori amoris igne cor ſibi cremari ſentit, quicquid ſatis deſiderio ſuo faciendi ſpes fuit, omninò abijcit. Puella viribus animi firmata, & ob id in conſilio capto conſtantiſſima, ab iniquo rege nuptias exoptante nihil timet, ſed potiùs à Regum omnium Domino, ſi quauis de cauſa illi fidem frangat, virginitatem olim deuotam corrumpat. Hanc virtutem, quæ ceteras antecellit, ſapienter re-

co-

Digitized by Google

cogitans, Angelorum ſororem, victoriam libidinum, bonorum omnium poſſeſſionem appellat. In laudabili cogitatione viribus reſumptis, Matthæum adit, ad ipſius genua procumbens, poſtulat, vt conſilium non ſine diuino conſilio à ſe captum fouere non dedignetur. Apud eum tanquàm in aſylo tutiſſimo eſſe firmiter credit, vnde nullo, vel fortiſſimo conatu abſtrahatur, votum Deo conceptum ſe minimè fracturam pollicetur. O voluntatis conſtantiam felici fato, Deo ſcilicet fauente, ſolidatam! Qualis, qualis fuerit capitis amictus, re vera fuit ſalutis galea, quam Tharſenſis Doctor ſingulis induendam, Deo ſtrenuè inſeruituris proponit. Hac ipſa virgo Iphigenia caput tegens, cetera corporis membra, animumque in vadum ſalutis appellit ſummo Creatori ſuo, vt perpetuò incorruptum aſſeruaret, fideliter oblatum. Apoſtolus benignè excipit columbam; quæ, vt accipitris vngues euitaret, in eius patrocinij maceriam ſe recepit. Iſtam verbis amãtiſſimis ſolatur, animum ne deſpondeat, vtpotè illa, quæ Chriſto ſe matrimonio coniungit, illinc vires, quibus tyranno reſiſtat, profecturas pro certo habeat. Illud conſilij Deo eſſe infirma, imbecillaque eligendi, vt robuſtiſsima quæque confundat. Eius auxilium non ſine ſilentio expectandum: quæ ſunt pretioſa, non poſſe, niſi inter anguſtias à furibus, aut prædonibus totas cuſtodiri. Qui optimam mentem elargitus eſt, conſtantiam ſe daturum promittit: virginitatem Chriſto dicatam non eſſe ampliùs Iphigeniæ. Si Chriſtus hanc ipſam, quamdiù alterius fuit, ſtudioſiſſimè tueri haud neglexit, illud fore non credat, vt eandem, quæ in illius poſſeſſionem commigrauit, non multò ſtudioſiùs tueatur: quoniam ſicut Dei erga nos liberalitas nullis terminis adſtringitur; ità; ſi quid à nobis in eius obſequium egreditur, illius æſtimatio verè apud ipſum nullis terminis continetur. In clauſtrum receptionem animo ingerens, muros fore æneos prædicit: illud Chriſti ouium caulam eſſe luporum voracitati nõ ſubiectam, eodem non mercenario, ſed Paſtore, qui, vt ouibus parceret, proprio ſanguine non pepercit. Interim ex more ſacra

fa-

faciens, populum, ſed præcipuè ſacras virgines omnium verò maximè Iphigeniam Deo feruentiſſimè cõmendat. His peractis, improbiſſimi regis iracundiam, denegato cum Iphigenia matrimonio, acerrimam experitur. Enimuerò eiuſdem iuſſu miles Eccleſiam ingreditur, qui euaginato enſe Matthæum percutiens, enecat. O ferinam mentem! O manum ſacrilegam! quæ non hominem, non tempus, non locum reſpicit, vt Hirtaci deſiderio verè dæmoniaco obſequatur! Non hominem cunctis ſcilicet animi dotibus ſupra ceteros excultum, omnium ſanctiſſimum, ipſius Chriſti ore ad legationem appellatum, & calamo, & lingua facundiſſimum, qui Ægypti, ac Æthiopiæ prouincias orci faucibus addictas illinc reuocauit; & per Euangelium à ſe in Iudæa ſcriptum, & à Barnaba perlatum, varia morborum genera ſolo contactu ab hominibus detruſit. Non tempus, nempè paulò poſt ſacrorum actionem; inter quæ Matthæus auguſtiſſimum Chriſti corpus parùm antea confectum pro ſalutari animæ cibo ſumpſerat. Non locum, Eccleſiam ſcilicet, vnde ſacerdotum preces pro omnibus in cælum conſcendunt. Potuit Deus ſceleſtiſſimi lictoris ictum prohibere, ſed noluit: maluit coronæ coronam addere, & Apoſtolatus dignitatem martyrij gloria cumulare; cum enim dixiſſet Matthæo ſequere me, illum ſequutus eſt non modò pede, ac mente (quod ſupra indicaui) ſed etiam in multis rebus vitam amittendi ratione. Chriſtum Iudæi poſt illius de ſe ipſo in ara crucis æterno Patri oblationem inter ea verba: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, Matthæum poſt ſacrificium in ſacrorum celebratione oblatum ethnici interemerunt. Chriſtus Eccleſiæ caput, vt hanc ipſam conſtrueret, Matthæus eiuſdẽ miniſter pro illa occumbere nõ dubitauit. Chriſtus plurimorum conuerſionem ſibi obituro præmiſit: Matthæus nõ paucos ad Catholicæ religionis normam informauit. Chriſtus à Iudæorum ſynagoga multas irriſiones, & ſcõmata, Matthæus ab Hirtacho rege non exigua conuicia ſuſtinuit. Chriſtus Caluariæ iter aggreſſus, proprijs humeris crucem baiulauit: Matthæus poſt

Luc. c. 22.

ſui

ſui abnegationem à calamitatibus,& anguſtijs non abfuit. Chriſtus Euangelicam legem & verbo,& exemplo edixit: Matthæus hanc ipſam vtroque modo in Ægypto, ac Ætiopia promulgauit. Chriſto igitur, à quo vocatus fuerat, obſequium vndique abſolutum præſtitit, eidemque ſuimet appellatori mente, ac opere fortiſſimus adhærens, nulla profectò occaſione retroſpexit. Aurum, quod reliquerat, non quæſiuit, iſtudq; non auaritiam eſſe, ſed auaritiam ex eodem cognoſci poſt fortunatas Magiſtri voces intellexit. Ideò non aurum modò, verùm etiam quicquid de illo cogitationum, aut curarum fuit, æternæ obliuioni cum magno fœnoræ commiſit. Matthæo igitur licuit poſt relictum telonium fœnerari? Licuit certè pro auro ferrum recipere. O fænus, obijcitis, infeliciſſimum! O fœnus fœno longè quidem exilius! Ferrum illud non ferrum perpetuò fuit ſacroſancto Matthæi cruore oblinitum: auri obrizi aliquando naturam induit, cuius pretio Chriſti Athleta in regni cæleſtis poſſeſſionem introiuit. Obijt à ſceleſtiſſimo rege Matthæus, huius vitæ calamitatibus in delicias felici ſorte commutatis. Cum Euangeliſta ad meliorem vitam commigraret, altera manu ferrum, haſtam altera geſtabat. Ferro ſentes, & ſpinas, vnde iter ſcrupoſum, deruncauit, haſtæ innixus itineris laborem nihil omninò ſenſit. Quocircà voti compos factus, viæ ſpatio proſperè perfunctus, haſtato gladio oculis noſtris religioſa pictorũ arte obijcitur, quippè qui hæc ipſa ſecum haberet nõ ſecus, ac adeptæ victoriæ inſtrumenta. Obijt, inquam, à tyranno Matthæus: ſed non abijt à Deo culparum vindice iuſtiſſimo, pœnæ iniquo regi debitæ memoria. Serum à peccatoribus ſupplicium (quoniam in miſerationem magis, quã in ſæuitiam propendet) repoſcere cõſueuit: at quantũ pro huiuſmodi cunctatione ſoluendum? Non citò iuſtitiæ gladium denudans, grauiùs ferit, vt vulnera nullum prorsùs inueniant medicamentum. Huiuſce veritatis teſtem Hirtacum ipſum appello. Voluit populus in illum turbam concitare, nõ multùm ab illius nece alienus, iamque concitationem erat aggreſſurus, ſanctiſsimi

viri,

viri, quem nemo non verebatur, ac reuerebatur, per ferrum à ſe perpetuæ abalienationis impatientia concitatus: ſed Apoſtoli vindictam in Deum reijciendam aſſerentis conſilium capti à populo exitum retardauit. Debuit iſtud non vulgare beneficium, inſanam regis mentem non nihil retinere: ſed potiùs illi habenas relaxauit, vt ſingulis diebus in peius delaberetur. Amor, atque odium grauiora ſcelera in regis pectore nihil regio tyrannicè imperabant. Ille Iphigeniam, iſtud Matthæum vehementiſſimè optabat: Odium in Euangeliſtam per illius vulnera gurgitatim euomit: ſolus amor poſt Matthæi mortem reliquus fuit, ipſius odij ſede occupata, vt grauiùs, & immaniùs imperaret. Ipſius ſuaſu primarias ciuitatis mulieres rogat, vt Iphigeniæ nuptias ſuadeant, vnde regno à ſucceſſoribus ſuppetant fulcimenta: enim verò priuatis etiam hominibus iucundum eſt filios gignere, perpetuum ſibi, atque familiæ monumentum. Singulæ matronæ à fœcundiſſimis apud Iphigeniam precibus non deſiſtunt, vt nuptias à rege oblatas non reijciat, ni faſtum, ac ſuperbiam velit indicare. Dementiam eſſe virginitatis gradum regiæ maieſtati anteferre: quæ meliora ſunt, quæ magis conducibilia, prudenter eligenda. In clauſtro ſeruitium aulæ imperio nullius opinione præoptandum: tempus aliquandò adfuturum, vt ſpreti cum rege matrimonij inutilis pœnitentia eueniat. Huiuſmodi voces Iphigenia auribus, non animo admiſit, niſi vt cogitaret, eas eſſe inanes, & ideò nihili faciendas. Altè inſidebat menti Euangeliſtæ de virginitate aſſeruanda promiſſum: illud ſibimet loquaci ſilentio adijciens, virgini cum Deo matrimonium concedi, viro coniunctæ virginitatem deperire. Sibi nuptias non repudianti regnum proponi, virginitatis ſeruatrici imperium promitti. Si hæc inuicem conferantur, illud eſſe imbecillum, fragile, ſexcentis fortunæ telis ſubiectum: iſtud verò ſtabile, firmum, inconcuſſum, æternum. Hinc Iphigenia in ſexus infirmitate mentem inconcuſſam, in ætate immatura maturum conſilium oſtendit, fœminarum opinionem, tanquàm ſibi maximè incommodam aſpernata.

Non poteſt rex firmatam animi virtutem non admirari in puella, quæ potiùs inter comminationes vincit, quàm multis pollicitis deuincatur. Admiratus dolet, deſiderio ſuo nihil prodeſſe, ſed conatus omnes corruere. Quicquid igitur amoris erga Iphigeniã in pectore enutriuit, in odium conuertens, vellet iſtud euomere omnium oculis aſpiciendum. Vt clariùs appareat, ignem iratiſſimus parat, quo clauſtrum, vbi Iphigenia cũ alijs virginibus Angelicam vitam traducebat, comburatur. Exardeſcit flamma, ſed non vrit, ipſius Euangeliſtæ manu, nemine per aerem inter ciues non aſpiciente, conſopita, ſeu veriùs, extincta. Ecquid cogitas, ò Hirtace? Quem ferro in communem locum tranſmiſiſti, huc vires ſuas robuſtiſſimas tranſmiſit tuis quibuſcunq; conatibus obſtaculum allaturas. Sacratiſſimus Matthæi ſanguis, per vulnera iuſſu tuo inflicta, effuſus potuit, quicquid incendij fuit, miris quidem modis diluere. Iſte ignis mente dæmonum cauernas petit, vt illis te capiat in temporum æternitatem comburendum; quippè qui in Chriſti famulos, & ancillas barbarè ſæuiens, omni humanitate exuta, carnificinam exerces. Sicuti Deus miſerantiſſimè agendo, tui conuerſionem longè ſupra meritum expectauit: tu æqualiter illius iuſtitiæ fructum ineuitabilem expecta. Matthæi ſanguis, quem lupina rabie, inuito populo, ſitibundus ebibiſti, ad ineuitabile tribunal Dei aduerſus te elatis vocibus clamat, atque ignis, quem in ædes virginum nequiter immiſiſti, à diuina iracundia tui ſupplicio inardeſcit. Ferrũ, vnde à te Chriſti Apoſtolus occidit, nulla erugo abroſit: quinimmò adhuc profectò viuit, mucrone nihil retuſo. Flammæ, quas Euangeliſta, virginum mœnibus (ne quid obeſſent) longiſſimè remouit, vt quicquid apud te culparum eſt, omnium oculis patefiat, adhuc igneſcunt, tuque circa præcordia ſanguine accenſo in te ipſum ſæuiens, tui ipſius carnifex euadas. Prodigia nihil prorſus temeraria in medium affero: nec fruſtra conijcit animus, quæ cruciamenta tyrannum crudeliſſimum præſtolentur, cuius conuerſionem diuina clementia concupiuit, illius qualicumque non breui

tem-

Digitized by Google

tempore fuerint, criminibus ad liberalem condonationem diſſimulatis. Mens diuina pugnantes miſericordiã habet, ac iuſtitiã, quarum altera cunctis viribus alteram conatur ſuperare. Sæpius eminet miſericordia : ſed poſteaquàm diu regnauit, tandem aliquando iuſtitiæ cedit, quicquid iuris ſui amiſit, fœneratò reſarcituræ. Huiuſmodi fœnoris Hirtacus periculum fecit, cuius memoriam nulla temporis longitudo obliterabit: tanta enim lepra correptus eſt, vt in regio corpore ne humanum quidem corpus aſpiceretur. Inde contabuit caro, ſed multò magis ſpiritus; qui ſuas nefarias vires in corpus adeò acriter exuſcitauit, vt Hirtacus impatiens, ſe ipſum gladio confoderit, cuius imperio Matthæus vir innocentiſſimus pro Dei gloria fuerat cõfoſſus. En diuinæ iuſtitiæ vindicta: qui Chriſti diſcipulum necari iuſſit, ipſemet ſe infeliciſſimus interemit. Illuc fortaſſe mentem impulit demens, futurum, vt duplex in Euangeliſtam, atq; virgines Chriſti ſacrilegium ſui nece expiaretur. At falſus eſt rex omnium certè dementiſſimus; tantùm enim abeſt, vt ſacrilegiorum culpam violentis manibus allatis diluerit, vt potiùs aliam admiſerit ſemet mortis pœna digniſſimum occidendo. Priuſquã oratio mea occidat, AA. non poſſum iudicij lance, quanuis imbecilla, rerum humanarum imbecillitatem, aut neceſſariam viciſſitudinem attento animo non trutinare. Obiectus eſt nobis Hirtacus regni maieſtate non parùm elatus in Euangeliſtam Matthæum vſque ad ferrum, in Iphigeniam, & eius ſocias vſque ad ignem iracundus. Alterius furoris exitum Dei miſeratio non tolerauit, quæ illius diſcipulum glorioſo martyrio illuſtrem fecit. Nunc antè oculos nobis obuerſatur. Matthæus cæleſti regno feliciter potitus: Hirtacus verò regis inferorum non ſine graui miſeria captiuus: quodq; hanc ipſam adauget, priſtinæ libertatis loco, nullo tempore, reſtituendus. O lubricum regni faſtigium! O culpæ fructũ ipſius culpæ cultoribus amarum! O libidinis telum hominis animo acutiſſimũ! Nõ temere quidem Poetæ Martem cum Venere coniungunt, nempè vt libidinis comitem

ferociam oſtendant. Hirtacus perditè Iphigeniam concupiuit, voti expers factus, tam arctè amplexus eſt atrocitatem, vt virum ſanctiſſimum bicipiti dignitate, Apoſtolica nimirum, & Euangelica decoratum enecarit. Mente nefaria imbutus cogitauit vtrumq; honorem Matthæo auferre: at non abſtulit, tertium potiùs, ſcilicet martyrium, adiunxit. Tyrannus, licet totum aliud animo volutaret, attamen fuit in cauſa, cur ille ad Chriſti veſtigia vocatus, in vita, & poſt mortem eadem ſequeretur. O rerum viciſſitudinem oneroſam, & ingratam! Fortuna Hirtacum Æthiopiæ regno olim fouens, clarificauit: nunc verò idem apud inferos ignito ſeruitio clarificatur. Dum regnaret, ferrum iniquus iuſſor in Matthæum ſtrinxit: nunc crudeliſſimè iuſſus ferreis catenis adſtringitur. In præſenti vita ignem in virginum clauſtra, iniquè parauit: in altera ab ipſarum virginum hoſtibus ipſe perpetuis flammis materia paratus obijcitur. Ne quis noſtrum Hirtaci fortunam experiatur, aut inter mortales diù vexatus apud immortales perpetuò crucietur, Matthæi exexplum non modò ad venerationem, ſed etiam ad imitationẽ ſibi proponat. Si culparum pondere oppreſſus ſedet, quia ſtare nequit, à Domino vocatus, incunctãter ſurgẽs, ſequatur. Poſt ſuimet caſum vocanti, & manum porrigenti non repugnet: de ipſius clementia, ac benignitate ne deſperet; immo quantò grauiùs, ac frequentiùs peccauit, tantò alacriùs ſperet. Quæ Dei miſeratio magna eſt, non niſi magna culparum condonatione innoteſcit. Inde acceſſio fit illius gloriæ, vnde per miſerationẽ peccatorum receſſio fit à culpa. Idcircò Deus tantò plus gloriæ maieſtati ſuæ addidit, quantò plura crimina Matthæo condonauit. Quidquid indulgentiæ publicano conceſſit, nulli noſtrum, licet ſceleris faſtigium attingenti denegabit, dummodò cum Matthæo ſedens ad Chriſti voces, qui cordis oſtium pulſare non deſiſtit, ſurgens, illum ſequatur, vt poſt huius vitæ curſum tandem aliquandò brauium, æternam ſcilicet beatitudinem, conſequatur.

S. Fe-

S. Petronius benigniſsimus Bononiæ Paſtor, & Patronus.

ORATIO XIX.

SI gentilitiam nobilitatem, cuius munere communem genitricem naturam non exigua hominum copia liberalem experitur, micantiſſimi virtutis radij attingant, tantum illi ſplendoris afferunt additamenti, vt oratores linguas, & calamos in ipſius commendationem (quoniam nihil aſſentatoriam) libentiſſimi exerceant: dum multò plus dando accipiunt, quàm tribuunt, in alios collatis laudibus illuſtrati. Huiuſmodi nobilitatem mens apud me venerabunda contemplatrix expendit in Petronio Bononienſium olim Epiſcopo, nunc benigniſſimo Patrono, illud non perplexabilis fiduciæ nutriens, fore, vt lingua Moyſis virgam, quo decet cultu, humiliter imitata, hanc petram percutiendo, encomiorum fontem eliciat defœcata meritorum ſcaturigine perennem. Hæc ipſa meridiana luce clariùs incipient innoſcere, ſi ego narrationis ordine (veluti neceſſitas poſtulat, vt ab oratione confuſio ablegetur) ſeruato, ſanctiſſimi viri patris Conſtantinopolitani patricij nomine Petronij ex inclyta progenie oriundi non minùs decoram, quàm iucundam memoriam vſurpauero. Eundem geminata virtute cognitionis, & actionis, quæ prefectionem habet, ornatum, Imperator Theodoſius aliqua ſupra ceteros actoritate dignum exiſtimans, prætoriæ cohorti præfecit, non temerè opinatus, ab eo, qui toga, & ſago clarus agnoſcebatur, illa non mediocriter muniendam, atque iſto æqualiter ornandam: vtrinq; enim eòuſq; ſplendeſcebat, vt nemo in laudem illius non frequenter vſurparet: vtroq; Petronius, ſibi videlicet petræ inſtar conſtantia ſemper ſimillimus. Neque iſtud, quicquid fuerat, expreſſionis, eius virtutum opulentiam ſuperabat: quoniam curia licet

præ-

præſtantiſſimis viris referta: attamen iſti nihil impenſiùs curabant, quã vt oculos in ipſum conijcerent, in quo optimæ litterarum, armorumq; agitationis exemplar obſeruarent, ſtudioſa, & conducibili æmulatione effingendum; illinc enim Principis maieſtas videtur augeſcere, ſi apud aulicos, vitiorum ſentibus amotis, virtutum ſemina in fructiferas arbores coaleſcant. Præfectura Petronij parens adeò laudabiliter fungebatur, vt, quantum ab illa honoris accipiebat (ne vlla ingrati animi nota inuri poſſet) tantundem, aut etiam aliquid ſupra, referre conſueſceret. Quid igitur mirum, ſi apud Imperatorem gratia longè ſupra ceteros pollere videbatur? illius nanq; comitas, & humilitas cum ſumma eruditione, & experientia negotiorum coniunctæ effecerunt, vt idem eſſet potiùs, quàm ad pompam inanem videretur. Tunc ſe multò clariùs, quàm antea hominem agnouit, filio feliciſſimis auſpicijs ſuſcepto, qui genitorem nomine, animi celſitudine, optimarum artium ad amuſſim referret; quoniã cunctis partibus generauit ſimilem ſibi. Iſta generatio in Petronio adhuc puero tot, tantaquè indicia præbuit virilitatis, vt ciues ipſius ſanctitatem, quæ annorum beneficio augebatur, venerando, inuicem decertarent, eaq; indeficiens æmulatio natalitiæ nobilitati, vt in pretio eſſet, plurimum conferebat, cum nihil penitùs diſpar incrementum acciperet ab illius de ſe ipſo opinione nunquàm turgida, ſed veriùs maximè demiſſa: quantò enim magis modeſtiæ impulſu deorſum propendebat, tantò ſublimiùs meriti adeptione ante omnium oculos extollebatur. Et ſi ne latum quidem vnguem à veritate abeſt ea ſententia ipſius Veritatis ore prolata, ſpiritum requieſcere ſuper humilem, hinc Petronius, cum eiuſdem ductu nunquàm obliquo, ſed recto ſemper tramite, rerum omnium auſpicia ab orationibus ducenda non ignoraret, nihil quanuis non magni ponderis aggredi ſolebat, niſi priùs Eccleſiam ingrederetur, ibiq; humani conſilij nullo tempore indigus, Deum duntaxat conſulendo, cuilibet rei agendæ ſuppetias imploraret. Hinc morum innocentia grallatorios gradus contollebat: hinc Chriſtiana

reli-

religio quotidie magis inardeſcens, Petronij animum in Monachorum beneuolentiam inflammauit; quorum tunc temporis maximè florente diſciplina, Ægyptiaca ſolitudo olim inculta, ſcruposa, & inacceſſa in amœniſſimas paradiſi delicias commigrauit. Et cum multa ab ijſdem Anachoretis pietatem redolentia exerceri audiuiſſet, iſtud inſtituto ſuo non ſatis arbitratus, eadem loca viſendi conſilium cepit. Quot retinacula, quot laqueos ab humani generis hoſte inuidiſſimo (vt aliam ſententiam indueret) illi obiectos, quot ciuitatis ſpectra ideæ ingeſta, vt captam deliberationem dimitteret, opinemur? Sed vir Dei oblatas ſibi imagines diluendo, iniquiſsimum aduerſarium ludos fecit, luxum deſerens, tanquàm animi exitium, quoniam corpori laſciuienti conſentaneum deſerens, quæ palato inſipida viderentur, quæque amara, hilari vultu amplexatus, optatam ſalutem allatura. Recogitauit, quæ dulcia ſunt, bilim generare non facilè abſtergendā, vnde mortis animæ imminentis præludium, qui rectè ſentit, ac ſapit, non mendax coniectat. Ideò ciuicas turbas ſecum ipſe tacitus reprehendit, quæ vrbes omni bono orbatas reddunt, deſertas ſolitudines faciunt, ſerpentibus, peccatis ſcilicet, opulentam. A Conſtantinopolitanæ ciuitatis terrenæ receſſu non modò nihil damni, ſed lucri plurimum ſe feciſſe perſentit, cæleſti Ieruſalem, in eremo, inuenta, quam duriſsimi Monachorum lapides diuini Architecti ope mirifica conſtruxerunt, ſerra patientiæ ſecti, ieiunij malleo contuſi, vigilantiæ ſcalpro expoliti. Ciuitatis portæ pretioſis gemmis, optimis, inquam, operibus enitentes inaudito oculorum gaudio, quod validos æmulationis ſtimulos contrahit, aſpiciuntur. Ibi antrum ingreſſus, cuius vmbras non Apollinis, ſed diuinæ gratiæ radij illuſtrabant, totus eidem addictus, vt altera etiam ſui pars, licet mortalis, immortalitatem opportuno tempore aſſequeretur, Angelica ſocietate pro ſempiternæ gloriæ arrha feliciſsimus fruebatur. Et quoniam ſingula Anachoretarum inſtituta à ſingulorum colloquio apprehendit, in patriam reuerſus, illorum vitas piè litterarum monumentis commendauit,

uit, vt ijdem ſummoperè commendantes,tanquàm regulas,vnde optimi inſtituti ſui ratio conſtaret, non ſine multarum gratiarum actione receperint, ac inde Petronium, quem profunda humilitas diſcipulum fecerat, iſtius virtutis inter omnes primariæ meritum ad magiſtri gradū euexerit. Ægyptiacæ ſolitudinis ſtudioſa perluſtratio auarum Ieroſolymitanæ peregrinationis deſiderium ingeſſit, vt ſacra loca, & humanæ redemptionis notæ ſacratiſſimis Chriſti pedibus ſanctificatæ, quæ per aures animum non mediocriter oblectarunt, eidem per oculos cumulatiùs ſatisfacerent. Cum igitur huic negotio inceſſanti cura defixus, cuiuslibet etiam breuiſſimæ dilationis impatiens, ſe ad eam vrbē expedito itinere contuliſſet, ante omnia Chriſti ſepulchrum, in quo mors noſtra illius nece fuerat extincta, eſt veneratus. Sepulchrum illud verè pulchrum, immo cæli pulchritudine pulchrius (quia ipſius cæli Conditorem clauſerat) non ſemel appellauit. Vtinam, inquit, hic meas culpas liceat condere, ſeu potiùs in æuum ſempiternum (ne vſquàm, & vnquam aſpiciantur) ſepelire. Vtinam ex corde ſcaturientes lachrymæ, aceti naturam induant, illud nō carneum, ſed lapideum ad peccati deteſtationem confracturæ. Cur non citiùs, non velociùs huc acceſſi, vt ſeriùs, & non tanta mœſtitia cumulatus recederem? Cur hic ex ſingulari gratia, quanuis meritorum meorum parcitatem longè ſupra, vltimam vitæ lineam non aſpicio, vnde animorum noſtrorum Soteris humanitas reſurgens, immortalitatis ſumpſit exordium? Felix linteamen, felix ſudarium, quæ illius reſurrectionem non imaginariam, ſed veram ſilentio facundiore, quàm verbo aſſeueraſtis. Fortunatum cetum, cuius aluo per triduum myſtico Ionæ Chriſto carcerem non minùs libuit, quàm licuit exhibere. Poſt cetera loca argenteo integritatis curru vectus, perluſtrando, vt memoriæ altiùs inhererent, quicquid eorum ſitum, ac rationem reſpiceret, ſtylo haud incurioſo ſuæ, aliorumq; vtilitati notandum iudicauit. Iſta non frequenter audita Imperatoris animum tam vehementer affecerunt, vt in illius beneuolentiam non vulgari-

ter

ter propenſus, haud minori auctoritate, quàm patrem in rebus agendis dexterrimum impertiuerit. Nō obſcurum huiuſce veritatis indicium ex ijs, quæ dixero, conijciatur. Inter negotia politica, quæ totum principis animum requirunt, primum locum occupat cauſa religionis, cuius mutatio, aut etiam ſimplex corruptio ipſum principatum poteſt corrumpere, adijcio, interimere: quemadmodùm enim, deſtructo fundamento, moles non valet conſiſtere: non ſecus quidem principatus religione deſertus, in manifeſtum interitus diſcrimen adducitur. Hoc malum omnium maximum optare videbatur Cōſtantinopolis Epiſcopus Neſtorius nomine, per catholicæ fidei violationem, peruerſum dogma ouium ſuarum auribus inculcando. Et quoniam optimus, ac ſapientiſſimus Imperator Theodoſius optimè callebat principijs obſtandum, ne morbi ſerpentes, feram medicinam inueniant, vt huic contagio omnia facillimè infecturo, opportunè occurreret, ſummum Pontificem conſulendum opinatus, legationem Petronio viro ſibi probatiſsimo demandauit. En illius meritorum apud patriam, quin apud Chriſtianorum Rempublicam vniuerſam præludia certè non exigua: en diuinæ prouidentiæ cuilibet ingenio, vel acutiſſimo, iudicioq; maximè maturo imperſcrutabilis, indicia nequaquàm occulta. Petronius Romam ad Pontificem Cæleſtinum ſe contulit, quo tempore Bononiēſes pariter legatos miſerant, qui Felicis eorum Epiſcopi è viuis ſublati ſucceſſorem precibus flagitarent. Hinc eiuſdem prouidētię ſplendorem agnoſcimus: hinc de ipſa, veritati conſentaneum exitu ipſo comprobatum experimur, non minùs fortiter, quàm ſuauiter omnia diſponere. Quid, obſecro, fortius petra? & tamen Petronium petram virtutum aceruo maximè ponderoſam ex ciuitate Conſtantinopoli, veluti quiduis aliud agens, ad ſeptem collium vrbem aſportauit, & per ſomnium, quo nihil ſuauius, quaſi angularem in Eccleſiaſtico Bononienſium ædificio collocauit. Iſtud ab omnipotenti Deo factum quis, niſi ſtultus, aut inſcius in dubitationem adducat? Ille Petri Apoſtolorum Principis mi-

miſterio Cæleſtinum, qui vicariam inter mortales operam ſibi præſtabat, dormientem eſt alloquutus, vt Petronium, Felice Epiſcopo demortuo, idoneum eligeret ſucceſſorem: vnde Bononia honeſtæ ſimul, ac modeſtæ poſtulationis felicem exitum (quod mox contigit) ſortiretur. De Neſtoriana hæreſi, ne cum magno catholicæ fidei detrimento ſerperet, Pontifex Imperatori deferendum priuatim Petronio aperit, ſe œcumenicum concilium ex conſueto more edicturum, ad cuius ſequenti anno Epheſi celebrationem ducenti Epiſcopi conuenerunt. Poſt reſponſionem diuinæ in ſomnis ſibi declaratæ voluntati reſponſuram, Petronium Bononiæ Epiſcopum declarat. Is verò quò magis cuilibet honori meritorum faſtigio proximus, eò magis, humilitate conſiliaria, deſiderio alienus, quod grauiſſimum nouerat, onus recuſat, nō ſine alto myſterio ſacram ſcripturam de Chriſti tranſfiguratione, aut in cælum aſcenſione loquentem, paſsiuas voces adhibere, nempè transfiguratus, aſſumptus, eleuatus eſt: vt admoneat, nemini ad honores, & dignitates currendum, ſed iuſſionem (vt humilitas digniorem faciat) quodammodò expectandam. Verùm, quoniam iſta, qualiſcumq; eſt virtus, obedientia potiſſimùm enutritur, Petronius Pontificis imperio (vtpotè qui honorem non ſibi aſſumeret) ſed tanquàm Aaron vocatus, Pontifici aſſentiendum exiſtimauit. Itaq; illius contra Neſtorium, reſponſione Theodoſio per litteras reſerata, cum legatis Bononiam accedentem admiranda populi omnium ætatum, conditionumquè ex animo gratulantium multitudo excepit. Nunc politicorum doctrinæ orationis meæ curſus interpellatrici, vt cauſam interroget, quàmobrem Petronius Conſtantinopolim legationis complemento non redierit, hoc reſponſum non reticeo, geminam ei legationem demandatam, alteram ab Imperatore temporariam Neſtorij negotium, perpetuam verò alteram epiſcopale munus reſpicientem à Pontifice. Priori per litteras facillimè ſatisfieri potuit, poſterior præſentiam neceſſariò requirebat, vnde oues famelicæ paſcerentur. Inſuper Epiſcopi nomen

apud

apud veteres latiori ſignificatione fuit receptum, quàm noſtris temporibus vſurpatur: indeq; Homerus Hectorem ſuum, Epiſcopum nominat, quòd eſſet præcipuus Troiæ inſpector, & propugnator, eiuſquè curam gereret. Fuit etiam Magiſtratus Atticus dictus Epiſcopus, Prætor videlicet, qui mitti ſolebat in ciuitates Athenienſium imperio ſubiectas. Verùm enimuerò ecquis, niſi præſens, inſpiciat, propugnet, curet, atq; adminiſtret? Ecquis abſens malis imminentibus occurrat? Num vera loquar, Moyſen teſtem appello, qui Iſraelitici populi ductor, cum in montis faſtigio contemplationi addictus, illius cauſam apud Deum tueretur, deſcendes eum idololatriæ vidit mancipatum. Non tam mox Petronius munus epiſcopale ſibi adiunctum adiuit, quàm mox Arianæ hęreſis nondùm penitùs extinctę internecioni, quaſi alter Hercules hydræ, animum, manumq; admouit, quo tempore à tyrannica feritate, quæ in Italiam audaciſſimè irruperat, multæ Eccleſiæ adeò infeliciter corruerunt, vt eorum lapides inter Bononienſium ciuium lacrymas commiſerationis incendio calidiſſimas natarent; quæ nouum Epiſcopum domus Dei zelo accenſum vehementiùs inflammarunt, vt ad doctrinam, & ſanctitatem ciuitate informata, catholicam fidem Ariana peſte infectam purgare, collapſas Eccleſias reſtituere, nouaſq; erigere ne recuſaret. Non poſſum hoc loco morarum aliquid non contrahere, vbi geminæ virtutes in Petronio celeberrimæ adamãtino laqueo inuicem connexæ, ideoquè diuiſionis neſciæ mihi offeruntur diligenter ponderandæ, quarum altera alterius auxilio alleuanda, vtraq; coniũctim paſtoralis officij ſimilitudine lucis, ac ſalis, enodatrix profectò ſcitiſſima: illa nanq; bonorum operum exempli, iſtud ſapientiæ prębet hieroglyphicum; vnde Chriſtus Apoſtolis, *Vos eſtis ſal terræ: vos eſtis lux mundi*. Et quemadmodùm ſal ordine præcedit, non ſecus in Pręſule noſtro pręibat virtutum exercitatio, veluti apud ſolertem imitatorem galli, qui ſingulis diebus, albeſcente aurora, operarios ad laborem excitaturus, antequàm voces emittat, alas excutit, ſeq; ipſum feriens, vigilantio- *Matt. c. 5.*

rem reddit: vnde Eccleſiæ Præſules commonentur, vt ante doctrinam ſubditis impertiendam, ſe optimis operibus ad exemplum æmulatione dignum agitare ne deſiſtant. Verùm ad nouas Eccleſias, quas Petronius ædificandas curauit, me conferens, illas dedita opera omitto, quas Bartholomæo Apoſtolo, Ioanni, & Marco Euangeliſtis, Fabiano, & Sebaſtiano Martyribus, Martino, & Barbatiano Confeſſoribus, Agathæ, & Luciæ Martyribus, Virginibuſq; dicauit, vt ipſis vniuerſa Sanctorum curia quodammodò includeretur, iiſdem nemini non piè oranti recludendis, atquè vnicam Stephano Protomartyri ſacram contemplationi veſtræ obijcio, vt ibi multa Ieroſolymorum loca, in quibus Chriſto grauiora tormenta libuit ſuſtinere, ab ipſo Petronio, qui præſens omnia veneratus fuerat, expreſſa conſpiciatis. Et quamuis hæc ipſa Eccleſiam anguſtam ob populi venerantis frequentiam reddant, ſanctarum Reliquiarum copia, quas Petronius Conſtantinopoli, quò redierat, nec non ex alijs ciuitatibus à Theodoſio impetratas tranſtulit, religioſis oculis intuendo, auguſtam efficere videtur. Iſtæ in vnum congeſtæ ſui cultu vni facillimè concedũt, nimirum vittæ, quæ diadematis inſtar ſacratiſſimum Deiparæ totius orbis Reginæ caput redimire non immeritò poterat gloriari. O quàm arctè hac ipſa, quæ (vt dixi) ceteras Reliquias vincit, Bononienſium corda ſe vinciri ſentiunt! & præſertim ſecundo ſingulorum annorum Paſchatis die, cum populo vniuerſo accedenti oſtenditur. Is tam frequens accedit, vt niſi oculus aſpiciat, auris obſtupeſcens, narrantibus difficillimè fidem adhibeat, dum quilibet, aut Argus, aut Lynceus fieri concupiſcit, vt tam iucundo intuitu opulentiùs, & acutiùs oblectetur. Et quoniam Diui Stephani Eccleſiam iterum commemoraui, ſilentij lapide non occludendum reor, illius extructionem cuiuſdam fabri vitam deſtruxiſſe. Enimuerò marmorea columna illius operis, atq; inſtrumentorum ope dum eleuatur, funibus, quibus erat alligata, confractis, corruens, eleuantem ſe oppreſſit. Contra iſtam accedẽs Petronius, licet ob generis nobilitatem delicatiſſimè carneus,

ſe ve-

ſe verè Petronium, columna ſcilicet duriorē, oſtendit. Illa è fune cecidit, vt faber è vita miſerrimus caderet: iſte verò, vt occiſus reſurgeret, genibus terram, oraturus, petiuit. Illa breui temporis ſpatio à ſua immanitate innocentem mortuum vidit: iſte à manuum eleuatione, qua tum preces ad Deū offerebantur, à morte lucis vſura diù fruiturum cum omnium obſtupeſcentium gaudio reuocauit. Niſi natura animum ſimul, & ſermonem columnæ denegaſſet, hanc aſtantes omnes cum fabro feruenti obſecratione contendentem audiuiſſent, vt ſe humi proſtratam erigeret, multò magis delicti pœnitentia, quàm illius cruore rubicundam, cum pollicitatione inuiolabili, ſe encomiorū, quæ Petronio perduelli fortiſſimo lætam victoriam reportanti, debentur, quamdiù in templo fuerit, propalatricem futuram. Illud proculdubio addidiſſet, antiquitùs columnas in defunctorum memoriam erigi ſolitas: ſed ego occiſi hominis in vitam reuocati miraculo teſtis aſſurgam. Et ſi geminæ columnæ ex fragili vitri materia mirabili artificio extructæ, Aradumq; inſulam exornantes omnium oculos in ſui ſtuporem prouocabant: ego eiuſdem Petronij conſtantem in diuina omnipotentia ſpem perpetim indelaſſatam prædicabo. Si commemoratam columnæ pollicitationem in recta iudicij trutina ponamus, quid amabò ſpei attulerint præter Eccleſias, quas nominaui, quatuor ſacella ab ipſo pariter erecta, crucibuſq; Reliquiarum opulentia ditiſſimis exornata? Hæc non ſolùm fidem præſtant, ſed etiam longiſſimè antecellunt, quippèquæ Petronij munificentiſſimi gloriā prædicant, Cleroq; Cœnobitarum Ordinibus, Societatibus, & vniuerſo populo, aut publicis ſupplicationibus, aut priuata pietate colētibus ſuadēt, vt ijs adſcribant à quatuor mundi plagis turbinum, grandinis, ægritudinū, armorumque expulſionem, ſegetum abundantiam, ſimulque bonorum omnium cunctis hominibus exoptabile tutamentum. Tantùm abeſt, vt ſuaſio aliquid vnquàm habuerit inanitatis, vt potiùs non parùm profecerit, noſtriſquè temporibus ab improbo ſiderū influxu miſerrimis, nihilò quidem minùs proficiat. Dum hic menti

oc-

occurrit calamitoſæ olim ciuitatis inſtauratio, mœniorumq́; ambitus additamentũ, aurem mihi vellit Minerua, cui Petronius à Theodoſio facultatem Cæleſtini auctoritate roboratam impetrauit, vt debito ſibi obſequio, confiniumque Prouinciarum commodo Bononiæ ſtudiorum matris appellandæ ſedem collocaret, ad quam, veluti ad arcem, ſcientiæ ancillarum inſtar togatos milites conuocarent, qui non ſecus, ac turres vrbem contra hoſtium vires perpetuò tuerentur. Cum hæc Diuus noſter communi beneficio peregiſſet, non ſine totius ciuitatis ægritudine cœpit egrotare: vnde quilibet, ſic loqui videbatur cum Parcis. Vos Parcæ, parcite Paſtori, qui, vt ouibus amantiſſimè conſuleret, nulli vnquàm labori, licet duriſſimo, pepercit. Sed cur populus, Petronij imminente obitu, tantoperè ægreſcit, ſi qui in communem locum eſt abiturus, illius abitio communem ſecum habet vtilitatem? Ab ouium cauſæ patrocinio Paſtor receſſiſſe non iudicetur, qui ad æterni Iudicis tribunal facundiſſimus accedit, iiſdem paſcua delicijs incorruptibilibus circumuenta, feruentiſſimis precibus paraturus. Quiſq; non difficilis ſinat, eum nouiſſimo optimi Præſulis officio ſatisfacere, dum è vita temporaria abeundi tempus prænoſcens, Clero ad ſe accerſito Eccleſiam, & catholicam fidem graui, ac diſerta, qua poteſt, oratione commendat: vt corporeis vinculis ſolutus, ſe nihil non muneri ſuo perſoluiſſe in Domino glorietur. Obijt Petronius AA. ſed poſt obitum tam referta miraculorum copia illius memoriam apud Bononienſes inſigniuit, vt intimis eorundem cordibus inſcripta nihil vllo tẽpore ſint paſſura obliuionis. Certant apud me inuicem ſilentium, & eloquium: iſtud veluti de Petronij meritis ferè nihil expreſſerit: illud, vt eadem cum admiratione, nulla re ne quidem minima obſtrepente, veneretur. Eidem libentiſſimus indulgeo, mecum tacitus animo expendens, ab oratoribus, qui ſanctos ex ſua virili parte laudibus extollunt, Deum ipſum (vnde illorum ſanctificatio originem duxit) dilaudari. Sed quænam laus diuinæ maieſtati congruentior, quàm hymnus?

Ideò

Ideò Pſalmiſta: *Te decet hymnus Deus in Sion*. Hieronymus legit: *Pſal. 64.*
Tibi ſilentium laus, Deus, in Sion. Ecquis enim orator, licet facundia alter Demoſthenes, aut Tullius verè Deum laudare nõ mendaciter aſſeueret; ſi quælibet etiam laus Angelorum coram eo Caldaicè reputatur ſilentium? Sed ego, priuſquàm ſileam, de Bononienſium felicitate eo tempore aucta non ſilebo, cum Diui Petronij corpus non nullis ſæculis in Stephani Eccleſia occultum accurata Henrici Epiſcopi Reliquiarum recenſio reſerauit: tuncquè ſancitum, vt vnà eademq; dies non ſine biennali indulgentia mortem ſimul coleret, atquè inuentionem. Hic demùm orationi terminus aſſignetur, vbi nihil aliud loquens, Petronium celeberrimæ vrbis Bononiæ Patronum humillimus obſecro, ne meæ dicendi infantiæ (quæ ſumma illius benignitas eſt) indulgere dedignetur, ſi incomparabili apud ſe meritorum virilitati nequaquam reſpõderit: ſatis nanquè ſe ipſum videtur commendare, qui ſuæ commendationis commendatoribus non vulgarem, neq; deficientem materiam ſubminiſtrat.

S. Martinus toga, & ſago clarus.

ORATIO XX.

TAntum conſuetæ pietatis hodierna die in vobis inſpicere mihi videor, AA. vt illius ſplendor ex ſingulorum cordibus per facies fulgentiſſimus prodiens, non parum mihi fiduciæ ingerat; ſuperuacaneum omninò eſſe aurium ſimul, & animorum attentionem à veſtra non vulgari humanitate aucupari: ecquis enim libenter non audiat Martini encomia, cuius res glorioſiſſimè geſtas natura ipſa plurimùm admiratur? Nos aliquid ſupra naturam diuino beneficio ſentientes, admiratione prætermiſſa, ex præcordijs venerationem ſanctiſſimo Viro debitam appellemus, quæ ex virtutum

ipſius

ipſius exemplo imitationem eliciat etiam poſteris, quorum ſaluti ſummo ſtudio proſpicere debemus, non ſine ingenti animorum vtilitate exercendam. Neſcit Sanctorum ætas, licet exigua, ingenti potiùs luminis, quàm annorum alimento viuida, naturæ legibus coarctari; quinimmo vult omninò geſtiens, ſe ipſa longè maiorem præſeferre. Nondum Martinus decimum annum exegerat, cum falſam deorum religionem deteſtatus, ad Eccleſiam confugit Cathecumenorum numero aſcribendus. Fuit certè ingenij acuminis, ac iudicij maturitatis magis admirandæ illud intelligentiam conſequi, quod multi vel in ſenecta ne minimùm quidem cognouerunt: vnde non ſemper ætas prudentiæ cibus, ſed prudentia ætatis condimentum eſt. Hæc Martini virtus ſine cibo, aut ſaltem exili, maximum profectò attigit incrementum, illinc opulenter enutrita, vnde quantò plus alimenti accepit, tantò plus ad ſui feliciſſimam auctionem accipiendum reliquit. Senſit puer ſupra canitiem, Iouis, aliorumque deorum fidem dæmoniacis artibus ſimulatam, huic tantùm rei, hominum ſcilicet excidio inhiare. Vidit, ſe extra Romanam Eccleſiam, in Eccleſia improborum eſſe, vbi nihil eſt, niſi culparum aceruus, diaboli cultus, viui, ac veri Dei execrabilis neglectus. Vidit, ſe in Noe arca non eſſe, à qua nemo alienus, exoptandam ſalutem ſibi valet polliceri. Ideò adijt Chriſtianorum Eccleſiam, vbi incorrupta non dubiè ſalus inuenitur: quoniam ab eo extructa eſt, qui pro communi ſalute, ſalutem propriam nihili omninò fecit, in ligno crucis Iudæorum immanitate inſtar agni, cum altiſſimo ſilentio turbarum illius ſanguinis appetentium clamoribus interrupto, nobis libentiſſimè occiſus. Illuc poſt curſum, non ſine naufragij periculo, decennalem appulſus, locique ſanctitatem ingreſſus profitetur, ex animo profatur, ſe peculiarem gratiam agnouiſſe, à conſueta Dei miſeratione tributum ætati, quicquid à meritorum defectu nunquàm ſperare potuiſſet. Hoc vnum ad ſuæ cupiditatis expletionem feruentiſſimis precibus flagitabat, vt veræ fidei præceptis, quæ ſalutem afferunt, inſtrueretur. Ætatem non alia de cauſa inſpiciendam,

dam,

dam, niſi quòd immatura, ideoq; aſtutiarũ, & fraudum maximè inſcia, nihil ſimulet, nihil ambiat, niſi quod antea parui ingenij, minoriſq;iudicij culpa non poſtulauit.Huc velut in aſylũ pro ſui ab inferis cuſtodia ſe recipiens,de parentum opinione nihil cogitat,qui ab huiuſce deliberationis ſcientia longiſſimè diſtantes, ſe non parum læſos arbitrabantur.Potiùs animo euoluit rerum omnium Conditoris potentiſſimi obſequium cunctis rebus iure optimo anteferendum. Secum reputat,ſi parentes,à quibus genitus eſt, derelinquat, ſibi non defuturum, qui apud ſuperos amantiſſimi genitoris officio fungatur: vnde, quicquid veræ felicitatis eſt, non fruſtra debeat præſtolari. O puerum, cuius primæ ætatis flores ætatum omnium fructus anteuenerunt. O puerum in paruulorum numero cooptatum, de quibus æterno imperio dignis animorum noſtrorum Seruator inquit: *Sinite paruulos, & nolite prohibere eos ad me venire: talium eſt enim regnum cælorum.* Quò magis annorum eſt inops, eò feliciùs ſe voti compotem experitur. Ætas neſcit excluſionem; quinimmò propter hanc ipſam integritatis regum Regi acceptæ non expertem libentiùs admittitur columbæ inſtar, quæ cum ramo oliuæ pacis apud Deum tranſactæ indicio in arcam reuertatur. Hic exteriori indumento, vnde interior puritas eluceſcit, candidatus, diuina auxiliante clementia, tantum profecit, quantum valeret ſacroſanctam ſibi baptiſmatis ablutionem polliceri. Vigebat in eo animi virtus,vigebant etiam corporis vires, ſed magis vtranquè dotem cælitùs acceptam cunctis fidelibus demonſtrandi incaleſcebat deſiderium. Ad ſummam non poſſunt ſublimes animi, excelſa ingenia ad honores, & dignitates ſibi viam non munire: non poſſunt magna, & nobilia ſecum ipſis indelaſſanter non agitare. Ferueſcens in Martini adoleſcentia armorum exercitationis cupida, animiquè ſoliditate in dies magis,magiſque aucta, Ætnei ignis inſtar, quicquid in cordis viſceribus fuit, ardentiſſimè comburebat, luſtriq; ſpatio cum illum interiùs luſtraſſet, eòuſque flammarum inuento exitu erupit, vt ſub Conſtantij, & Iuliani Imperatorum ſignis ſti-

Matt. c.19.

pendium meruerit. Iſtorum poteſtas ſubordinata ſummi Regis imperium non imminuit; illis enim inſeruiebat tanquàm ex hac vita aliquandò diſceſſuris: huic operam dabat, veluti Deo immortali, cuius nutu ęterno, nulliq; mutationi obnoxio omnia prouidentiſſimè reguntur. Inter arma honoris potiùs, quàm lucri impulſu ſuſcepta nihil aliud, quàm fidelem muneris ſui functionem ad gratiam Principis comparandam exoptauit; immo omnem quæſtum obliuioni commiſit, nulla re, niſi ſago, & armis, *iſtis* ad Imperatoris commodum, illo ad propriam neceſſitatem ſibi relictis. Quinimmò etiam ex re, qua neceſſariò fruebatur, aliquid ſuperuacaneum cogitans, reſidere, pauperi nomine Ambiano eleemoſynam ad Chriſti honorem poſtulanti dimidiatum ſagum tradidit, ne inopem, qui miſerationem implorabat, à ſe triſtem dimitteret. En virtus AA. contra conſuetudinem, ſeu veriùs egritudo contra naturæ ordinem ab armis affluenter deriuata. En pauper coopertus, vbi etiam nudo (vt ita dicam) veſtimenta detrahere nemo cunctis vitibus non conatur. En paupertas diuitiarum omnium aceruo præpoſita: vbi illud in primis cuiquè propoſitum eſt diuitijs potiùs, quàm armis operam enauare. En luxus, & pompa longiſſimis ſpatijs ablegata, vbi nihil impenſiùs, quàm cæli nunquàm deficiens gloria quæritatur. En pro ijs, quæ laudabiliter ſunt impenſa, cum fœnore mercedis recipiendæ fides non occulta, vbi de rebus humanis nemini certè, niſi oculo fides adhibeatur. Ambianus in egeſtate alleuamentum anxiè petit: Martinus anxiori deſiderio illud ambit præbere. Non minùs certè Martinus in Ambiano, quàm Ambianus in Martino eſſe deſiderat; immo in Ambiani inopia, cæleſtes apud eum diuitias reperiri opinatus, inuidet. Vt ceſſet inuidia, Ambianus conditionis mutationem non verbo, ſed re ipſa à Martino obiectam dimidiatam chlamydem ab ipſo accipiens, non excludit. Ecquis, obſecro, pauperes Martini diuitias in Ambiano dimidiata veſte induto, diuitem verò paupertatem apud Martinum, altero dimidio, caritatis ſuaſu, ſibi relicto, aſpicere non iudicaret? Martinus igitur

dan-

dando accepit: Ambianus autem accipiendo dedit. Martinus non diuitiarum partem in paupere impendit, ſed quicquid habuit, abſquè vlla amiſſione, potiùs cum magno quæſtu Ambiano diuiſit; quoniam Chriſtum ipſum, qui in Ambiano nuditatem optauit, laudatiſſimè operuit. Non monſtrum loquor, AA. iſtud enim opus in Martini adoleſcentia tantum miſerationis apud Deum huiuſce virtutis amiciſſimum redoleuit, vt is nocte poſtera per ſomnum Martino inter huiuſmodi voces dimidiata chlamyde apparuerit: *Martinus cathecumenus hac veſte contexit*. Iſta verba Veritatis ore prolata, lucrum Martino donatori factum pronuntiarunt; quandoquidem, antequàm Ambiano caritatis viſcera recluſiſſet, veſtis integra illius tantùm membra contegebat; poſtea verò in duas partes diuiſa, cum Dei non modò amplitudinem, verùm etiam immenſitatem, quam cælum non capit, vndique cooperiat, altera parte Martino æqualiter tecto, ingentes, immò incomprehenſibiles diuitias comprehendi exiſtimabimus. Iſta in pauperẽ Ambianũ liberalitas omnipotentis Dei filiũ adeò affecit, vt pro media clamyde veſtẽ integram Martyno repoſuerit. Neque profectò mirum; Dei nanq; beneficentia, ſi quid minimum à nobis accipiat (licet quod ſuum eſt) reſumat: nunquàm tamen non centuplum reddere conſueuit, haud ipſum datum, ſed dantis voluntatem, qua non ſecus, ac adamantino laqueo arctiſſimè vincitur, emetitus. Sed quam veſtem, interrogatis, eòuſq; liberalem repoſitam affirmabimus? Internam pro externa, recentem pro contrita, albam pro tincta, ſericam pro lanea, auro contextam pro ſimplici, nuptialem pro communi, incorruptibilem pro fragili, quam octo annorum ſpatium lacerauit: veſtem, inquam innocentiæ, anno ætatis XVIII. in ſacro baptiſmatis fonte, plaudentibus Angelis, indutam. Hac ipſa maximè decoratus, cum medium ſagum, qui ſibi reliquus fuit, nobilioris ornatus, cauſa abijciendum exiſtimaſſet, togam ſuſcepit, vt Eccleſia, quæ in illo pueritiam ad ſe confugientem materno amore complexa eſt, reliquas ætates ſeruitio ſui dicatas non reijceret. Cum ſago

tamen arma nequaquàm proiecit; quoniam in ſpiritualem militiam,cui non niſi vir maximè ſtrenuus laborat,laudabiliter commigrauit. Immenſa Dei liberalitas Martini in Ambianum miſerationis non oblita, indumentum geminando, huic omnibus communi clericale adiungit: Martinus verò ad Hilarium Pictauenſem Epiſcopum profectus, ad Acolyti ordinem in Eccleſia Dei promouetur. Hæc veſtis licet valdè nobilis (quia tamen ſanctiſſimi viri meritis in ſingulos dies magis,magiſquè decreſcebat) aliam maiorem illi aptauit in vrbe Turonenſi, epiſcopalem ſcilicet,ex cuius ampliſſima latitudine octoginta veſtes confecit,quibus totidem viros in Monaſterio à ſe constructo profeſſos honeſtauit, vnaquè cum illis diuinam beneficentiam omnibus horis largiorem expertus,vitã ſanctitate nõ minus,quàm ætate plenam traduxit. Hic perpendo tantam ex Martini paupertate exortam eſſe opulentiam, vt nunquàm magis illum reliquerit egeſtas, niſi eo tempore, quo pauperrimus euaſit: tunc enim integram veſtem accepit, cum chlamydis dimidium Ambiano liberaliſſimus donauit. Tunc rerum vbertatem non ſuo tantùm (hoc .n. nihil ſpectauit) ſed etiam aliorum commodo nihil omninò falſus,cognouit, cum ſe vndiquè nudatum defœcato mentis oculo aſpexit. Tunc pater multorum factus eſt,cum pauperum patrem omni loco, & tempore ſe oſtendit. At æquum penitùs fuit, vt Eccleſiam adminiſtraret, qui egenorum curam libenti animo ſuſcepit: is namq; optimus paſtor dicendus, qui gregem, non ſe ipſum paſcit. Num iſtud, quicquid eſt laudis, Martino debeatur, illinc, obſecro, conijciamus. Quæ naturæ vires longiſſimè antecellunt, non adeò facilè ſingulis viris ſuppeditantur. Cetera, quæ ſanctiſſimus Præſul in Eccleſia cum admiratione perfecit, libens, ac volens prætermitto, hoc vno contentus, vnde alia quàm plurima per coniecturam concipiuntur; quòd tribus mortuis, ſanctiſſimæ Trinitatis nomine inuocato, optabilis vitæ beneficium impertiuit. Annorum numero depreſſa iam ætate, nullam animi depreſſionem paſſus eſt, qui in florenti adoleſcentia ſenilem mentem

enutriuit. Iam octogenarius, virium defatigatione prodroma, in Cadacenſi ſuæ diœceſis vico vicinum morbum præſentiens, lecto decumbit, in ſingulos dies acriùs ægreſcit, aſſiduè ſupinus feruentiſſimis cum Deo precibus contendit, vt ſui tandem miſertus, animam ex ærumnoſo corporis ergaſtulo velit appellare. Qui circum aderant diſcipuli, perpetuæ amiſſionis damnum inter lachrymas inceſſantes ægerrimè ſuſtinendo, non parùm lamentabantur, ſe ouium inſtar ſine paſtore lupinæ feritati prædam futuros. Mœrebant, abſente magiſtro, diſcipulis monita ad ſalutem non ſine maximo malo, & damno defutura. Dolebant illius Eccleſiæ nauiculam, excuſſo gubernatore, grauiter concutiendam. Non potuit optimus ſenex diſcipulorum dolori non indulgere, ipſorum lachrymas non abſtergere: non potuit diuturnioris ſpem vitæ non afferre, operam ſuam coram Deo commiſſi gregis neceſſitati, etiam in ſummis ex morbo anguſtijs liberaliter offerrendo. Itaquè ex hac vita diſceſſum à Deo implorans, conditionem appoſuit laudatiſsimam, ne videretur, aut mortem timere, aut calamitoſæ vitæ finem exoptare. Propriam voluntatem diuinæ voluntati iam diù addictam, tunc profectò maximè ratam habuit, vt patientiæ exemplum poſteris vtiliſsimum innoteſceret: vnde ſinguli addiſcerent, non quod ſenſus, ſed ratio ſuadet, amplectẽdum. Inter hæc haud ceſſabat morbus ſupinum orantem acerbiſſimis cruciamentis agitare: quod anſam præbuit diſcipulis ipſius dolore non parum dolentibus obſecrandi, vt conuerſo corpore iaceret, ſi fortaſſe vis morbi non nihil ſe remitteret, cum à pietate abeſſet illud corpus moleſtum habere, quod ſui moleſtia totius populi animos vehementiſſimè cruciaret. At Martinus, qui, quantò ægriùs carne laborabat, tantò magis ſpiritu ferueſcebat, diſcipulos rogauit, vt ſe ita ſinerent, qui cælo conditus, terræ oblitus, non terram, ſed cælum, animi, non corporis quietem quærebat. Huic tranquillitati inuidens dæmon, quippè qui ſemper impudentiſſimus, illam tetra, & acerba ſuimet præſentia fœdandam cogitauit: non autem obtinuit, fruſtra

ap-

appetens,illiùs animam, cuius corpus morum caſtimonia, & ſanctitas animabat: fruſtrà terroris incuſsionem illi afferens, à quo culpa cuiuslibet terroris cauſa longiſsimè receſſerat: oculis ſuis illius oculos in caſſum inficiens,qui totus Chriſto inhærens,nullo pacto corrumpi poterat: inutiliter illius potiri exoptat, qui iam ſuimet poſſeſſionem apud rerum omnium poſſeſſorem reſidebat;vnde meritò à ſua impudentia cum fruſtratione huiuſmodi conuicio cumulatur: *Quid adſtas, cruenta beſtia? nihil in me funeſtum reperies.* Beſtiam dixit diabolum, quia ab omnipotenti Deo creatus, cum hominis conditionem ſuperaret, in ſuperbiam propendens, belluinam ad ſe naturam appellauit. Beſtiam, quæ inanis gloriæ cibo opulenter paſta, flammis non parùm æſtuantibus, ad nullam ſaturitatem paſceretur. Beſtiam, quaſi leonem in rerum terrenarũ puluere doloſa hominibus cauda inſidiantẽ. Beſtiam, nẽpè draconẽ, qui è myſtici elephantis Chriſti pectore ſanguinẽ ad cædẽ potando, ab ipſo grauiter oppreſſus nõ potuit non interire. Preterea iure optimo eandẽ cruentam nuncupauit, quia Seruatoris noſtri ſanguine haud ſatiata,humanũ adhuc ſitit propriam cupiditatem, quæ immenſa eſt, nunquàm expletura. Cruentam nominauit, quoniam animas culparum ictibus vſquè ad cruoris effuſionem lauciare nunquam deſiſtit. Cruentam vocauit, proprio ſcilicet ſanguine ad maiorem ſui calamitatem vndiq; aſperſam. Quid adſtas? veluti admiratus interrogauit: monſtri enim ſimile videtur, eum, qui è cælo in profundiſſimum barathrum præcipitanter detruſus eſt, aliquando non iacere. Adſtas? inquit, vt illius peruicaciam exprobraret, quippè qui, vbi Chriſtus aderat,ſibi locum arrogare non dubitarit.Demum præſentiæ cauſam non alio conſilio eſt percontatus, niſi,vt quodammodò obijceret ipſum, licet ab inferis homini inſidiaturum, ſæpiſſimè abſentem, ab illorum tamen cruciamentis nequaquàm abeſſe, cum ignis pœnam culpæ ſociam ſecum iugiter habeat indiuiſibilem. Et quoniam illud pariter ſciebat, ſatanam nihil ardentiùs, immo nihil aliud præter hoc vnum in hominibus opta-
re,

re, niſi culpam, quæ necem ſecum adducens meritò dicitur funeſta, breuem ſermonem concluſit: *Nihil in me funeſtum reperies.* Ac ſi dixiſſet: vbi reperitur vita, illinc mortem longiſſimè diſtantem, nemo inficiatur. Vnde, obſecro, A A. hæc adeò audacter loquendi anſa, niſi ab animo nullius vel minimi criminis conſcio? Quilibet peccati expers, nihil timet: ille ſemper paueſcit, qui reatum non expauit. Hic ſolummodò timendus, quoniam ipſum malum eſt, nequè malum, niſi animum læderet, vocaretur. Mala corporis non ſunt mala, illud malum eſt omnium maximum, quod immortalitatem attingit: huiuſcemodi verò nullum profectò reperitur, niſi culpa, & illius ineuitabile ſupplicium. Cum iſtius rei veritatem optimè nouiſſet Martinus, delictū ſemper abhorruit, ideòque mox obiturus à lucifero nihil timuit, ſeptuaginta annis in Dei ſeruitio contritis. Illud igitur fuit in cauſa, cur, inter verba dæmoni quàm maximè terribilia, finem optatiſſimum aſpexerit, ſeu potiùs melioris vitæ principium inuenerit: vtquè hoc ipſum commodiùs, nobiliùſq; inueniret, in ipſo vitæ exitu Angelorum choros præſentes habuit, qui animam in cælum aſcendētem, inter dulciſſimas Deo laudes applauſibus immixtas, obſequij cauſa, non paucis, præſertimq; Seuerino Epiſcopo ſuſpicientibus, comitarentur, vt qui pauperem Ambianum dimidiata veſte contexit, hunc cæli ambitus exciperet glorioſum. O Martine, hominum, quot quot tua ætate fuerunt, fortunatiſſime, qui, cum in pueritia ad Eccleſiam militantium confugiſſes, te in ſenectute triumphantium cœtus ad æui ſempiterni fruitionem lætabundus excepit! Tu preces noſtras ex intimo cordis receſſu prodeuntes ſuſcipe. Tu cauſam noſtram ante ſanctiſſimæ Trinitatis tribunal in finali iudicio tuere. Vt velis, & quod à nobis eſt, poſſis, Deum obſecra, vt, quod ipſe vult, tuquè longiſſimæ vitæ curriculo voluiſti, nos conſtanter, & æqualiter velimus. Velle enim, quod in tanto pretio haberi debet, vt, ſi abſit, homo non conſtet, quid, interrogo prodeſt, peccatum ſi velit, quod maximè obeſt? Ea ſit precationis ſumma, vt ſummus animorum

Di-

Director apud nos voluntatem dirigat, vnde, cum omnium fi-
nis aderit, tecum ſine fine cæleſti gloria numquàm deſutura per-
fruamur.

S. Clemens in mare proiectus, marmorea ædicula ſecurus.

ORATIO XXI.

SI quæ animum opulenter nutriunt, iucundiſsima procul dubio cenſentur, quid voluptuoſius, quid delectabilius, quàm de Sanctis ſermonem habere, de quibus cogitatio ipſa felicem illorum conſpectũ oculis noſtris beatificæ viſionis deſiderio ęſtuantibus poteſt obijcere? Laudes igitur, & gratiæ huic diei immortales, & innumeræ, vnde opportunitas exhibetur de Diuo Clemente encomia non aliunde, quàm à ditiſsimo illius meritorum ærario in medium adducendi. Poſſet quidem oratio mea hunc Pontificem à multis locis non tam exornare, quàm ab eius laudum coaceruatione exornari: quicquid enim de præſtantiſſimis viris, etſi non omninò aptè, concinnèq; dicitur: attamen ſapientium iudicio in oratoris laudem deriuatur. Ceteris bonis, quæ Clementem ſummoperè ditabant, ſilentio prætermiſſis, ad ea ſermo appellatur, quæ radicibus alto animo fixis, non modò, quaſi herbæ viridantes pullularunt, verùm etiam in maximas arbores feliciter excreuerunt. Primum locum, tanquàm omnium certè præclariſſimum tenet morum innocentia, illud æſtimationis merita, vt à Paulo Apoſtolo in ſcribendo, promulgandoq; Euangelio vicariam operam acceperit. Iam diù cognouerat Tarſenſis vir prudentiſſimus, eam in Clemente doctrinam eniteſcere, quæ poſſet omniũ aures, omnium animos in ſui admirationem, in admirantium ſalutem allicere (illud etiam, neq; mendoſè addam) attrahere.

Rei

Rei veritatem aſtruant multa ſcriptis commendata, ex quibus temporis iniuria quinque tantùm epiſtolæ ſuperſunt luculentis ſententijs refertæ, & ab illius ſucceſſoribus auctoritatis loco nō infrequenter vſurpatæ: præterea Apoſtolorū Canones, nec non libri octo, qui Apoſtolicæ Conſtitutiones appellantur. Diuini verbi concionibus operam adeò frequentem adhibebat, vt quàm plurimos ad catholicam fidem amantiſſimè compelleret: illud verò tantò faciliùs contingere conſueuit, quòd multos varijs morbis oppreſſos priſtinę ſalutis loco, precibus ad Deum effuſis, reſtituerit. Indeq; odij, & inuidiæ fomes: inde ignominioſæ apud Mamertinum præfectum expoſtulationes. Non potuit (quia noluit) iniquus iudex delata non audire, non potuit Traiano Imperatori eadem non ſtatim nuntiare, iuſſus, vt, niſi Clemens dijs ſacra faceret, illum in Cherſonenſem inſulam miſerrimè relegaret: vbi eò propiùs adfuit pœna, quò longiùs aberat culpa. Cum illuc adductus, duo millia Chriſti fidelium æqualiter captiuorum inueniſſet, iſti ab eo non parum auxilij, & alleuamenti in rebus miſeris, egeniſq; inuenerunt; vnde non exigua miſeratio meridiana luce clarior innoteſceret. Hæc ſemper quidem, tunc verò magis enituit, cum Chriſticolæ, qui in lapidicinis detinebantur, aquæ penuria laborabant: enimuerò ea calamitate permotus, cum oculos in cælum ſubleuaſſet, Agnum in collis cacumine, dextero pede anteriori, quaſi aliquid demonſtraret, ſtantem ſuſpexit, ibiquè ex terra effoſſa tantum aquæ ſcaturiginis emanauit, quantum poſſet ſitientium neceſſitati ſatisfacere. Ecquis inficietur, Agnum fuiſſe Chriſtum Ieſum, è cuius ſacratiſſimo pectore cruci affixo aqua ſanguini immixta vbertim effluxit? Ecquis non affirmet, Agnum Chriſtum fuiſſe, qui ſingulis hominibus benigniſsimus exclamat? *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Profectò Chriſtus fuit, qui in muliere Samaritana, cuiq; ad ſe confugienti aquam donaturum pollicetur, quæ in fontem ſitim perpetuò ſedaturum commigret. Lætabantur Chriſtiani in ſeruitute ærumnoſa liberum hominem inueniſſe, qui Pontifica-

tus dignitate præfulgens, optimi Paſtoris munere oues ſibi commiſſas in ſumma neceſſitate nutriendo fungeretur. Permulti non temerè dictitabant, illum Clementis nomen diuinitùs accepiſſe: qui apud omnes mores clementiſſimos exerceret, ſimulq; ad beneficia excipienda ſedulò inuitaret. Non pauci alterum Moyſen Iſraelitici populi Ductorem appellabant, qui ex arido lapide virga ſemel percuſſo, ingentem aquarum copiam nihil deceptus, poſtulauit. Singuli non modò Pontificis, verùm etiam amantiſſimi parentis nomine nuncupabant, quippè qui ſingulos Chriſticolas in miſeriarum lacu conſepultos, non quaſi conſeruos, non quaſi ſubditos, aut etiam amicos, ſed quaſi filios inceſſanti caritate confoueret. Eo pacto prudenter argumentabantur. Si Clemens calamitatum aceruo nobiſcũ obrutus, noſtræ potiùs, quàm ſuæ conditionis miſeretur, quantum, obſecro, liberalitatis, libertate aliquandò tandem accepta, exerceret? In iſta linguarum varietate, intelligentia tamen nihil omninò varia, quinimmo in vnum, eundemq; ſcopum ſagittarum inſtar emiſſa, nequaquàm diuerſa, pro illius incolumitate, diuinã opem eò magis frequenter implorabant, quòd eius exemplari doctrina, & miraculis, innumeri infideles Chriſtianam religionem appeterent, illamq; diuino fauore amplexati non ſecùs, ac polypi arctè retinerent. Itaquè nunquàm ſatis laudata Dei prouidentia, quæ omnia ſapientiſſimè gubernat, ex vnius anguſtijs plurimorum ſalutem voluit aucupari. Hic iam ceſſet illorum admiratio, qui in optimis viris tribulationum cauſas non intelligunt. Deus nihil non modò perperàm, ſed nec etiam inconſultò agit, qui ſingulis hominibus, quinimmo ſingulis animantibus, inſuper & plantis benigniſſimè conſulit. Qui eidem amici ſunt, quoniam optimi, ſuimet conſimiles facturus, ipſorum humeris crucem adaptans, lãcea, clauis, fuſtibus, alijſq; pœnarum inſtrumentis onerat, quæ non coactè, immo libenter poſt ipſum ferentes, opima de hoſtibus ſpolia cum eo referre non ignoréẽt. Quam diu.n. inter mortales ſumus, lapides ſumus, miſeria, quaſi ſcalpro expoliendi, vt cæle-

cæleſtis Ieroſolymæ ſtructuram exornemus. Cum Clemente igitur gaudeant, qui à Deo ſolicitudinum experientia diuexantur: etenim, poſt præſentem vitam, in alterius non moleſtæ poſſeſſionem ab eodem rerum omnium Domino vocabuntur. Gaudeant, inquam, & nihilò minùs gaudeant, quàm duo millia Chriſtianorum, qui in latomijs lapidarijs duram ſeruitutem exercentes, in lapidibus eruendis (obſeruate monſtrum, AA.) ſinguli fiebant lapides perſecutoris malleo contuſi, compreſſi, ſupremiq; Artificis manu opportunis ædificijs coaptandi. Inter illos ſanctiſſimus Pontifex, & dignitatis excellentia, & ſuppliciorum toleratione iure meritò vocari poterat lapis totius fundamenti primarius: quoniam ſinguli Chriſti milites Cherſonæ exulantes, eius hortatu, & exemplo pœnas ſibi acerbiſſimè indictas, nullum laborem paueſcentes, æquiſſimis animis ſuſtinebant: ibiq; non parum ſolatij, immo iucunditatis percipere videbantur ex Pontificis præſentia, qui modò animos addendo, modò æternæ ſalutis fiduciam afferendo, modò cadentes vires alleuando, modò rebus neceſſarijs proſpiciendo, multū laboris, ac moleſtiæ de tormentorum aceruo ſingulis, quaſi manu diuinitùs appoſita, detrahebat. Sed, dum adeò athleticè durant, vt inuicem veluti gaudio geſtientes, communi ſorte gratulentur, diuinam clementiam tanta calamitate cōmotam, ex ſeptem collium vrbe Cherſonam miſiſſe totius orbis Patrem, ac Dominum im miſeriarum anfractu conſolatorem, optimæ ſortis viciſſitudinem (quæ in rebus humanis non temerè, cum ingenti potiùs myſterio ad noſtri omnium doctrinam accidere conſueuit) mœſtiſſimi experiuntur. Enimuerò quantò magis catholicæ fidei hoſtes vſq; ad necem in Chriſti famulos conſæuiebant, tantò magis in ſingulos dies illorum numerus augebatur, non ſecus, ac frumenti grana in feraciſſimum agrum proiecta, non poſſunt multiplicatum fructum non afferre. Huiuſmodi fidelium numerus valdè coagmentatus, plurimum negotij Mamertino faceſsit, animum quàm maximè angit, huc, illuc miſerrimè diſtrahit, tandem conſilium ingerit, vt manum ab

omnibus abſtinendo, vnum ſcilicet Clementem nihil cunctatus, è medio tollat, ſi vniuerſam imperij ſalutem concupiſcit. Placet conſilium, verè politicum appellat, non vulgari prudentia refertum iudicat: cuius eſt reorum ductoribus amotis, multitudini erratum condonare, ne illorum pœna, quaſi in infinitum protracta, imperij vires eneruentur; vnde medicamenta morbis ipſis longè grauiora non ſine maximo detrimento ſentiantur. Hæc omnia, ſummorum principum, qui apud ſapientes viros laudatiſſimi fuerunt, annales cogitatione perluſtrando, obſeruata ſecum tacitus reputat, cumq; non aliter optimam gubernandi rationem conſtare iudicet, Clementem neci adiudicans, vt anchora collo alligata pelago demergatur, iniquiſsimus imperat. Profertur ſententia, & quemadmodùm ſeſe habent mortalium negotia, vt, quò ſceleſtiora, exitum eò magis feſtinatum reperiant: ſic etiam ipſa in Pontificem pœna nihil omninò differtur; ne vtilis pœnitentiæ locum nanciſcatur. Hic memoria eximia commiſeratione agitata non poteſt ſecum non recolere, quanta fuerit in illa Chriſtianorum multitudine animorum conſternatio, vbi conſpexit, à ſe diuelli Magiſtrum, Ducem, Medicum, Pontificem, Parentem, in ſummis afflictionibus, labores benigniſſimum alleuantem. Sortis mutationem collacrymantes, perſecutoris feritatem lamentantur: Deum humiliter obſecrant, vt præfecto aliam ſententiam ingerat, vnde prioris iniquitate, quam nemo mente ſanus non deteſtatur, omninò diluta, clementer agat cum Clemente; qui præter Pontificiam dignitatem cunctis hominibus plurimi æſtimandam, cui ſanctiſsimis moribus congruenter reſpondet, non pauca apud ſingulos merita congeſſerit: quæ magis ab exilio liberationem, quàm capitis ſupplicium iure ſuo poſtulare videantur. Conſtans manet tyranni ſententia, ne diutiùs maneat Pontificis vita: ſperat, vnius mortem multis ſalutem allaturam: credit, ſanctiſsimo Martyre in necem adacto, ſe non paucos ex Chriſti fidelibus in falſam Iouis venerationem impulſurum, opinaturq; vnius pœnam ad multorum correctionem profecturam. Quocircà ad

cà ad

Digitized by Google

cà ad mare perducitur, vt illic cum anchora ad collum aquis obruatur. Iſtud atrocitatis ſpectaculũ Chriſti fidelium oculis horrendum ex ipſorum cordibus affluentem lacrymarum copiã eduxit, qui plurimùm mœrebant, Pontificem poteſtate ſibi cælitùs demandata, ceteros orco eripiendi, perſecutoris impietate fluctuantis pelagi fore ludibrium, inuidorum (& quod longè grauius videbatur) amicorum oculis obijciendum. Non poterant æquanimiter tolerare, qui calamitoſis re, opera, conſilio ſuppetias attulit, huc non aliundè, niſi à ſe ipſo, qui ſpes ſuas in Dei ſinu condiderat, ſolatium, & leuamen præſtolari, qui tot viris, etiam hoſtibus, ſalutem reſtituit, adeò iniquã adhibitæ benignitatis mercedem reportare: qui nihil, niſi iuſtum, ac honeſtum geſſerit, crudeliſsimè necari: qui ſitienti populo, per aquam ex aridiſsimo loco precibus eductam vitæ beneficio donauit, in aquas morti deglutiendum deijci. Quicquid ſpei de Pontifice apud homines benè merito enutriuerant, tunc præter opinionem amiſſam certatim deplorant: ſinguli aut illius incolumitatem, aut cum illo vitæ finem deſiderant, cũ ipſo pariter martyrij palmam conſequuturi. Nec profectò minùs ægrè Pontifex re non ſecus, ac verbo Clemens ſuam ab illis diuiſionem ſecum tacitus querebatur, &, ne in tanto angore mœſtos derelinqueret, ſuas lacrymas ipſorum lacrymis inter conſolationis officia immiſcebat, vt, dum lapidibus eruendis, pro Chriſti honore, Imperatoris iuſſu, operam darent, in ipſius Chriſti fide ſeruanda lapidum naturam inducerent, conſtantes, ac firmi eſſent, tam conſtanti, firmaq; oratione hortabatur, vt non morti proximus, ſed vitæ immortali coniunctus videretur. Sperabat enim, ſe animæ nauiculam per immenſum oceanum, Fauonio cælitùs ſpirante, in portum ſalutis appulſurum. Sentiebat, anchoram non temerè collo illigatam, quippè quæ ſpem æternitatis conſequendæ ſibi nullo caſu, licet maximè aduerſo, decollaturam præſignaret. Ea præmunitus, vix Chriſti Domini in cruce ad Patrem orantis verba vſurpauerat, cum præceps in profundum agitatus fuit communi

Chri-

Digitized by Google

Chriſtianorum, qui in litore conſidebant, ad miſerationem clamore non minùs, quàm amore aſſociatus. Abijt, ſeu potiùs, detruſus fuit Pontifex, & cum eo omnia Chriſtianorum corda æqualiter detruſa abierunt: quia rationi conſentaneum fuit, vt ſingula membra totius Eccleſiæ caput ſequerentur. Vt verò à rebus nimiùm abſtractis abſtrahamur, omnes diſcipuli, qui Clementem viuum humili obſequio coluerunt, hunc veluti è mortalibus ſublatum, animo, & corpore per vaſtiſſimum pelagus inſequuti ſunt, illudq; non paruo ſolatio affecit, quos perpetui Clementis diſceſſus non potuit plurimùm non tedere. Omnes nanq; cum à Deo illud precibus impetraſſent, vt ſancti Pontificis in aquas proiecti Reliquiæ incolumes enatarent, æquor æquæ illorum cupiditatis quodammodò miſertum tria quidem millia paſſuum, inuita natura, adeò longè receſſit, vt totum illud ſpatium ſiccis plantis facillimè calcaretur: vnde nemo ex Chriſticolis diuinæ benignitati gratias agens, illuc pietatis cauſa non acceſſit. Ibi inuenerunt ædiculam marmoream templi formam, intuſquè arcam lapideam, qua Diui corpus condebatur. Omnes, quod contigit, maxima admiratione venerantes, inter lacrymas feruentiſſimis precibus mixtas iuſtà faciunt, Deumquè in Sanctis mirabilem prædicant, qui aquis imperauit, vt ſerui ſui offenſa abſtinerent; immo illum intactum pio Chriſtianorum cœtui obijcerent. Singuli ex animo inuicem gratulantur, obſecrationes irritas non fuiſſe; quinimò multum ſuprà (non dixerim) cupiditatem, ſed certè ſuprà ſpem communem impetraſſe. Singuli ædiculam ipſam circumuenientes, oſculantur, ibiq; ſupremi Architecti omnipotentiam, ac liberalitatem ſimul collaudant; quædam myſterijs plena in iudicij trutina ponendo, illud certè op nantur, non incongruum fuiſſe illius templi conſpectum: cum enim Clemens animi integritate Dei templum fuiſſet, æquitas pariter poſtulauit, vt, illius anima inter beatos Spiritus in cælum recepta, eiuſdem corpus rei non abſimili, templo ſcilicet donaretur. Inſuper marmoreum lapidem acutiſſima ingenij acie perpenden-

tes,

tes, illud prudenti ſententia coniectant, non aliam infirmam materiam diuina voluntate adhibitam, nempè vt marmoris albedo, ac durities Chriſti Athletæ integritatem, nullaq; tyranni duritie confractam in martyrio ſubeundo conſtantiam demonſtraret. Illud verò admirandæ rei exemplum (vt inde etiam veri Dei potentia inter impiorum tenebras luce clarior præfulgeret) non ſemel, ſed ſingulis annis, ſeptem dierum ſpatio nihil intermiſſo à conſumptione martyrij initium ſumendo, contigit, neq; breui (vt luculenti auctores ſcribunt) durauit, quo tempore frequens hominũm copia ex varijs orbis terrarum regionibus ad rei tam admirabilis veneratione͂ confluebat. O miracula, ò prodigia! Tunc redierunt Hebræorum tempora, quibus, Pharaone fruſtra inſectante, licuit mare veſtigijs nihil madidis pertranſire. Iam ceſſet admiratio AA. non minus enim debuit licere Paſtori totius Chriſtiani gregis, quàm turbæ Iſraeliticæ Ductori. Idcirçò voluit Deus idem vtrique liberali manu concedere, vt, qui è ſicco lapide fonte͂ eduxit, is pariter ſicco pede trans vaſtiſſimi æquoris planitiem deueniret; quinimmo diuina liberalitas multò plus Clementi, quàm Moyſi donandũ iudicauit: iſte enim nõ longo tempore, dũ hoſtis inhumanitatem fugeret, diuiſi maris arenam introſpexit: ille per inſatiatam perſecutoris rabiem liquidas eiuſdem vndas longè diutiùs calcauit. Equidem credo, piſces ipſos ad illius loci ſanctitatem quàm maximè admirandam venerationis cauſa conſtitiſſe. Cenſeo, mare à ſe ipſo non exiguæ gratulationis excepiſſe officium, quòd diuinæ prouidentiæ aquam in terra, terram in aqua prætereuntium oculis offerre, elementis quaſi geminatis, libuiſſet. Reor (nec profectò imprudenter) naues à miraculi loco longè prætcruectas multùm inuidiſſe ratibus, quarum ſors feliciſſima ſepulchralem Clementis ædiculam ſanctitate plenam aſpectauit. Quot claſſes credendum eſt ob eiuſdem loci ſanctimoniam ab imo aquarum vortice naufragas emerſiſſe? quot ſyrthium, nec non ſcopulorum pericula euitaſſe? quot denique portum ventis proſperè flantibus attigiſſe? quot nautas ſanctiſſimi

mi Pontificis auxilium inter inſtactus non fruſtra imploraſſe? Qui potuit ſuis mirabiliter conſulere, potuit etiam aliorum neceſsitatibus caritatis ſuaſu alleuamentũ afferre. Qui corpori vndarum fragore huc, illuc concuſſo non ignorauit ſtationem tutiſmam inuenire, nouit pariter ſalutis viam non paucis (vt portum aliquando tenerent) indicare. Qui precibus à Deo meruit ex non aqua aquam facere, meruit aquarum inflationibus imperare. Qui inter mortales miſeratione impulſus voluit cæcis lumẽ reſtituere, non minùs voluit ſui obſequio addictos frementi vndarum iracundia liberare. Qui pontificali auctoritate effrenatas inferorum habenas placidè cohibuit, multò faciliùs irati maris elationem attemperauit. Valeant igitur, valeant Pontificis perſecutores iniquiſsimi ni malint oratione meâ appellati accedere, barbariemq; dæmoniacam arte ſua deluſam intelligere. Cur conati ſunt Chriſto humani generis Seruatori cultum præpedire? Cur famam catholicæ religionis impiè orbi vniuerſo, ſi poſſent, auferre? Cur libuit ſacroſanctam Euangelij promulgationem interdicere, illiuſque propugnatores atrociſsimis tormentis expugnare? Cur certum fuit nec etiã ab optimis viris manus abſtinere? Cur probarunt ſummos Pontifices rerũ omnium dominos turbę captiuorũ immiſcere? Cur meritum duxerunt (vt rem noſtram attingam) Clementem calamitoſo exilio vexare, indeq; in vaſtiſſimum pelagus, quaſi piſcium eſcam, deijcere? Fortaſſe, vt illius nece, Chriſtianæ fidei necem (vt ita dicam) inferrent? Hæc non poteſt occidi: non poteſt Sanctorum memoria obliuione inuolui: non poteſt vllo pacto illorũ veneratio deperire. Singula ex iſtis fato æterna nihil ab hominibus, licet potentiſſimis, pauefcunt. Perijt AA. perſecutorum opinione Clemens ſanctiſsimus: ſed non interijt, Beatorum cœtui fælicisſimè coniunctus. Deſijt os facundiſsimum mortis ſquallore occluſum, Chriſtianum nomen in terris extollere: ſed illius oſſa in opportunum, atquè conſentaneum locum recepta, non ceſſabunt in aquis hoc ipſum loquaci ſilentio commendare. Plus certè loquebatur Pontifex anchora

ad collum in aquis arctiſsimè alligatus, quàm olim in collis culmine faucibus liberrimè ſolutus. Illic Clementis oratio purum agnum, qui manantem aquam demonſtraret, ex ouili ſupremo appellauit: hic ædiculam cæleſti arte conſtructam ipſius Dei reuerentiæ reſtituit. Illic dura ſeruitute occupatus, animo tantùm liber oberrauit: hic animo, & corpore laqueis exemptus, quò libuit, ſe ſe tutiſſimus recepit. Illic apud Chriſtianos duntaxat in pretio fuit: hic etiam ab Ethnicis miſerationis officium obtinuit. Illic ipſius ſanctitas ab hominibus exculta fuit in terris: hic etiam inter Angelos decorem accipit in cęlo. Illic terra ciuem è cælo excepit: hic è terris cælo receptum beati Spiritus præconijs exornant. Illic miſerrimam vitam traduxit, tandem aliquandò moriturus: hic æuo fruitur felicisſimo, nullo vnquàm aduerſo caſu amouendus. O Sanctorum conditionē in melius ſemper immutatam! O tyrannorum potentiam ſuis potiùs, quàm alienis viribus opinione citiùs conſumptam! Hæc ad crudelitatis faſtigium ſummo Pontifici in terris ſepulchrum denegat, vt idem ſupremi Imperatoris iuſſu in aquis marmoreum accipiat. En piſces, en vndæ, en etiam arenæ, rerum, quas Martyr admirandas poſt mortem ad plurimorum conuerſionem geſſit, teſtes in ſilentio facundiſſimi. Hæc omnia in vnum coeuntia tortorum immanitatem ferociſſimam, ſimulq; Clementis inuictā patientiam ſemper concelebrabunt. Eadem ad cōmunem noſtri vtilitatem commonefaciunt, nos, quàm diù in hac vita ſumus, in pelago eſſe ventorum inter ſe acerrimè pugnantium rabie agitato. Niſi adſit cum morum probitate conſtantia, quæ velut anchora in Dei ſeruitio animarum nauiculas confirmet, magnum periculum ſubeſt, ne huc, illuc aſsiduo impetù concuſſæ, in vitiorum ſyrtes colliſæ, naufragentur. Vt iſtud caueamus, res noſtras, immo nos ipſos Clementis clementiæ commendemus, vt ad tutiſſimam ſuperni litoris ſtationem, poſt huiuſce vitæ curſum, feliciter liceat enatare.

S. Andreas Apoſtolus decuſſata cruci affixus.

ORATIO XXII.

ORationem meam, licet non ex debito æqualiter, ac deſiderio facundam ad ſui encomia hodie appellāt illius merita, qui Ioannis Baptiſtæ conſilio Chriſtum Dominum ſequutus, ab ipſo ad legationem Apoſtolicam fuit appellatu s. Andreas, inquam, Galilæus Bethſaidenſis, cui natura, cum principem duodeni Senatus fratrem dediſſet, Chriſtianæ religionis propagandæ cupiditas optatæ paſſionis ſocium adiunxit: vt eius fama illinc etiam non parùm nobilitata augeretur, vnde Ethnicorum multitudo à vera fide aliena, infamiam contrahi, falſis dæmonum ſuaſionibus corrupta opinabatur. Vos, qui fide ſynceri, virtute optimi, prudentia præſtantiſſimi eſtis, longè meliùs rati, benignas aures mihi præbere ne grauemini; vt animus ab illius laudum narratione, ſi minùs à dicentis arte oblectamentum capiat, vnde pietatis affectionem accipere conſueuit. Diuinæ erga nos beneficentiæ magnitudo illucuſquè attingit, vt nullo hominum diſcrimine habito (quoniam pro ſingulis ſanguinem pretioſiſſimum effudit) ſingulos ad ſe velit allicere, niſi poſſit illectus, etiam trahere, nulla tamen apud eum, qui trahitur, voluntatis mancipatione, ſed quadam vi amoris deliteſcente, cui liberum arbitrium aſſentiens, impellitur, vnde nulli, niſi ſui ipſius imperio obſequatur. Iſta Seruatoris noſtri liberalitas nunquàm ſatis ad meritum (quia omnium merita antecellit) commendata, cum Andream ad litus cum fratre reficientem retia aſpexit, eius propenſione introſpecta, hunc ipſum ad ſe appellat, tribus tantum verbis, *Venite poſt me*: ſed illorum parcitatem reſarciuit virium inexplicabilis opulentia. Verberarunt profectò cordis fibras, quinimmo ſingula viſcera ad vocantis voluntatem ſua ſponte fortiter ſimul, ac ſuauiter illecta,

Matt. 4.

ipſoq;

ipſoque illectu aſtricta. Chriſtus hiſce verbis: *Venite poſt me*, quaſi arcu perforato, laxata rota, tres globulos emiſit, qui Andream non confoderent, ſed igne potiùs vbertim flammeſcente, non tamen conficiendo, medullitùs comburerent. Fuerunt quaſi fulgura de armamentario cæleſti, validiſſimo brachio coniecta; ſed illius generis, quod veſtis farcimen, illæſa veſte, Andreæ ſcilicet animum, inoffenſo corpore, bearet. At ſatis etiam fuiſſet, poſt iſtius diſcipuli vocatum, ipſum aſpicere: Chriſti nanq; facies, mirabiliter fulgeſcens, potuiſſet Andreæ pectus inflammare, quæ ex Petri fratris corde, quaſi ex duriſſimo ſilice igniti amoris lacrymas non potuit non elicere. Non ſupra ternarium numerum voces adhibuit Chriſtus, vt ſanctiſſimæ Trinitatis Maieſtatem in carne humana recluderet, ſermone breuiſſimo eſt vſus; vt vſui foret vocāti ſimul, & vocato: illi, ne potentiā ſuam multiloquio ſeruaſſe, huic, ne verbis potiùs, quàm rebus credidiſſe videretur, quin Patris Verbū paucis verbis, *Venite poſt me*, adhibitis, myſteria profundiſsima recluſit. Me dixit, non fortunam ſcilicet, ſed hominem non externum, qui videtur, ſed internū, cui fides non dubia debetur. Me, inquam, quoniā, qui poſt me venit, nihil à ſe ipſo diuiſus, commodum, & honorem ſuum iugiter conſectatur. Me, iterū adiungo, qui mei ſectatores in periculis nō deſero, in aduerſis non auerſor, in ſecundis contueor. Qui ſequutus es vocem, nunc ſequere tibicinem: quem luminis teſtimonium non parùm affecit, longè plus lumen ipſum afficiat fulgētiſsimū: qui credidiſti internuntio, crede internuntij Domino: qui Ioannē cōcionantē, audiſti, audi Chriſtū concionatores appellantē. Andreas nihilò plus voluit, quàm potuit, Seruatoris vocatui repugnare; immo in ambiguo eſt, vtrùm vox Chriſti priùs Andreæ aures pulſarit, an Andreas Chriſti vocē audierit. Cū diſcipulus illicò ſequutus ſit Magiſtrum, non potuit Magiſter diſcipulū non recipere, niſi diſcipulo libuiſſet ſe Magiſtro committere. Chriſtus Andream vocat; quoniā Andreas iam ſua cupiditate vocauerat Chriſtū. Andreas verò Chriſtum non potuit cupere, ſi Chriſtus noluiſſet illius ani-

mo ſe cupiendum ingerere. Ideò ſtatim ſequutus eſt, quem diù optauit, & Chriſtus ſimul acciuit, quem à naſcentibus ſæculis ſibi vocandum propoſuit. Hoc ſolùm intereſt (& iam quæſtio ceſſet) quòd Andreas ſequitur tempore, Chriſtus aũt vocat ab æternitate. At vbi, obſecro, vocat? In maris litore, vbi fluctuantes aquæ humanarum rerum inconſtantiam declarant. Vocat in arena aridiſsima, quæ meritorum deſignat ſterilitatem: vocat in piſcatu, qui ſæpè, ac ſæpiùs hoc iterato beneficio impertit, vt multo labore defatigatos, ſine piſcium captura, benè lotos, ac ſalſos domum remittat, nox incœnatos excipiens, haud parùm habeat inſomnes. Non alio certè conſilio Chriſtus Andream vocat, niſi vt ab huiuſmodi exẽplo diſcamus, nos quæritari à Deo, non vt commodũ ſuum (nullius enim rei indigus eſt) ſed vt animarum noſtrarum ſalutem acquirat: hanc ambit, à nobis aliquid petens: quocircà ambiendo, petendo nunquàm non plurimum tribuit. Sed Chriſtum non ſine myſterio Andream cum retibus inuenit: & ſi myſteriũ poſtulatis, illud nequaquã reticeo. Vnigenitus Dei filius, qui eximiæ in nos caritatis impulſu factus eſt omnibus omnia, cum piſcatore piſcatum exercet. Libuit ergo Andream in retibus inuenire non cogitantem, vbi non poſſet, ſe illius aſpectu ſubtrahere. Piſcatorem piſcator nõ ſenſit in reſarciendis retibus, quibus non ampliùs piſces, ſed crucem ex Achaicis ſyluis ab Ægea proconſule exciſſam piſcaretur, ſtudioſiſſimè occupatus. Huiuſce piſcatus deſideriũ Andream à Chriſti ſequela retardaſſet: verum in illius verbis, hoc altè reconditum intellexit, ſibi non poſſe crucis capturam euenire, niſi illius expiſcandæ artem profectò difficilem à rerum omnium Præceptore Chriſto addiſceret. Andreas igitur ſtatim ſequutus eſt vocantem, quem anxijſsimum crucis credidit piſcatorem. Nec quid reliquerat, perpendit, retia nimirùm, & nauiculam, quibus neceſſarium victum perquirebat; immo celeri mentis contemplatione cogitauit, ad Chriſti vocem nihil non relinquendum; quia, quicquid in præſenti vita ſine ipſo poſsidetur, nihil omninò eſt: ſed potiùs, ſi

Chri-

Chriſtus abſit, maximum malum adeſt, ac detrimentum. Iudicauit, retia nequaquàm retinenda, quæ poſt Chriſti vocatum non relicta, verè fuiſſent retia, quæ cor hominis irretitum, paribus animum laqueis irretiſſent. Cenſuit, deferendam eſſe nauiculam, quæ vndis fluctuantibus agitata, totum hominem aſsidua quidem ſolicitudine ob imminentis naufragij pericula excruciaret. Chriſti ſeruitium exiſtimauit rerum omnium vtiliſsimum, nec non maximè neceſſarium; quia multò magis vnius, quàm multorum ſalus ab eo pendet, vnde totius humani generis libertas deriuatur. Secum reputauit vitam anteactam huius ſæculi negotijs implicitam, reatui frequenter ſubiectam, illiuſquè ſarcina oneroſam. Hæc omnia à Chriſto non alia de cauſa, quàm vt crimina deleret, humana carne induto, penitùs abſtergi poſſe, ſibi exploratè pollicetur, quia Ioannem non ſemel de illo concionãtem audierat: *Ecce Agnus Dei.* Si Agnus eſt (ſecum inquit Andreas) vt profectò eſt, non poteſt non mitis eſſe, non manſuetus, non purus. Hunc igitur libens, ac volens ex animo ſequar, vt me ſingulæ virtutes conſectentur. Nòn potero non iuſtus eſſe apud eum, qui totus eſt iuſtitia. Extra aquas, in aquis verſabor, extra illas, inquam, quæ, ſi ad tuam neceſſitatem velis aliquid captare, teraptant, vorant, eſcam piſcibus, fluctibus luſum improſperè futurum. Quæ cum attento animo Andreas agitaſſet, Chriſtum ſequutus, in Apoſtolica dignitate tantum profecit, vt eidem quàm acceptiſsimus fuerit, ob præclaras animi dotes, quæ in illo non ſecùs, ac in cælo ſidera inter denſam huius vitæ caliginem fulgentiſſimè ſplendeſcebant. In ijs potiſſimùm enituit abſtinentia: & ideò non temerè in tam copioſa hominum turba in montem Chriſtum ſequuta, neq; parùm famelica, Magiſtro Philippũ interroganti, vbi eſſet venui expoſitus panis pro turbarum alimento, Andreas non carnes, ciboſq; lautos, & opulentos, ſed ſcrupoſos, nequè aliunde ſuaues, quàm ab hordeo, quinque panes, & duos piſces, apud puerum propoſuit. Propterea non ignorauit (& hoc loco de ipſius Seruatoris prouidentia ſpes non pa- *Io. 1.*

6.

rùm

rùm laudanda)Chriſtum ſcilicet potuiſſe parum illud ſubſtantiæ non modò ad neceſſitatem, verùm etiam ad ſatietatem ſatis ſuperquè affluenter multiplicare. Immo licet, etiam conijcere, puerum panis, piſciumq; cuſtodiæ præpoſitum, anguſtiarum tempore ab Andrea nominatum, vt anſa præberetur Chriſto diuinitatis potentiam referandi, quandò præ hominum multitudine fuit glorioſiùs, & præ temporis opportunitate ſalubriùs. Duos piſces non ſine myſterio obiecit, nempè vt duplicem in Chriſto naturam, diuinam, & humanam non ſine altiſſima theologia edoceret. Panum numero dilucidè expreſſo, quinque ipſius Chriſti vulnera, quibus mortalium animas ad immortalitatem paſceret, denotauit. Puerum panis, ac piſcium cuſtodem dixit, intaminatam illius innocentiam culpæ nulla ætate obnoxiam præſignans. Vnum puerum non plures appellans, in Chriſto ſingularitatem oſtendit, qui in terris nũquàm parem habuit, in vnitate ſubſtantiæ trium perſonarum diuiſionem mirabiliter amplexatus. Cum Andreas iſtius theologiæ ſcientia, quã fides non perplexabilis ingeſſit, etiam poſt Chriſti paſſionem iugiter incorruptam ſeruaſſet, Scythiam, Europam, Epyrum, Thraciam, concionando impertiuit, ne, quod à magiſtro didicerat, cum ſuo detrimento dediciſſe crederetur, nempè publicitùs efferendum, quod in occulto fuerat auditum. Didicit inſeruire Chriſto, & huic corde, animo inſeruiendum nunquã ceſſauit ſuadere. Cùm ſacroſanctum Euangelium memoriæ mandaſſet, illud quaſi adamantino lapidi inſcriptum ſemper retinuit. Dei præceptis, & inſtitutis cœpit obedire, illiſq; obedientiam, imperium iudicauit nulla temporis iniuria collapſurum. Hanc ſententiam ſibi medullitùs inhærentem nouiſsimè in Achaia, non ſinę maxima incolarũ vtilitate, promulgauit, ex quibus, cum plurimos ad Chriſti religionem perduxiſſet, proconſul Ægeas potiùs ſani conſilij egenus, quàm proconſulis munerę dignus, iracundiæ, & feritatis abundans, tantam fidei propagationem non potuit æquo animo ſuſtinere. Idcircò Andreæ concionanti vehementer repugnans,

illius

illius audaciam nouæ fidei obiurgat, minas intentat, ſe prouinciæ præſidem, populi iudicem, regni cuſtodem, legum defenſorem vaniloquus iactat. Andreas verò non oblitus, quod Chriſtus diſcipulis non infrequenter prædixit, eos eſſe quaſi agnos luporum faucibus obijciendos, expreſſionem iſtam libenter amplexus, Agnus eſſe nequaquàm renuit, qui Chriſto Agno coniunctiſſimus adhæſerat. Ea de cauſa Ægeæ Euangelij doctrinam deteſtanti aduerſatur, veræ fidei aduerſantem liberis admonitionibus verberat, illius in prouincia iudicium inſulſum, temerarium, à prudentibus viris reiectum, tanquàm ſibi incommodum, optimis quibuſquè ſcandalum, exemplum ſubditis peſſimum, Deo inuiſum, nuncupare non ceſſat. Hiſce vocibus proconſul, quaſi dæmonis furore adactus, Chriſtum illi obijcit, quippè qui acerbam, ignominioſam à Iudæis necem euitare non potuerit. Apoſtolus irridens, tyranno, præter idololatriam, inſcitiam quoq; aut potiùs inſaniam, contrà obijciendo, recludit, vtpotè illi, qui inter bonum, & malum, turpe, ac honeſtum non diſtinguat: qui neſciat, illud maximè omnium Chriſto profuiſſe, quod non profuit, neque profuturum fuiſſe, ſi profuiſſet. Ægeas iudicauit, Apoſtolum quodammodò loqui pugnantia: quod enim prodeſt, obeſſe non poteſt, & quod prodeſt, ab eo, quod obeſt, longiſſimè abeſt. Profuit, immaniſſime tyranne, profuit Chriſto ſe Iudæorum ſupplicijs non eximere; quoniam eo certè conſilio humanitatem ſubijt, vt mortem, vnde omnium mors dilueretur, ſubiret. Subijt, & propterea à nobis mors abijt; quod Chriſto glorioſiſſimum fuit: quoniam per ſanguinis effuſionem de morte triumphãs, in cęleſtem patriã introiuit, vt per crucis ignominiam ibi exaltatus innoteſceret, vnde in humilem, & abiectam ſerui ſpeciem pro omnium ſalute deſcenderat. Si ſecus, non ſine damno fieri potuiſſet: illud enim erat à fato, nempè à ſanctiſſimæ Trinitatis concilio, vt Chriſtus cadendo ſurgeret, cedendo vinceret, moriendo viueret, mortem noſtram propria morte deſtrueret, per ligneum crucis pontem ad perennem gloriam commi-

gra-

viam, & rationem rebus ſuis iam deſperatis conſulendi. Hortatur, vt tempori pareat, ætati proſpiciat, ſeniliter ſapiat, exemplo ſuo alios doceat Ioui cultum non adimere, vnde, quicquid eſt cunctis mortalibus auxilij, qualibet alia ſpe, velut inani omniſſa, non minùs ad publicam, quàm ad priuatam vtilitatem licet præſtolari. Statim intellexit ſenex prudentiſſimus, ſe circumuentum peccatoribus, qui homines lactant ad corruptelam. Cognouit, illuc tendere artes tyranni, vt velit Chriſti ſeruitio abdicare: ſed, quoniam Euangelio firmiter inhærebat, reſpondit, ſe nullum deum agnoſcere præter Chriſtum, huic ſingulis diebus ſacrificium incruentum offerre: illinc ſperandam culparum veniam, vnde vniuerſum genus humanum ſalutem reportauit: alios deos hominum eſſe deliramenta, nugas, gerras à tyrannis inuentas, vt Chriſti fidelium mentes in errorem inducant. Hoc vnum ſibi propoſitum, perpetimq; retinendum, mortem idolorum litationi præoptare, vitam nihili apud ſe eſſe, niſi quæ Chriſto coniuncta ſit. Inde non ceſſat Chriſtum ipſum, nulla capitis periculi ratione habita, dilaudare; immo glorioſum exiſtimat vitam profundere in illius honorem, qui maximum honorem duxit æterni Patris obſequio crucis ignominiam ſuſtinere. Tunc proconſul deorum cultus apud Andream aſpernatione concitatus, Apoſtoli vitam aſpernatur: quem, Chriſtum aſſiduis encomijs extollentem audit, hunc ei ſimilem facere decernit, ratus crucis intuitu mœrentem fore, quem illius nomine audierat gloriantem, hominiſq; ætatem iam annorum contritam pondere, tanti ſupplicij pondus difficillimè laturam. Interea illum arctiſſimis vinculis detinet, ſi fortaſſe, dum neruo diù, noctùque cuſtoditur, Euangelij promulgandi libertatem non ampliùs adhibeat. At in vinculis libertatem agnoſcit, totius populi erga ſe beneuolentiam expertus, à quo procul dubio carceri exemptus eſſet, niſi hunc ipſum precibus à liberationis molimine retardaſſet. Maluit Andreas vinctus ſeruire Deo, quàm tyranni ſuaſionibus victus, inferorum principi ſacrificare. Rebatur animum obambulationibus

Digitized by Google

relictum, ſi corpori ceteris rebus amotis, tantummodò vincula relinquerentur. Idcircò populum rogat, vt, ſi conſultum ſibi velit, aliud conſilium capiens, occaſionis opportunitatem ſatis deſiderio ſuo faciēdi diuinitùs oblatam nō intercipiat, pro comperto habens, illum non timere tyranni immanitatem, qui optimè ſciret propriam cauſam ſine detrimento defendere. Vitam, inquit Apoſtolus nihili æſtimans, mortem pro Chriſti fide iam diù exopto. Non ſatis duco ad ſalutis adeptionem Chriſto, dum viueret, ſeruiſſe, niſi poſt illius acerbiſſimam paſſionem rediuiui ſacratiſſima vegiſtia calcauero. Meus Magiſtri cruciamentorū, neciſq; ploratus meam in illum dilectionem atteſtetur. Sed nihil proſunt amicorum lacrymæ, niſi eaſdem (cum adeſt occaſio) etiam res ipſæ conſectentur. Maiorum noſtrorum merita nullo ſublimiori encomio efferuntur, quàm ſi hæc eadem ſtudioſiſſimi æmulemur. Vtinam Ægeas tantum ſaperet, vt animum, & corpus meum omnipotēti Deo offerret. Vtinam mihi crucis ſupplicium liberaliſſimus obijciens, odij in me concepti à ſe abitionem oſtenderet. Si me cruci addixerit, inde illius in me amorem, non falſus, coniectabo, & pro iſtius beneficij remuneratione (quia nihil, quod par ſit, apud homines reperitur) eiuſdem memoriam apud poſteros perennitati commendabo. Interim, vt non nihil grati animi exhibeam, alteram laboris partem illi ademero: dum ipſe corpus meum in cruce obtulerit, ego animam à cruciatibus alienam immolabo. Vos deſiderij mei exitum (ſi vultis) potiùs adiuuate, aut ſaltem in hiſce catenarum tenebris, vbi lucem fulgentiſſimam aſpicio, derelinquite. Quid mirum igitur, AA. ſi Andreas ad proconſulis conſpectum iterum accerſitus, ab Euangelij promulgatione, & pleniſſima crucis laude non ceſſauit? Qui verè fortis eſt, in rebus aduerſis non modò ex conſueto animi robore nihil amittit: ſed etiam ipſum magis augendo, illucuſquè proficit, vt poſſit ad ſummum honoris faſtigium deuenire. Andreas per longæuam ætatem experientia ſapientiſſimus, cum multas orbis terrarum regiones ad Chriſtianæ fidei propagationem

nem peragraſſet, in vincula coniectus, ſingula tormentorum genera animo ſibi impauidus obiectauit, quæ omnia, nihili quidem pro cæleſtium bonorum adeptione æſtimabat. Se incolumem rebatur, ſi periret: contra verò perire, incolumis ſi eſſet; quinimmo ſalutem ſibi non aliundè profecturam ſperabat, niſi à ligno crucis, in quo Chriſtus humani generis factus eſt ſalus, pro eodem, conclamantibus Iudeis factus maledictum. Proconſul valdè ſolicitus, vt non minùs ſuo, quàm Apoſtolij deſiderio indulgeret, in crucem extolli iuſſit, quàm Andreas innumeris laudibus afficere non dubitabat. Deſiderauit Apoſtolus cum Argo totus oculeus eſſe, vt iam diù optatæ crucis aſpectu opulentiùs frueretur. Voluit eſſe Briaræus, vt hanc ipſam centimanus firmiori amplexu retineret. Generoſum facinus cenſuit ibi ſenectam conterere, vbi Chriſtus ſacratiſſimam ætatis plenitudinem confecit. Gloriabatur vitæ finem imponere, vbi Chriſtus moriendo, nobis principium fecit æternitatis. Nauiculæ poſt Domini voces aſpernationem eò magis commendauit, quòd nauim Argo inuenerit, qua vectus ad aurei velleris in cælo collocati prædam ſe conferret. Crucis arborem cum ſycomoro, vbi Zachæus Chriſtum prætereuntem vidit, prudenter conferens, feliciorem nominat, vnde illum poſſit non inter Iudæorum turbas ambulantem, ſed inter Beatorum ſpirituum choros perenniter ſtãtem ſuſpicere, optimæq; oliuæ (quoniam crux ex oliua exciſſa fuit) inſertus non minùs, quàm Zachæus, optimos legis fructus afferre. Hanc ipſam rogum dicit, in qua fœnicis exemplum ſequutus, in iuuentam æternam commutabitur. Palmam appellat, ex qua iuſtitiæ fructus lætiſſimis manibus decerpet. Eam deniquè, geſtientibus vlnis amplectitur, vt, quam ore indefeſſo laudauit, hanc ſibi acceptiſsimam indefatiganter demonſtret. Lignum ſuo contactu ſanctificandum labia amplexando, oſculabantur, brachia oſculando amplexabantur. Illud labijs fuit in querimonis, quòd cum brachijs non poſſent viribus decertare; hoc tamen non parùm læta, quòd plus fidei ſibi, quàm alijs ad caritatis indicia tribuendum

dum ſperarent. Certamen eòuſq; proceſſit, vt ſingula corporis membra ad armorum arreptionem compulerit. Pes ad celeritatem confugit, genu ſe flectit, pectus æneum patientiæ thoracem induit, gena purpuraſcit, micat digitus, erigitur capillus, lingua ſemper magis acuitur, os diù, noctùque aperitur, auris nunquàm occluditur, ſanguis è venarum ſede, quaſi egreſſus inſpicitur: quicquid præcordiorum eſt, Ætnæo amoris igne inflammatur, mens, animus, cogitatio incenditur. Sic totus Andreas ſanctiſsimæ crucis venerationi dicatus, ne fruſtra ſit, illic conglutinanter affigitur. Ex adeò arcta coniunctione vtrinq; manant non obſcura indicia caritatis. Andreas non parùm lætatur, ſibi crucis piſcatum ſub Chriſti diſciplina contigiſſe: gaudet crux ipſa humeris ſuis Heroem ſuſtinens, cuius fama plurimum ſibi decoris ſit allatura. Gaudet, illud ſibi fato inditũ, vt eius membra ſuſtineat, qui temporis anticipatione in ſacroſancto diſcipulorum Collegio primarium locum meritiſſimè tenebat. Lætatur Andreas, ſe aliquando tandem intelligentia aſſequutum Chriſti pollicitationem non minùs obſcuram, quàm exitu ipſo comprobatam: *Faciam vos fieri piſcatores hominum:* conijcit nanq; crucem futuram ſibi hamum, quo in huiùs vitæ pelago omnium vaſtiſsimo plurimos ad Chriſtianæ fidei confeſsionem expiſcabitur. Crux multùm exultat, ſe ex oliuæ ligno ſciſſam eſſe, vnde Martyris membra oleo vbertim perfuſa cum ſupplicij acerbitate robuſtiùs colluctetur. Iterum gaudet Apoſtolus, ſe per crucem, quaſi per Iacob ſcalam, aſcendentes, ac deſcendentes Angelos aſpicere: illos, vt in pœnis alleuamentum, iſtos, vt in cæleſti itinere ductionem exhibeant. Crux nihilò minùs lætatur, ſe cathedræ honorem geſtare, vbi Chrriſti diſcipulus ad vniuerſum populum de vera religione omnium ſaluti neceſſaria concionetur. In huiuſmodi gaudiorum velitatione, cum alter alteri nihil concedat, ſed amor potiùs ad ſui auctionem hinc; inde alimentum accipiat, crux illud ab Andrea fauoris loco poſtulat, ne breui temporius ſpatio adeò dulci, ac ſuaui onere priuetur: quia ſicut ex pondere non

Matt. 14.

pa-

parũ leuaminis ſentit, ſic contra ex oneris leuamine ponderis additamẽtũ habet. Tantùm abeſt, vt Andreas à poſtulatione diſſentiat, vt potiùs ſibi gratiſsimã affirmet; immo operepretium ducit pugnam in ambiguo non relinquere, ſed magis vtrunquè in eam ſententiam conuenire, vt victoriæ gloriam cum ſuo detrimento amittat, qui ſociũ iam ſibi loco, ſed multò magis ſtudio arctiſſimè coniunctũ, vel quaſi ſegnis viribus defatigatus, vel quaſi nõ verè amans, coniũctionis dulcedine faſtiditus, & ideò tàm nobili triũpho indignus, prior derelinquat. Viciſſim placet cõditio, immobiliter ſtatur, alter alterum, quàm arctiſſimè poteſt complectitur, in Andrea per biduum ipſum de Chriſtiana fide ſermo facundiſsimus innoteſcit. Quàmobrem hac pugna perduellium robore plurimùm nobilitata Sũmus de ſummo Imperator Deus, quàm maximè eſt oblectatus: & ideò, cũ apud mortales nihil adeò firmum, & conſtans reperiatur, quod temporis iniuria finem aliquandò non attingat, perduelles in cæli arenam, vbi ſine inuidia, aut odio certamina nunquàm deficiunt, appellauit. Pugnatores ſtatim obſequuntur, immo, quòd alter de altero in ipſa pugna mutuò ſit triumphaturus, inuicem gratulantur. Poſt biduũ Andreas appellatus ad ſuperos, viam ingreditur: hanc ipsã crux non poſt ſenem, ſed cum ſene ipſo lætiſsima ingreditur, ambo, Angelis obuiantibus, inter *Beatorum* applauſus in cæleſtem patriam recipiuntur. Ad iſtam eximij amoris luctam non oculos, animos à vobis appello, AA. Contemplantes ſuſpicite Andream tormentorum inſignia non minùs auidè amplexantem, quàm Crucem in Apoſtolo gloriæ decus, ſplendore fulgentiſsimo exornantem. Martyrij inſtrumenta Martyres in cælum inſequuntur, non inſequitur martyrium. Iſtud breui ceſſauit, quoniam quilibet Martyr illius acerbitati nunquàm conceſsit. Ea verò nullo tempore à publico ſui conſpectu deſiſtent; vt inde amicis æternæ felicitatis præmium augeatur. Quam diù Andreas crucem aſpexerit, immortales Chriſto gratias aget, quòd inter homines illius mortem libentiſsimè imitatus, incorruptibilem cum *Beatis* mercedem

inue-

inuenerit. En huius ſæculi ærumnarum fructus, AA. en inuictæ patientiæ præmium: en ſors Sanctorum, quæ per ignem, & aquã non diù concuſſa perpetuum, diuina gratia auxiliante, conſequuta eſt refrigerium. Licet iſte ignis nos vrat, non tamen exuret: quanuis hæc aqua nos perfundat, non tamen offendet. Si turba, inquam, calamitatum obruamur, non opprimemur. Vt non ſecus contingat, cum Apoſtolo Andrea ſanctiſsima Chriſti veſtigia (quod hominibus licet) conſectemur, vt cum ipſo crucem ferentes, miſeriarum peſtem in perpetuam fœlicitatem conuerſam experiamur.

S. Stephanus lapidibus torrentis obrutus.

ORATIO XXIII.

QVod alijs etiam dicendi arte peritiſſimis non infrequenter accidere conſueuit, vt multum timoris percipiant ex rei magnitudine, quã orationis argumentum ſibi propoſuerunt, mihi inter rhetores (ne veritatem diffitear) minimo, maximè verendum exiſtimo ſimul, & perſentio: ſermonis nanquè materia, quã hodierna die per cæleſtes zonas recurrens, nobis obijcit agitandam, non eſt exigua; ſed (quod pauorem auget) difficilis, ſcrupoſa, lapidea. Aurium veſtrarum pietas, AA. eximiæ benignitati coniuncta, ipſius rei duritiem frangere, lapides (ſi velit) facillimè poteſt emollire. Stephani extra vrbem Ieroſolymam à Iudæis martyrium nobis ſe ſe offert breuiter explicandum, lapidibus certè duriſſimis opulẽtum. Lapides fuerunt martyrij inſtrumenta, ipſe Protomartyr lapis, lapides Iudæi, qui crudeli ſupplicio oculis fauendo, ſingulis indulgebant viribus, & conſilio pariter duriſſimi, quoniam ab omni humanitatis ſenſu alieni. Et ſi nobis religioſa

curio-

curioſitate illectis illud libeat inueſtigare, quinam inter iſtas lapidum ſpecies, duriſſimus lapis innotuerit, ſic taciti nobiſcum, obſecro, colloquamur. Lapides ſui natura duri, tortores per inuidiam lapidibus (non enim illos adeò acerbè onijcere potuiſſent) duriores, omnium verò duriſſimus Stephanus, cum lapides, qui; à conijcientium ſæuitia adamantini videbantur in ſe, quaſi cateruatim ingruentes, ſanguinis effuſione confractos, aſtantium oculis obſtupeſcentibus, obiectaret. Hebræorum feritas ad inuidiæ flammas ebulliens, poſt glorioſiſſimam Chriſti Reſurectionem, illos potiſſimum efferbuit, qui legem Euangelicam triplici clauorum ſtylo, ſacratiſſimi cruoris atramento in crucis ſolio exaratam, Moſaicæ legis abrogationi promulgatam, humanis generis ſaluti neceſſariam prædicabant. Inter iſtos præſertim cenſebatur Stephanus morum innocentia cunctis non ſolùm notus, ſed etiam aſſidua in Chriſti præceptorum exercitatione admirandus. Audierat vir ſapientiſſimus, æterni Patris Filium humana carne indutum non alia de cauſa mortem ſubijſſe, niſi vt, poſt hominum redemptionem, iaceret fundamenta Eccleſiæ militantis, cuius ipſemet angularis lapis malleo percuſſus, lanceæ, & clauorum ſcalpris excultus, vt altera, nempè triumphantium, extrueretur in æuum ſempiternum glorioſa. Ad hanc ipſam rem animo ſecum recolebat illud à Chriſto Petri auribus expreſſum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, indequè anxius cupiebat, vt hæc fabrica proprij ſanguinis calce ſupremi Architecti opera connecteretur. Cupiditas haud falſa; immo finem ſuum feliciter ſortita eſt. Stephanus enim lapis fuit in fundamentis primarius angulari omnium maximè proximus, quippè qui ſanctiſſima Chriſti veſtigia, martyrij pœnas æquanimiter ſuſtinendo (vt cunctos homines eidem ſimiles fieri poſſe ſuimet experientia, haud obſcurum exemplum exhiberet) non indiligenter calcauit. Hinc facilè colligitur. Stephani excel- *Matt. c. 16.*

len-

lentia, quòd illius martyrij laurum cæleſtis Agricola apud filij palmam ex Iudæorum perfidia, immo ex peccati improbitate, ac dæmonis ferocia reportatam in ſupremo viridario plantauit: Neque planta videri debuit inepta, inconcinna: vbi enim ſe ſe extulit Saluatoris noſtri palma, ibi etiam Stephani laurus ſpecioſiſſima pullulaſcit, proprio ſanguine adeò affluenter irrigata, vt foliorum viriditatē nullo Aquilonari flatu ſit amiſſura. Hinc non obſcurè percipimus, viris ſanctis nomen diuinitùs inditum. Stephanus nanquè non temerè dicitur corona; vtpotè qui, cum de hominibus inimiciſſimis victoriam retuliſſet, omnium primus lauream coronam poſt Dei filium eſt aſſequutus. Lauream coronam dixi, neque erraui, cæli iracundiæ penitus immunem. Merito igitur coronæ corona datur, Stephanus triumphans, cæleſte Capitolium ingreditur. Sed iſtius coronæ adeptionem attentis, quæſo, animis recogitantes, ipſum triumphum, religionis ſuaſu, meriti menſuram perpendamus. Datur corona vigilantibus, non dormientibus: extincto prælio triumphant victores. Stephanus autem (qua exemptione haud ſatis aſſequor, certè meritorum magnitudini adſcribendam. exiſtimo) & vigilans, & dormiens, coronatur: enimuerò ad Chriſtianæ fidei propagationē doctrina, exemploquè, tam aſſiduè vigilauit, vt cunctis rebus tanquàm nullius momenti, ſtertens, profundiſſimè dormiret. Ne huiuſmodi ſomno diù conſepultus iaceret, Iudæorum turba iucundæ quieti inuidens, ſaxorum crepitantium turbine dormientem excitare conata eſt: at ille fragori licet vehementi obſurdeſcens, dulces fidium voces, ſuauem concentum, qui ex diſcordi ſaxorum magnitudinne concordem muſicam creabat, in ſomno, non tamen ſomnians, audire viſus eſt. Quàpropter illecebris irretitus, quò longiorem ſomnum capiebat, eò prolixiori tēporis ſpatio ad exactam muneris functionē vigilabat. Cum res ita ſit, dormiens, vigilando, & vigilans dormiendo, verius

riùs ſemper vigilauit: quoniam ex ſomno inter beatos ſpiritus vigiliam traxit ad lucernã, quæ Agnus eſt, ne grauiſſimis quidem mortis flatibus extinctam; quinimmo in mortis horrore magis, magiſq; accenſam in graui ſomno vigilaturus. Hinc, inquam, meritò coronam accepit, qui poſt Chriſtum paſſum non interpellatæ vigiliæ, & orationis præceptorem, ad dæmonum inſidias euitandas, indefatigatis oculis vigilauit. Si coronam libet auream nominare, liceat quoque in Stephano prudentiam concedere, qui, vt faciliùs ipſam inueniret, in Ieruſalẽ agris diligenter quæſiuit: & quia damnoſam ab aliquo caſu aduerſo cunctationem timebat, Iudæorum auxilio lapidario terreſtri Ieroſolyma, libenti animo depulſus eſt, vt cæleſti, ad quam impatienter anhelabat, felici euentu potiretur. Illic arborem aſpexit inter ſaxa vireſcentẽ, cuius aſpera folia, amaras baccas præſentiens, ita ſecum ipſe tacitus loquebatur. Cibus, qui nimiùm ſapit, aliquando occidit: qui ſecum amaritudinem habet, hunc ſanè dulcedo conſectatur. Hæc eſt materia coronis quàm maximè congrua: hac ipſa olim vtebantur Imperatores, nec non ſtrenui milites: hæc veræ fortitudinis, hęc magni roboris eſt indicium. Illinc conſtet mea corona, quæ omnium oculis expoſita, non modò gloriam in certamine comparatã oſtendat, ſed etiam alijs glorioſè pro Chriſto belligerandi deſiderium ingerat. Is ſummoperè delectatur illorum victoria, qui ſanctiſſimi nominis ſui gloriam in prælij acerbitate ſibi propoſitam, iugiter contemplantur. Si hanc ipſam coronam auro contextam dicamus, vbinam obuiam facta eſt Stephano, ſeu potiùs vbinam coronæ obuiam factus eſt Stephanus? Aurum (quod optimè noſtis) AA. in terræ viſceribus enutritur, vnde qui eo potiri deſiderat, fodiendo laboret, eruendo inſudet, neceſſe eſt. Non ignorabat Stephanus, hominem ex humo creatum nihil aliud eſſe, quam humum: ſe ipſum igitur aſſiduis ieiunijs potiùs fodiens, quàm delicijs animum corrumpentibus fouens, immo tanto labori non ſuppetens, corpus Iudæis ſaxorum ligonibus, vt aurũ exciperet, fodiendum commiſit. Nihil abfuit

ex illorum improba opinione, quin ipſum (huc enim eorum aſſi-dui labores tendebant) amiſerit: ſed re vera totum aliud accidit; quoniam omnipotenti Deo, cui nihil non boni acceptum referebat, ſe ipſum nihil omninò violatum, licet innumeris lapidibus oppreſſum, quin tot prætioſiſſimis gemmis ornatũ repoſuit, quot plagas ab impijs perſecutoribus accepit. Itaq; non mediocri encomio dignum cenſeamus gratum animum apud illum, qui rem ſibi liberaliter commodatã longè reſtituit meliorem. Hinc meritò coronatus eſt, meritò triumphauit: coronatus eſt in vigilia, triumphauit expugnata victoria: coronatus fuit legitimè, quia decertauit athleticè: honeſtiſſimè triumphauit, quia glorioſſime vicit: in cæleſte Capitolium non ſine ingenti pompa introiuit, quia cæli Regem in ſolio ſtantem, vt ſuppetias afferret, inter lapides ſuſpexit. Illic non Ioui Feretrio ficto Deo, ſed viuo, & vero ſacrificiũ offerens, pro victoria de hoſtibus parta immortales gratias egit. cõgiarium populo ſaſtorum in terris ſpectatori demiſit, cum omnibus nunquã ſatis laudata pro Chriſto patientiæ exemplum reliquiſſet. Lætiſſimos deniq; omnium applauſus excepit, quem Angelorum cœtus communi ore Chriſti Protomartyrem prædicauit. Fuit Stephani corona multis pretioſis lapidibus circumuenta, quorum nimio fulgenti conſpectu (ne oculus deciperetur) lux è cælo affulſit, vnde non fucatum eorundem pretium eidem lapidibus obtecto appareret; quinimmo ipſi lapides ad ſanctiſſimi corporis conſtatum fulgore tam accenſo ſplendeſcebant, vt illinc horridæ apud Iudæos tenebræ faciliùs cernerentur. Illis tamen non viſæ ſunt, qui, cum veſpertilionum naturam induiſſent, veri luminis teſtimonium, Ioannem ſcilicet, auerſati, verum lumen Chriſtum multò illibentiùs conſpexerunt. O quàm clarè, quàm dilucidè palàm factus eſt Stephano, cui ſaxorum turbà cæli fores ampliſſimè reſerauit! Quid mirum igitur, ſi lapides Protomartyri dulces, ac ſuaues contigerunt? Sed dulcedinis, & ſuauitatis cauſa non ſimplex. Malorum omnium tentator diabolus, cum Dei Filium in deſerto ieiunantem vidiſſet, vt la-

pides

pides in panes verteret, inſaniſſimè poſtulauit. Chriſtus autem prudẽtiſsimo reſponſo hoſtis impudentiã deluſit: quaſi tacitè innuiſſet, ſe velle iſtud, quicquid mirum eſſet, ſeruorum ſuorum meritis efficiendum relinquere: aliquando enim futurum erat, vt validiſſimis illorũ precibus ſaxa in panes conuerterentur. Neq; diù abfuit, cum Stephani rogatu torrentis, lapides in iſtos, & quidem ſuauiſſimos commigrarunt: vnde Eccleſia orthodoxa Stephani laudes pro gratulationis officio complexa, iſtud potiſſimũ canit lætabunda: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Adeò, inquam, dulces, & ſuaues, vt (quemadmodum apes arborum ramis cohærentes, ſonitu audito, natura duce, in aluearia velociſſimè redeunt) non aliter iuſtorum animæ huius vitæ delicijs Stephani exemplo abdicantes, ad rerum cæleſtium deſideria conuertantur. Et ſi alteram in Stephani lapidibus dulcedinis cauſam perquiritis, A A. nunc paucis accipite. Quos Eccleſia in Diui noſtri martyrio lapides torrentis appellat, ijdem olim aqua fuere: cum verò hæc ipſa Iudæorum inuidiæ gelu obrigeſceret, lapidis duritiem indutam demõſtrauit. Præterea huic aquæ multum inerat amaritudinis, quam myſticus Vnicornis, vt ad Gethſemani hortum ſe conferret, attingens, in dulcedinem conuertit. Si enim calamitates, Chriſti exemplo, patienti animo tolerentur, tantùm abeſt, vt graues, aſperæq; appareant, vt dulces potiùs, ac ſuaues experimenti beneficio videantur. Quàm libenter, quàm promptè Stephanus ſaxorum iactus à ſingulis perſecutoribus ſuſtinuerit, nemo profectò eſt, qui ignoret: vnde ſuperuacaneum cenſetur ingentem illius tolerationem commendare, ad cuius laudem ſatis fuerit Eccleſiaſticum illud ſæpè, ac ſæpiùs repetere: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Cum Protomartyrem lapidibus obrutum contemplor, ſtatim ſeſe animo obijcit aurificis imago gemmæ ſibi oblatæ pretio potituri. Is, quoniam intellexit iſtarum rerum mercaturam hominum frequentia præpediri, tumultus ciuicos auerſatus, Ieroſolymam reliquit, vt vbi minor eſſet numerus hominũ, inde maior ſibi iam diù optatæ em-

ptionis fructus conſtaret. Igitur Iudæorum iracundia in lapides conuerſa, extra vrbem expulſus, commodiorem emptioni locum inuenit. Gemmam omnium, quotquot humanos oculos ſubeunt (addo, etiam quot quot in terræ penetralibus deliteſcunt) præſtantiſſimam animi ſalutem nomino, cuius pretium, ſi perquiratur, difficillimè poteſt inueniri. Olim à peregrino mercatore, cui ſummoperè placuit, pretium recepit, ſanguinis vitæq; ab illo amiſſione. Hanc mercator emit, in ea mercaturam exercet, multumque ſibi pro illa ſolutum cenſet, ſi tuam voluntatem, quæ ſoluta eſt, à te voluntati ſuæ, contra recipiat, penitùs addictam. Stephanus, cognito gemmæ venui iam expoſitæ pretio, hanc ipſam ſibi inter lapides emere feſtinauit, quorum ſinguli verè Lydij fuerunt; vnde illius æſtimatio, non omnium oculis obuia, meridiano ſplendore clarius præfulgeret. Senſerunt Iudæi, quorum liuor etiam minimum quodque ad ſui angorem acriter ſentiebat, huius gemmæ pretium a Stephano Ieroſolymis agitari: verum animis exoculati, illam vitreum lapillum iudicantes, quoniam in ipſorum perfidiæ cœno diutiſſimè iacuit cõſepulta, prætereuntium pedibus calcata, ſanctiſſimum virum illius æſtimatorem non ſanum, potiùs dementem, aut verè improbum deceptorem appellabant; quippe qui vellet per fictæ gemmæ venditionem imperitos homines in errorem inducere. Ille non dubitauit de pretioſo lapide publicam cum Iudæis quæſtionẽ exercere, ad quam ſurrexerunt de ſynagoga Libertini, Cyrenenſes, Alexandrini, Cilices, atque Aſiatici, Protomartyris ſententiam improbantes. Quæſtione in longum producta, adeò tamen, vt aduerſarij non poſſent reſiſtere Stephani ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur, ne iſti etiam diutiùs deblaterando, tempus lacerarent, is conſilium cepit gemmæ pretium, quod illi non rectè inſpiciebant, diuini aurificis iudicio relinquendi: vt ipſi erroneam opinionem relinquentes, emptionem quàm maximè commendarent. Ob id videns, cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei, vidit veram aurificinam, vbi non deſunt Za-

phiri,

Digitized by Google

phiri, adamantes, berilli, topatij, pyropi, & inquit: Filius hominis, qui haſce gemmas ſummo iudicio, nec minori laude congeſit, de iſta iam diù examinata ſententiam ferat. Quoniam cæleſtis eſt, è cælo de ipſa iudiciũ expectemus. Hebræi, huiuſcemodi vocibus auditis, diſſecabantur cordibus, fremebant dentibus, tanquàm tygrides impauidi ſermonis ſonitus cum ſui ipſorum dilaceratione impatientes. Stephanus illud omnibus conabatur ſuadere, vt pro animi ſalute cælum ſuſpicerent, vt potè qui eiuſdem ſedibus occupandis conditi eſſent. Cum illinc lumen expectandum prędicaret, infidelitatis horrore circumſeptis, illud tacitè quodammodò innuebat. Vos, qui filij Dei, quàm diù inter nos fuit, lumen iniquè tenuiſtis, id ipſum ab eo, qui moriens, mortis imperium deuicit, peccati vires eneruauit, inferorum poſtes confregit, dæmones expugnauit, opima ſpolia reuexit, non ſegnes poſtulate. Si hanc lucernam, quæ licet lumen de lumine, refulſit (quoniam diuinitate filius Patri æqualis fuit) in crucis candelabro extinguere fruſtra poſtulaſtis, eidem hodie apud ſuperos rediuiuo nihilominùs, quàm ab æternitate, quin immo (ſi humanitatem aſſumptam reſpiciamus) magis in poſterum ſplendeſcet, credentes ad veſtræ peruicaciæ confiactionem, humiles colite; vnde huius inæſtimabilis gēmæ pretium à Chriſto non minoris ſe ipſo æſtimatum tandem aliquando intelligatis. Is precibus meis frequenter inuocatus, quamuis longiſſimè abſit, nunquàm tamen citiſſimus non adfuit, ſecundis caſibus ornamentum, aduerſis auxilium allaturus. Hiſce admonitionibus in acerbiorem iracundiam concitati, illius rebus geſtis ſupra mediocritatem admirandis, immo prodigioſis oculo ſubiectis veræ fidei expertes, debitam omnium ore fidem negant, vtq; manu, linguæ exemplo veritatem deteſtantes, rebus ipſis mendacia loquantur, lapides coniiciunt in Stephanum, tanquàm nebulonem, falſiloquum, impoſtorem, eumq; non obruunt modò, verùm etiam conſepeliunt. Illi robuſtiſſimis membris acerrimè propulſati, impetu ſuo cælum pulſant, & Protomartyri tormentorum

nube

nube obducto ad fiduciæ acceſſionem, manifeſta Beatorum gloria pateſcente, reſeratum oſtendunt. Illinc valdè præmunitus, lapidum iactus à validiſſimis iaculatorum manibus ſuſtinebat, ſeu veriùs, lapides ipſos ad corporis adamantinam firmitudinem referentis repercuſſionem circum ſe honoris, & obſequij cauſa concidentes, intuebatur. Præterea aliud quidpiam longè prodigioſius animo libens contemplor. Iſti lapides natura duriſsimi, durioris tamen apud Stephanum pectoris viribus emolliti, eidem genibus flexo mollium quidem ceruicalium officio fungebantur: cuius rei cauſa, non tam robuſto iacientium impetu, quàm ſanctiſsimum corpus contingendi deſiderio in Stephanum ferebantur, non ſine tanta fiducia, vt à ſanctiſsimi cruoris purpura pyroporum naturam induerent. Ille, vt beneficij magnitudinem ſibi gratam demonſtraret, poſt oſcula, & amplexus vobis, inquit, laudes, & gratiæ lapides pretioſi, quibus mihi, non ſecus, atq; tormentorum bellicorum globis munitiſsimam cæli arcem expugnanti, & illuc, inuitis certatoribus meis, gradatim aſcenſuro, ſcalam conſtruendo, decertaui. Per ea verba ſuimet perſecutoribus à Deo peccati veniam per feruentiſsimas preces tanta quidē hilaritate poſtulauit, vt hæc ipſa in ſingulos corporis artus affluenter diffuſa, Chriſti imitatorem grauiſsimo ſopori, qui mortis ſpeciem referret, commiſerit: enimuerò ad Deum conuerſus, non tam mox pro lapidantibus pronuntiauit: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*, quàm mox lætus à temporaria morte ad ſempiterni æui poſſeſsionem euolauit. Hinc Protomartyris fortitudinem animis veſtris coniectando, AA. cum ſaxorū, & iaculatorum ſimul duritie comparatam, omnium ſolidiſſimam appellate, quæ in duriſſimo eorundem aceruo dulcem quietem inuenit, nullo tempore perturbandā. Illud à fato, nempe à Deo ſanctis viris datum veriſſimè credimus, vt eorum obitus non mors, ſed magis propriè ſomnus nominetur. Vnde Stephani ſoporem morti ſimilem appello; quia ipſius mortem, verè ſomnū licet nuncupare. Dormiunt in morte etiam impij; verùm adeò

Act. c. 6.

ſom-

ſomniculosè, vt nihil fiduciæ in iudicio, neque in conſilio iuſtorum reſurgendi cõcipiant. Stephanus inter lapides obdormiuit, & lapidũ ictibus ex ſomno breuiſsimo reſurrexit. Illius quidem paſſio ſomnus ſuauis fuit, quoniam profundus, dum inter nos paſſus ictu oculi citiùs cælum, triumphans, conſcendit. In terris humillimus genua inclinauit: quem in cælo ad ſuppetias ferendas, ſtantem coluit, hunc ipſum in cælo, terriſq; perpetuò colendum edocuit non ore tantùm, ſed etiam corde, & opere: nihil enim egit, dixit, cogitauit, quod omnium Principis ſeruitium, & ſeruientium animi ſalutem non reſpiceret. At ſatis fuerat ex duobus alterum reſpicere: enimuerò, qui Deo inſeruit, animi profectò vtilitati conſulit: quilibet animo proſpiciens, Deo rem gratam facit, cum nihil impenſiùs deſideret, quàm vt homines accerbiſſimæ paſsionis ſuæ fructu non abutantur. Ingrati animi vitium apud abutentes (quorum numerum, dum cruci affixus penderet, non exiguum præſagiuit) tanquàm poſt vltimum ſupplicium, illud etiam ceteris profectò atrocius ſuſtinendum ſupereſſet, non parùm mœſtus ab æterni patris præſentia auxilium non ſecus, atq; imminenti dolori dellaſſata iam membra non ſuppeterent, madidis oculis flagitauit. Ab iſto vitio Stephanus longiſsimè abfuit, qui non ſolùm omnium Seruatorem ex animo coluit, verùm etiam illius exemplo didicit tormenta forti animo ſuſtinere, & quod pluris eſt, ipſis tortoribus, dum belluinam feritatem inhumaniùs exercerent, peccati veniam exorare: quanuis enim ſaxorum fragor valido impetu cælum verberaret; nihil tamen Stephani vocibus, quominùs Dei aures contingerent, repellendis ſuffecit. Non mirum, AA. non mirum, licet iure optimo videatur monſtruoſum, ſi vox Stephani ænea ex æneo pectore ignitæ caritatis viribus emiſſa, ſaxorum frequentiam ſimul, ac ſtrepitum ſuperauit, ideòq; non potuit diuinam iuſtitiam in ſui hoſtes armatam non emollire. Ecquid, obſecro, Saulum Stephani martyrio, dum veſtimenta cuſtodiret, aſſentientẽ, & ob id in ſingulis perſecutoribus perſequentem, Paulum effecit, lupum

in

in agnum, prædatorem in prædam conuertit, niſi preces Stephani ex cordis penetralibus prodeuntes? O imitationem Dominici exemplaris cunctis certè partibus abſolutam! Chriſtus in ipſo crucis patibulo pro crucifixoribus citiſsimam Longini conuerſionem impetrauit: Diuus noſter Saulum ad pœnitentiam, cum perpetua Eccleſię militantis vtilitate, ac triumphantis ornamento, feliciter pellexit. Quàm verè, quàm etiam accommodate nobis ad Deum conuerſis illud Stephano licet aptare: *Deſiderium cordis eius tribuiſti ei: & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum:* quod enim cor concupiuit, labia expreſſerunt: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*; in Saulo, quippequi in ſingulis lapidantibus fuit, ſingulis lapidantibus liberaliter exorauit. Hinc facillè coniÿciamus incredibilem Stephani fortitudinem, qui ſe ipſum vincendo, lapidum, & iaculatorum ſimul, qui validiſsime fuerunt, robur ſuperauit. Ecquis igitur in illius laurea corona ſingulas coronarum ſpecies non agnoſcat? Ecquis illum non modò ouatione, ſed etiam triumpho dignum non exiſtimet, qui non ciuitates, & regna temporis iniuriæ ſubiecta, ſed cęlum æternitate firmiſsimum, non ſtando, genua flectendo expugnauit? Sic fortiſsimi quique imbecilli, debiles verò omnium ſunt robuſtiſſimi. Robur quod ſolidum eſt, animo potiùs, quàm corpori inhæret. Poteſt quiſpiam dum victus in terris, pedibus calcatur, virtutum meritis cæli orbes victor calcare. Stephanus extra terreſtrem Ieroſolymam lapidibus vulneratur, dum eadem cæleſti verè fruendo, martyrij laudem adipiſcitur. Nullus lapis Stephani victoria non lætatur, dum victus victorum ſpolijs feliciſsimè potitur. Ad victi caſum victores cadunt, quoniam contra Chriſti Athletas pugnare non didicerunt. Iſti vincunt cadendo, non minùs, quàm cadunt vincendo. Ideo Stephanus tunc re ipſa viuere incœpit, cum in illo mortalis vitæ beneficium ceſſauit. Lapides tormentorum inſtrumenta non ſenſit, quia illius ſenſus terrenis rebus iam diù defecerat. Protomartyrem lapides ſenſerunt, non Stephanum, qui ipſum ferientes, martyrij laurea fecerant di-

dignum. Poſt mortem igitur coronatus, meritò triumphauit; triumphantem Angelorum coetus ſummis laudibus affecit. Quid verò Angelorum coetus? Etiam homines, addo etiam lapides, qui natura elingues, inanimes ex ſanguinis illius vndis tantum facundiæ imbiberunt, vt terræ ambitum illius ſanctitati terminum nimis anguſtum exiſtimantes, cęli amplitudine dignum non modò affirmarint, verum etiam illuc, tanquàm ad finium finem validiſſimis viribus compulerint. Idcircò Deus Stephanum triumphantem amanter excepit, cum in terris contra ſaxorum ingruentium copiam prælianti auxilium non denegaſſet. Ea eſt hominum conditio, ſupra quàm dici poteſt, fortunata, vt qui fortiter patitur malum inter homines, idem ſummo bono perfruatur cum ſanctis, apud quos rerum omnium Opifex arcem extruxit æneis muris circumuentam, Angelorum cuſtodia permunitam. Iſta cunctis viribus inſuperabilis vno bellico tormento, quod validum diuini amoris globum maximo impetu emittit, patientia ſcilicet, facillimè expugnatur. Volumus, AA. (quod velle ſemper debemus) in hanc arcē victores introire, vnde nullus hoſtis, vel potentiſſimus, nos valeat amouere? Nos quàm diù viuimus, nihil ab ærumnis æquanimiter tolerandis amoueat: corporis moleſtiæ animo non ſint moleſtæ; ipſum nihil omninò ſolicitum habeat, niſi quod culpæ naturam habet. Vltrà, nihil timeamus, quoniam à culpa alienos, nullum malum eſt, quod poſſit attingere. Si attingat, non nocet, cum ſolummodò corpus afficiat: corporis cura animum vrit, ſed nihil abſumit. Nos cum Stephano animum curemus; quicquid aduerſi eſt in hac vita, patienti animò ſuſtineamus. Ingruant in nos ſuis viribus cuncti homines, etiam dæmones: ſi patientiæ clypeum obijciamus, aduerſàrij huiuſmodi virtutem nō irridebunt, nos potiùs illorum inanes conatus non ſine maxima vtilitate irridebimus. Enim verò non poteſt diabolus, licet omnia inferorum cruciamenta ſuſtineat, animæ noſtræ ſalutem ſuſtinere: nos verò, vt illius inuidia (vnde felicitas noſtra ſcaturiginem ducit) plurima ſoli-

citudine augeatur, Stephani exemplum nobis propoſitum ſtudioſè imitantes, iniurias nobis illatas libenter condonemus.

S. Ioannes Euangeliſta diſcipulus Chriſto dilectus.

ORATIO XXIV.

Vtinam tantum facundiæ hodierna die mihi concedatur, quantum eximia occaſionis neceſſitas iure ſuo videtur poſtulare: ne veſtrarum aurium, AA. aliquid ſupra mediocritatem expectantium religioni, & meo aptè, ornatèq; dicendi officio, me ſatisfacturum diffidam. Magnam iſtius beneficij partem humanitas veſtra mihi exploratè pollicetur: cuius ſuaſione ingenij, & iudicij mei exilitatem potiùs excuſabitis, quàm rerum, quæ de Euangeliſta Ioanne in medium afferri poſſunt, excellentiam reſpiciatis, illud nequaquàm obliti, oratoris culpæ non adſcribendum, ſi argumenti magnitudine oppreſſus, nequit ſingula differere: ſed temerarium potiùs iudicandum, orationi velle ſubijcere, quæ ſilentio duntaxat venerabundo valent explicari. Inter plurima, quæ de viro ſanctiſſimo mihi in mentem veniunt, primum locum tenet Saluatoris noſtri amor in ipſum adeò feruens, vt ceteros diſcipulos, licet meritiſſimos, minùs tamen diligeret, & illum, honore, qui, cunctas dignitates antecellit, dignum iudicaret, req; ipſa efficeret, non tantùm vocabulo hominum oculis, vt plurimùm cæcutientibus demonſtraret. Vulgatum illud ſæpiſſimè audiſtis, non ignoro: *Fauor principum magnos viros facit.* Facit quidem, ſed frequenter imbecilla magis opinione, quàm ſolida rei veritate. Iſti cum terreni ſint, non poſſunt non terrena ſentire, nimio ſtudio interdum decepti, minùs, quàm alij, meritos amplexari. Deus autem oculatior Argo, Lynceo perſpicacior, qui nihil ab huma-

Symmach.

nis

nis oculis remotiſſimum non videt, vel indignos non eligit, vel in ipſa electione ſua gratia dignos reddit: quia ſummis rebus aptos aliquando fore, ab ipſa æternitate non ignorauit. Iſtud, ſi de quopiam, certè de Euangeliſta Ioanne licet affirmare, qui Chriſti amore digniſſimus fuit; quoniam Chriſtum vnicè dilexit. Cur verò ſupra ceteros illum non diligeret? Non poteſt immenſa Dei benignitas gratum animum non liberaliter exercere: hæc eadem maximè callet, non aliam mercedem beneuolentiæ, quàm ipſam beneuolentiam ſuppetere. Iſta, quicquid auri in intimis terræ viſceribus enutritur, nihili facit, dignitates, honores omnes contemnit, mutuo amore contenta. Hic prætermitto quæſtionem à multis pia curioſitate agitatam, vtrùm Chriſtus Ioannem, an Petrum magis dilexerit. Qui Euangeliſtæ obſequium præſtant, beatiſſimæ Virginis curam illi commiſſam, qui Apoſtolorum Principi, Eccleſiæ imperium ipſi demandatum, in medium adducunt. Nos verò neutrum meritis inferiorem iudicantes, illud prudenter ſentiamus, plùs amari, qui plùs amat. Verus amor hominem potiùs ſequitur, quàm fortunam. Ioannes Chriſtũ ſequutus eſt vſquè ad crucem, inter duos latrones ibi ignominioſè affigendum æque, ac ad Thabor faſtigium, ibi inter Moyſen, & Eliam glorioſiſſimè transfigurandum. Hic Magiſtrum veluti rerum omnium Dominum, eundem illic culparum omnium quaſi obnoxium ſuſpexit. Ab ea tragœdia nemo ex alijs diſcipulis non abfuit: huic delectabili ſpectaculo etiam Petrus cũ Iacobo interfuit. Illud à natura inditum eſt amori, vt rebus aduerſis non minùs, quàm ſecundis oblectetur: immo illas libentiùs amplectatur; quia indè vires ſuas longè vehementiùs (vt clariùs appareant) exerceri optimè nouit. Ioannes ergo Chriſtũ dilexit æſtate, ac hieme: neq; adiungo longè, ac propè; quoniã nemo ignorat, illi ſemper libenti animo adhæſiſſe. Et, ſi perſecutorum turba impetu valido in Chriſtum irrumpente, ſemel fugit, albam ſindonem, intemerati animi indicium, ſecum adduxit, vt ſe non fugere, ſed Magiſtrum potiùs quæritare demonſtraret, vi-

tâm, quæ Chriſtus eſt, per ſcrupoſam Caluariæ viam, vſq; ad mortem ſequutus. Neq; inter aſpera cruciamenta morientem reliquit, ne ſe ipſum, qui in Chriſto viuebat, deſereret. Ioannes profectò à Saluatoris obitu diem obijſſet; ſed Chriſti anima ex ſanctiſſimo corpore egreſſa, illum adiens, vitæ beneficio impertiuit. Inſuper non potuit vita Ioannem deſerere, cui Deus voluit Mariam vitæ genitricem committere. Ieſus Ioannem ſemper, ſed multò magis morti proximus dilexit, cum eundem non Ioannem, ſe alterum veriùs nominauit. Num vera loquar, AA. cui, obſecro, liceat inficiari? Iudæorum inuidia aduerſus Chriſtum ſexcenta tormentorum genera iniquiſſimè perpeſſum, illucuſq; ſeueritatis peruenit, vt, qui veſtit lilia campi, ſine veſtibus cruci affixum, ad maiorem animi angorem, omnium oculis palàm obtulerit. Sæuæ miſerationis conſilio ei Matrem non ſurripuerunt, vt huic mortis filij dolore acerbiſſimo vitæ beneficium ſurriperetur. Et, ne eidem, amiſſo filio, alter in tot, tantiſq; angu-
Io. 18. ſtijs deeſſet, è cruce Matrē appellans: *Mulier*, ait, *ecce filius tuus.* Illum vſq; ad meum reditum cura æque, ac ego ipſe (quia alter ego eſt) curo, tibi non parum ſolatij allaturum. Dehinc ad diſcipulum conuerſus, vt ille præſentiret, ſe fratrem breui amittendum, in ipſa Matre, vbi vitam agebat, inuenturum, dixit: *Ecce Mater tua.* Quemadmodū illa, ſi te habeat (quoniam me amoris vinculo tibi alligatum habet) non amiſerit: non ſecus quidem, ſi tu ipſam, me quoq; illi mente perpetuò cohærentem habebis. Hanc igitur Matrem ſacratiſſimam, vtq; ipſa, quæ cæleſtes theſauros in ſe recondebat, ſui heredem non indignum inueniret, de cruce teſtatus, Ioanni, qui heres, & ſcriba eſſet, pro vnici amoris nota legauit. Vnde amoris flammæ in Ioannem tantoperè æſtuantes? Non aliunde, cenſeo, niſi ab amore Ioannis in Chriſtū nihilòminùs flameſcente. Sicut igne ignis nutritur: ita etiam amore amor inflammatur. At nō potuit Ioannes in Chriſti amore ipſum vehementer non redamare. Deus homines amat, vt ab illis pariter ametur: homines verò Deum amant, quoniam

ab

ab ipſo ardentiùs amantur. Itaquè Deus Ioannis amorem prævenit, & ideò huiuſce anticipationis cauſam inquiramus. Si coronam virginitati concedimus, ceteris virtutibus, quæ in Ioanne floreſcebant, nihil quidem iniuriæ afferemus. Hæc omnium laudatiſſima, quoniam nullis præceptis circumuenta, adeò enituit in Euangeliſta, vt inter homines non hominem, Angelum potiùs omnium oculis præſeferret. Quemadmodùm enim Angelorum eſt in cęlo Deum laudare: ſic diſcipulo Ioanni Magiſtri laudibus nunquàm inter mortales libuit abſtinere. Corde laudauit, laudauit ore, laudauit opere. Corde, quoniam illius cogitationes nihil aliud, quàm Deum, aut illius ſeruitium ſpectabant. Ore, quia linguam ſuis diſcipulis ad legis præcepta informandis exercebat: & cum illud à Magiſtro prolatum audiſſet, maximum præceptum eſſe mutuam dilectionem, nihil frequentiùs illorum auribus inculcauit, quàm vt inuicem diligerent; non ignarus, omnem fructum à nobis pro animarum ſalute referendum, caritate inter nos mutua conſtare, hinc diuinæ legis ſummam pendere: qui enim hominem diligit, Deum ipſum diligit; nec quiſquam poteſt Deum diligere, niſi homines foueat dilectione. Opere, quoniam Chriſtum crucis patibulo affixum non reliquit, & beatiſſimæ Virgini ſibi traditæ non ſecus, ac matri ſtudioſiſſimam curam exhibuit. Huic ſummo amori cur tantundem amoris, non reponatur? Non poteſt, non vult Deus liberales ſui amantes non liberaliter redamare. De amore cum hominibus certans, eoſdem vulnerat, vt vulnera ab iiſdem accipiat. Chriſtum Ioannes quàm maximè amauit. Chriſtus verò Ioannem nihilò minùs quidem dilexit. Ioannis vita in Chriſto, Chriſti vita in Ioanne tanto amoris igne conflagrauit, vt in cœna, quæ fuit nouiſſima, illius caput ſinu amantiſſimo exceptum, ſcientiarum omnium cognitione ſummoperè ditauerit. Et ſi protoplaſtus parens humi cubans, tantum doctrinæ potuit elicere, vt ſingula proprijs vocabulis appellarit: quid de Ioanne credendum exiſtimabimus, qui in cęli, terręq; Conditoris pectore quie-

Digitized by Google

tem ſuauiſſimam inuenit? Non exigua dignitas fuit, poſt conuiuij Regem, omnium primum accumbere; & ideò tanti honoris haud inſcius, non ſine animo ſupra mediocritatem grato illum excepit; indeq; Magiſtro diſcipulorum omnium cariſſimus apparuit. Caput enim Redemptoris pectori admotum antidoti officium præſtitit, vnde eius viſcera tunc Iudę proditionis venenũ non attingeret. Illinc non res omnes, ſed rerum omnium Procreatricem, nempè ſanctiſſimam Trinitatem, diſtinctis nominibus theologię compendium continentibus appellauit: enimuerò longè plura Ioannes hiſce paucis verbis: *Tres ſunt, qui teſtimonium* 1. *Io. c.* 5. *dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt*, quàm ceteri ſcriptores immenſo librorum aceruo, enodauit. Deſideratis ne, AA. rerum cæleſtium in Euangeliſta Ioanne ſcientiam fœcundiorem ſimul, ac facundiorem contemplari? Librum Apocalypſis verè aureum vobis legendum proponit. Cum huic operi celeberrimo, ideòq; non cuiuslibet intelligentiæ obuio, ab æternitate, quæ ſine principio fuit, principium fecerit, illud pariter cum æternitate hominum memoriæ inhærebit. Quicquid enim de Verbo à primis ſęculis apud Deum, quicquid de ipſo Deo eiuſdem Verbi Genitore, qui omnia creauit, doctrina ferè imperſcrutabili inuoluit, hominum animæ corporeis indumento non ampliùs inuolutæ, fidei ſpeculo penitùs ablato, ipſis oculis clariſſimè perlegerint, multòq; clariùs intellexerint. Quod de hominibus, id ipſum de Angelis, eo tamen diſcrimine, vt de iſtis iam exitu comprobatum eſſe, conſtantiſſimus affirmem: quos plurima ab eo didiciſſe Diui Ioannis Chryſoſtomi (vt ceteros ſcriptores prætermitam) auctoritate confirmatum habemus. Nemo quamuis acerrimo ingenio, & iuidicio præditus percepiſſet, quonam pacto Euangeliſta adeò ſublime raptus alas extulerit, vt non modo cęli faſtigium, verùm etiam ſecretiores ſanctiſſimæ Trinitatis receſſus nemini penetrabiles attigerit niſi Eccleſia orthodoxa illum per aquilæ figuram denotaſſet. Hæc ſupra nubes ad ſolis radios alas producit? Ioannes ad veri Solis lumen,

men, vt cunctis hominibus tenebrarum horrore circumſeptis illud impertiret, cominùs contemplaturus, ſe euexit. Si aquilinas plumas in nido colloces, ſerpentes auium pro cibo cupidiſſimos longè ablegabis? Ioannes ſublimis doctrinę pennis viperinos hęreticorum mores ab Eccleſia catholica detruſit. Superſtitioſa antiquorum religio aquilam Iouis eſſe dixit? Nos æquiùs, ac veriùs Ioannem omnipotentis Dei alitẽ nominemus: veluti nanq; aquilam Ioui arma ferre autumabat: ſic abſq; vlla veritatis offenſa Eccleſiam Dei acutiſſimis theologię argumentis contra hoſtium inſidias armatam intelligimus. Addo, quemadmodùm Xerſes omnium voce apud milites aquila conclamatus, ſe aquilã honoris cauſa, ſed illorum pennis indutam non negauit: ita etiam militantium Eccleſia ad vltimas terrarum plagas, per ſanctiſſimi Euangeliſtæ plumas, volucrem curſum explicare confitetur. Olim hæc aquila columbinas pennas induit, vt ſimplicitatem ſibi à natura inditam cum ſerpentis prudentia, ex Domini præcepto, demonſtraret: ſed cum in Caluariæ montis cacumine nidificaſſet, filios peperit, quorum aciem ad ſolis fulgorem acutiſſimam experta, illos edocuit Cerinthum, ac Ebionitas aues peſſimas exagitando, prædam ſatis opulentam reportare. Præterea, ſi à veritate nihil abeſt, (quemadmodùm non abeſſe certò ſcimus) dicterium illud: *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ,* Luc. 17.
Ioannes nõ immeritò aquila nominatur ſacratiſsimi Chriſti corporis ad ipſius Caluaricæ montem pediſequus, vt idem mortuum ab alijs ignominioſiſsimis profectò Iudæorum iniurijs, veluti ab acutis accipitrum roſtris, tueretur; immo aquila etiam fuit dum ipſum corpus in ſepulchro quæreret Petrum cunctis diſcipulis vigilantiorẽ præueniendo. Non graue ſit, (quoniã ingratũ nõ erit,) quod Alexandro contigit, vobis in memoriã reuocare. Huic Imperatori, cõtra regẽ Darium acerrimè prælianti, viſa eſt aquila militum clamore, armorum ſtrepitu nihil perterrita, alis firmiter obumbrare, quæ imminentem victoriam nulla deceptione prædixit. Non aliter quidem, cum orbis terrarum Rex aduerſus

ſus tenebrarum principem in Caluariæ campo robuſtiſſimè pugnaret, Ioannes ferinam Iudæorũ rabiem inter aſſiduos illorum clamores prodeuntem nihil veritus, eidem libentiſſimus adhæſit, vt glorioſum de hoſte triumphum præſignaret. Ioannem, in tantis turbis inuidiæ æſtu ad necem vſq; ferueſcentibus, impauidum piè contemplatus, veneror magis, quàm admiror. Pauentem certè admirarer, qui poteſt (dum velit) quæ libet aduerſa ſuſtinere, nullum hoſtis impetum, licet validiſſimum, non repellere. Quid enim timeant fulgura, à quibus nõ modò homines, verùm etiã pecudes rationis expertes, lapides, ſenſu caſſi, ipſi mõtes plorandũ exitium reformidant? Si Ioannẽ, & Iacobum Bonaerges, tonitrui ſcilicet filios, Chriſtus appellauit, ergo erant fulgura, quæ tonitruis ventorum impetu concitatis generantur. At cur Iudæorum vociferationes, armorumq; ſtrepitum timeret, cuius robuſto animo, ignis validiſſimè accenſus, timorem non incuſſit, corpus nihil læſit? Parum dixi, nihil læſit: enimuerò tantùm abeſt, vt aliquid damni attulerit, vt potiùs vires ingeſſirit, quibus ex feruentis olei dolio vndiq; intactus euaſit. Ioannis cæleſtis gratiæ aquis non aſperſus, ſed gurgitatim perfuſus, aut ignem non ſenſit, aut cum fulgur, nimirum ignis eſſet, ab ipſo igne ignitum aliquod pati non potuit, immo ſtatim, vt fulgur, quod diuini amoris igne incendebatur, oleum attigit, eouſq; cœpit flammeſcere, vt ſuo minorem dolij ignem extinxerit. Cogitauit tyranni ſæuitudo ſanctiſſimũ Euangeliſtæ corpus ad faciliorem conbuſtionem impinguare: at ille cum Pſalmiſta ad Deum ex-

Pſal. 140. clamans: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum,* altero ſcilicet miſericordiæ oleo inunctus, ebullientis olei cruciatibus tutiſſimè repugnauit. Sic pinguis Chriſti victima nihil dolens, immo plurimùm gaudens, in ferueſcentis olei dolio ad martyrij palmam tutiſsimus enatauit. Inde ſenſit tyrannus, quamuis nihil ad ſui cognitionem ſentiret, ſe in oleo oleum, & operam perdere, flammis maximè incenſis non Ioannem, cor ſuum ardere. Propterea conſilium cepit illum in inſula Patmos relegandi, vt poſ-

ſet

Digitized by Google

ſet alterum ignem, ne alterum ſuperaret, extinguere. Ioannes autem multa illic pro Euangelio perpeſſus, veluti adiacentis aquæ aſperſione, quæ validum ignem poteſt reddere validiorem, in dies magis, magiſquè diuino amore videbatur inflammari. O quot in vno homine virtutes! O quot eximiæ laudes, quarum magnitudinem nulla lingua eſt, vel diſertiſſima, quæ ſatis æqualiter valeat explicare! Quicquid encomij de Ioanne non hominũ, Angelorum linguis exprimendum mẽti ſubiret, paucis verbis ab Eccleſia explicatum legentibus occurrit: *Hic eſt diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus.* Ille, inquam diſcipulus, quo cum nullus ex alijs appoſitè eſt comparandus, quoniam nulli ſecundus; virtutum omnium genere decoratus. Ob id Chriſto dilectus, quia meritorum copia omnium primus: neq; aliundè niſi, quoniam Chriſto tot de cauſis carus, quot gradus apud eundẽ meritò eſt aſſequutus. Veluti Patriarcha Aſiaticas Eccleſias erudiuit: rerũ futurarum præſagijs Prophetã ſe oſtendit: ſicut Apoſtolus à Chriſto legationem obiuit: Euangeliſtæ officio Euangelicas hiſtorias ſcripſit, in feruentis olei dolium immiſſus, martyrium exercuit, Chriſtianam fidem aſſidua confeſſione propagauit, deniq; virginitatis perpetuę cultor vigilãtiſſimus fuit. Iure igitur optimo Eccleſia de Ioanne: *Hic eſt diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus.* O laudem cuiuslibet compendium laudis exprimentem! O laudem aureis litteris lapidi adamantino inſcribendis meritiſſimam! O laudem ab omnibus, qui iure laudari cupiunt, expetendam! Diligit te Deus? Iam ſatis laudatus es, honoribus, nec non diuitijs maximus: quoniam non niſi ſui ſimiles diligit, neq; niſi ſui ſimiles amantes admittit. Libet, AA. à Deo diligi? Inuicem diligamus. Qui inuicem diligunt, eum diligentes, non mutuò diligi non poſſunt. Ad huiuſce veritatis non ſemel repetitæ confirmationem illud Ioannis Euangeliſtæ vobis in mentem reuocate: *Deus caritas eſt: & qui manet in caritatę in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Io. c. 4.

ORATIO XXV.

NVllus hodierna die orator adeò elinguis fuerit, vt, dum innumerabilis infantiũ copia vix è tenebricoſis matrum aluis egreſſa, facundiſſimo vagitu cælum pulſat, conceptum ſermonem valeat cohibere. Non tacet ferientis tyranni ſæuitia: non ſilent arma validiſſimis perſecutorum viribus euaginata. Facundè loquuntur fœcunda mulierum viſcera crudeli filiorum raptu excruciata: muſſitant occiſorum artus maternos ventres, ad immaniſſimæ ſtragis fugam, iterum ſubire cupientes: reſonat terra tragico ſpectaculo adſtantiũ vocibus, quæ belluinam feritatem deteſtantur, percuſſa. Cur igitur cõticeſcat oratio mea, licet adhuc infantiæ faſcijs circumuenta? Si nihil aliud in tanto cruciamentorum horrore loquendum obijcitur, illud ſaltem non reticeat, ſe non poſſe crudeliſſimi regis inhumanitatem ſatis abundè ex meritorum copia explicare. Audierat Herodes Infantis natiuitatem, qui regio imperio non tàm potiretur in terris, quàm ſecum ab æternitate ortum ex cæli ſedibus aſportaret. Rem nouã anxiſſimè admiratus, ab inueterato ſolio expulſionem pertimeſcit, quod à ſe iniquè poſſideri non ignorat. Intelligit quippè dominationes non diù duraturas, regnaq; ijſdem medijs labefactari, quibus fuerant occupata: non poteſt enim diù conſtare, quod ſuis viribus nequaquàm innititur. Et quoniam regnandi cupiditas mortalium animos acerbiùs torquere conſueuit, ſi imperium amiſſionis periculo ſubiaceat. Hac de cauſa Herodes Chriſtum ſtudioſiſsimè perquirit, ſi fortè valeat ab huiuſce timoris inanitate animum valdè ſolicitum remouere. Augures cõſulit, à quibus modò pollicitationibus, modò minis rei exitus ſcientiam conatur extorquere; vt potè qui, ſermone cum Magis Chriſtum ipſum ab oriente inueſtigãtibus habito, diù, no-

ctùq;

ctùq; plurimùm torquebatur. Et cum ex Prophetarum oraculis reſpondiſſent, in Betlehemitica ciuitate naſciturum, reſponſa inuicem cohærentia animo euoluens, dolet, illum nondùm innoteſcere, & primarias totius orientis coronas, oberrante fama, ad ſe volentes trahere: indèq; maius quiddam perpendit, ſe minus in throno ſuperbiſsimè ſedentem, quàm illum in fœno humillimè iacentem emoliri. Deplorat conditionem ſuam, quòd longè acriùs ſubditorum aures percutiat ploratus infantium maximè exilis, quã regnantis clamor ſtolidè vehementiſſimus. Ideò magis regiam, quinimmo regnum vniuerſum ſolicitat, quòd inanem pueri quæſtionem velit exercere. Hæc penitùs inanis eſt, quoniam in vita mortem quærit, nec profectò ſentit: quia mente captus, iudicio non aſſequitur, gladij euagitationem non timeri ab eo, qui poſſit quanlibet armorum aciem, vel acutiſſimam retundere. Ad mortem petit puſionem, qui licet ſit æternus in cælo, vix tamen mortalem vitam inſtituit in terris. Optat crudelis, optat illum occidere, qui iam culpa occiſos ambit in meliorem vitam reuocare. Æſtuat iracundia in ſolio aduerſus eum, cuius ingentem miſerationem experitur ab alto. Non videt, ſe illi inſidias ordiri, qui ſingulis etiam hominibus extructas optimè ſciat diluere. Non ceſſat arma concitare in eum, qui ſolus, ac inermis plures armatas cohortes valet ſuperare. Quid times, ò tyranne, quid times? Si regnum cupis ſeruare, cur rerum omnium Seruatorem quæris perimere? Si tuã è ſublimi regno eiectionem ſuſpicaris, cur Herodem ab Herode ipſo expellis? Si timoris cruciatum conatis effugere, cur te ipſum tua mendaci opinione non deſiſtis cruciare? Si Regis modò nati præſentiam reformidas ab illo quòcunq; eas, nunquàm abfueris. Quem ex vno loco tollendum cogitas, non vnum tantummodò (quod opinaris) locum occupat. Erit vbicunq; etiam occiſus, qui nullum locum occupat viuus; immo non poteſt interimi, ſine quo nemo poteſt vitæ beneficio frui. Dum tu ſtricto enſe ad ipſius necem accedis: ille à te non ſentiente longiùs ſemper recedit. Machæra aërem verberat,

Digitized by Google

quæ ferociæ impulſu diuina Infantis appetit viſcera. Dum tu Magos in Chriſtum obſequij ſpecie deludis, ille te pariter irridens, in Ægyptiacam regionem ſe recipit. Fugit non tam, vt metu perculſus tutamento inueniat locum, quàm, vt furori tuo cedens, te ad veræ ſalutis adeptionem alliciat. Faciliùs poteris pœnitentiæ ductu inuenire fugientem, quàm culpæ affinis, etiam ſi adſit, occidere. Fugit, vt te per abſentiam quærat, cum oculus tuus verè nequàm illum præſentem nõ poſsit aſpicere. At rex improbus, AA. ſemper inſaniùs furit, nullam neq; diurnæ, neq; nocturnæ quietis partem ſæuiendo capit: quia illum capere ambit, quem nulli improbo vnquàm licet attingere. Omnium ore circumfertur, natura longas manus regibus dediſſe; vt amplum apud illos imperium hominibus innoteſcat: ſed multò longior Dei poteſtas, cui, ſi, quicquid eſt in cunctis hominibus virium, comparetur, illud certè eſt fumus, vmbra, nihil. Conetur libitu ſuo Herodes morte Chriſtum afficere, arma comparet, militibus imperet, gladium, & ſe ipſum ſimul exagitet. Quid demum, obſecro? Paulatim ſibi vitam aufert, curis, quæ nihil proficiũt (niſi quòd eius animum acerbiſsimè diuexant) maceratus. Deus reprimit illorum vires, in quibus nimis ferueſcere non deſiſtunt. Plus certè poteſt, qui minùs vult, quoniam vult poſſe, quod licet. Rex ferarum potiùs, quàm hominum, qui plurimùm infra æquitatem volebat, nihil potuit: quoniam ſecus libuit, cui omnia diuinitùs licent. Eodem pacto Herodes nihil non ſibi licere opinatus, imperij libertatem expendit, eaq; abuti vellet. Deum nihil reputat, qui potentes potenter torquet: ſummæq; fortunæ ſummam licentiam adiungit, nihil ſecum recogitans, reges habere Iudicem inexorabilem, qui illorum culpas optimè cognoſcens, difficillimè ignoſcit: quoniam ipſi ſuperbia inflati veram ſui cognitionem contemnunt, aut apud ſe nihil, præter regiam dignitatem, contemplantur. At regna quid proſunt, quid proſunt imperia, ſi, qui regnat, imperatq; in ſe ipſum non regnet, imperium non exerceat? Quæ de alijs reportatur victoria, in lubrico eſt:

qui ſe ipſum vincit, ab alijs vinci non poteſt. Quo pacto Chriſtū vicerit Herodes, qui ſe ipſum imprudenti iracundia percitum nequit continere? Qui effrenato animo indulget, ſibi nequaquā parcens, perpetuū exitium dementiſsimus quærit. Herodes non parùm anxius Ieſum quæritat in Iudæa, cùm Nutritio in ſomnis admonito iam ductus eſſet in Ægyptum, vt illic moraretur, donec regem tantæ crudelitatis apud inferos fruſtra pæniteret. Quocircà multò plus Ioſeph in mediocri fortuna ſomnians, quàm Herodes in ſummo dignitatis faſtigio vigilans, operatur. Fugit Chriſtus cū Maria matre, ac Ioſeph in Ægyptum, non vt necem effugiat: ſed potiùs, vt pro humani generis redemptione mortē animis noſtris vitæ munus allaturā, ſibi prudentiſsimus maturet. Vult à Iudæis, ad ſtatutum in ſanctiſsimæ Trinitatis concilio tēpus, non ad immanis tyranni voluntatem, è medio tolli. Iſte in tenebris conſepultus, cor ſibi excruciat, vt poſsit Pueri ſanguine regnum falſa opinione labaſcens, confirmare. Regis fides nihil regia, humilis veriùs, ac imbecilla non parùm allucinans, corruit: dum enim vellet alios in errorē inducere, ipſa toto cælo aberrat, illud non ex veritate rata, regnū poſſe ab eo conſtare, qui Regem regum letho cupit cōmittere; ab eo, inquam, qui vnius animā in plurimorū infantium internecione quæritādo, pullulantes in regno vires (vnde quotidie magis augeri poſſet) crudeliſſimè eneruat. Inſanus furens, ſe ipſum excruciat, potentiam ſuam impotentem reprehendit, quòd puerum diligentiſſimè quæſitum non inueniat, inſuper, quòd regem lateat: in cuius regno vniuerſo nihil adeò delitеſcit, vt illius Lynceis oculis luce clariùs nō appareat. Culpam ſæpe exploratoribus adſcribit, veluti neſciant rimulas perſcrutari, vnde Infans ſemel tantummodò aſpectus, mortalium oculis non iterum aſpiciatur: ſed ſtatim mortem ſentiat; cuius præſentia illius menti iugiter obuerſans, vitæ oblectamento mortiferam amaritudinem oggerit, dum manus ſceptro aſſuetæ poſt terga ignominioſè perhorreſcunt. Dehinc tyrannus in ſe ipſum non nihil deſcendens, vt illinc etiam acriùs agitetur, cum in priſti-

nas

inas curas mente aſcenderit, hæc ſecum inſaniſſimùs loquitur. Pauore forſitan inani haud omninò torpeat animus. Si aliquando parùmper ceſſit, nunc vires reſumat: ſi in rege eſt, à rege non abſit: fiduciam non abijciat; timorem citò expellat: illud pro certo habeat, ſe laboris viciſſitudinem aſſecuturum, quando minùs cogitauerit. Iterum in ferinam rabiem adactus, potentia, inquit, niſi in iuſſu ſit, nulla quidem eſt. Iam biennium abijt, quo Chriſti natiuitatis fama percrebeſcit. Si omnes pueri biennales, & infra à nobis occidant, fieri non poterit, vt iſte regiam manum euitet. Si in regno eſt, in illo vita diù non erit. Si à regno abeſt, timor à nobis àbfuerit, qui mentem noſtram adhuc maximè ſolicitam habet. Neſcit regnare, qui neſcit (dum vſui eſt) ſeueritatem adhibere. Quicquid in ea peccatum fuerit, totum ætati aſſignetur: infantibus nihil penitus parcendum. Si adultis, quinimmò nobis conſultum velimus, nemo ſegnitiem non dixerit, eamq; non accuſabit, ſi naſcentem morbum reprimere negligamus. Huiuſce diligentiæ turpis ſuaſione militem ad ferrum impellit, vt rapiat, vulneret, trucidet, iratiſſimus iubet. Cogitat nullum occiſioni repagulum fore, vbi interemptorum turbæ conſpiciatur exemplũ. Inſuper imbecillitatem ætatis conceſſurã gladio, quæ lactè adhuc enutrita parùm æquè nacta ſit roboris, ac roboris. Imperat, vt, ſi matrum nimis amantium viſcera obſiſtant, ſingulæ exenterentur. Iſtarum numerum (ſe ipſum alloquutus addit) ſi fortaſſe impleat Infantis à me ad necem optati mater ferro grauiter percuſſa, alterum filium non pariet, vnde mihi ſubalternus timor, è regno ne detrudar, pariatur: hoc enim ſi eſſet (ſceptrum adiuro) diutiùs non eſſe optarem. O regis linguam ad fœcũdum puerorum funus facundiſsimam! Timor, qui vocem præripere conſueuit, huic apud Herodem vires ſupra mediocritatem adauget. Quid mirum, AA? Noſtis Socraticum illud: *Vanos vtres ventus diſtendit, vanos autem homines opinio, & vt inania magis percuſſa tiniunt, ſic quo quis vanior, & ſtolidior, eò eſt vocalior, & verbalior.* Vox in Herode aucta erumpit, ſi poſ-

poſsit tyrannicè necando, regiæ libidini ſatisfacere. Hinc conſequentes ſicarij, quòcumq; incedunt, gladijs pueru los cędunt, ſemimortuos ad muros collidunt; vt etiam muti lapides lupinam apud tyranni miniſtros rabiem atteſtentur. Matres improuiſam ſæuitiem admirantur, mœrentq; fruſtrà vociferantes, virorum fidem implorant, ne filiorum priuationi adeò durent, vt qui rectè ſentit, multò magis patrum in tantæ feritatis aſpectu tolerationem, quàm ſingulorum militum inauditam barbariem criminetur. In ſummo dolore plagas accipiunt, vulneribus implentur, non ſine matrum fletu amariſsimo, quæ amariùs conqueruntur, ſe filios non modò in orbitatem, verum etiam in famelicę ſemper crudelitatis cibum, genuiſſe. Felices nominant mulieres, quarum ſterilitas huiuſcemodi miſeriarum peperit ſterilitatem. Hæc præcipitanter ſe obijcit ferro, dummodò ferocitate non nihil remiſſa, pareatur filio. Illa cum ſicario non ſicis precibus contendit, vt vel nato indulgeat, vel vtriq; non adeò ſeuerus vitam arripiat. Alia ſe beatam appellat, ſi funere ſuo filij necandi furius valeat præuenire. Immani dolore cruciata, audacter interrogat: Ecquid, ò miles, vnquàm potuit delinquere puerulus, cuius ætas ne minimum quidem malum nouit concipere? Si culpam inquiris, cur potiùs (matrē quippè quę mortem genuerit) non occidis? Matrem feri, ne ampliùs pariat, quod vix partum in mortis alimētum commigrat. Strepebant arma, ſimulq; ſtrepebat infantium fletus: ſed magis ſtrepebant matrum inter oſcula filijs vbertim impreſſa; ſingultus amoris ſimul, ac doloris ęſtu ferueſcēte calidiſsimi. Puerorum artus in matrum lacrymis gurgitatim effuſis ad martyrij palmas ſuo ſibi cruore maturatas, immaturo curſu enatabant. Chriſtianæ fidei confeſsio, cui per ora annorum parcitate conticentiā prodire non licuit, licuit per vulnera ferro hiulca ex tenellis pectoribus viā ſibi reſerare. Cruor, qui nulla occiſorum culpa, non tamen per ſatellites inculpanter effluebat, eorum feritatem ad debitam ſui vltionem appellabat. Cæleſtes orbes ad infantium lacrymas conſtiterunt: vt iſtę

libe-

liberaliter exceptæ, omnipotentis Dei aures demulcendo, illius iuſtitiam ad lictorum pęnas prouocarent. Apparebant eorundē membra naturæ beneficio albeſcentia, ſed ſuo ſanguine ad pulchritudinis acceſsionem purpurata; vt quaſi lilia roſis immixta beatorum ſpirituum oculos impenſiùs oblectarent. Videbantur proculdubio roſæ, quas turbo Aquilonaris ab agitato Herodis corde vehementer ſpirans, non parùm immaturè deruncauit. Videbantur roſæ Irechuntinæ, quæ, illius odio æſtuante, in lucis limine aruerunt. Videbantur ſiderei flores, quibus non ſecus, ac lætiſsima cæli prata eniteſcerent, eorumquè folijs Eccleſiæ hortus vireſcens, ſummoperè glorietur. Cōtra verò quàm parùm regi crudeliſsimo licet gloriari, qui tot pueris morti cōmiſsis, Chriſto vitā nequeat auferre. Iſti felices, ſupra quàm dici poteſt, præfulgebant in cęlo, quorum ſanguis affluenter emanans, terram aſpergere non ceſſabat. Qui palmas conſequuturi, glorioſiſsimo Chriſti triumpho præludebant, nunc inter gaudia ludentes immaculatum Agnum ſequūtur, cuius obſequio illibatam virginitatem aſſeruarunt. Qui acerbiſsimè omnium Seruatoris paſsioni feliciter præiuerunt, cum eodem æternùm conregnabunt. Ætas, quæ non potuit conſilio martyres facere, feliciùs hæc ipſa non minùs liberaliter largita eſt merito. Collætemur igitur, AA. collætemur, terram, quam in orationis exordio infantium vagitu reſonare affirmauimus, nunc eorundem laudibus cæli conuexum attingentibus, percūſſam nobis clamitare, vt ſinguli ſanctorum Innocentium triumpho certatim plaudentes, pia illorum præconia celebremus, ætatisq; penitùs immaturæ, maturæ proſperitati gratulemur: ipſa .n. licet annorum maximè parca, attamen aſſequuta eſt immortalitatem malis caſſam, bonis opulētiſſimè refertam. Olim Carthago illudabili religione ſuperbiebat, ſe vna tantùm die, poſt hominum memoriam non ſine ignominia memorabili, quadringentos ſelectæ nobilitatis iuuenes (vt peſtis, quæ tunc temporis in omnes graſſabatur ceſſaret) Herculi hoſtias, quaſi gratiſſimas immolaſſe: contra verò religioſiſſimè

glo-

Digitized by Google

gloriabatur vrbs Ieruſalem , ſe quatuordecim millia infantium Deo victimas obtuliſſe (hunc enim numerum Æthiopes Abiſini exprimunt in ſua ligurgia) quorum innocentiſſimi ſanguinis effuſio ferream perſecutoris iracũdiam emolliuit. Quid verò emolliuit? quinimmò acriùs incẽdit aduerſus Chriſtum, cuius glorioſum initium vitæ, miſerrimæ ſibi mortis cẽſebat exordium. Hinc rex maximè furit, regni membra nondùm aucta efferato animo depaſcit. Dominicæ carnis auidus, cum iſta ab illius ore longiſſimè abſit, quaſi lupus in dies magis eſuriens, exorto iam ſole fulgentiſſimo, ouilia quæq; circumuenit, prædæ inhians huc, illuc ſe agit, atq; angit, catulos, miniſtros ſcilicet, mittit, qui iterum magis feriendo ſæuiant, trucident, minimæ ætati ne minimùm quidem parcant: in minimis enim quærendum opinatur qui Regem omnium maximum non regio, ſeruili veriùs animo perhorreſcit. Idcircò ſuadet, hortatur, rogat, iubet, vt ferrum experiatur pubertas, quæ Chriſtum inter ſuos natum eſſe gaudio geſtiet. Quod non culpa eſt, culpam nominans, hãc ipſam infantiæ, quæ adhuc nihil ſapit, rex impius multò minùs ſapiens adſcribit. Ecquid iſtud inſaniæ? Cum Chriſto de totius regni ſumma certaturus, inermes, debiles puerorum cohortes eligit, vt imbecillitati roboris additamentum faciat; gladium ſtringit, ſanguinis effuſione quicquid eſt virium, immò vocem ipſam aufert, ideòque ſtultiſſimus victoriam ſperat, vbi, dum alios ſæuiter occidit, à ſe ipſo, more Andabatarum, furente ſuperatus, miſerrimè interit: quodq; miſeriorem facit, occaſum non ſentit, vt perpetuum apud inferos pœnam magis efflictim ſentiat. Illud certè habet tyrannorum ferocia, vt in alios ſæuiendo, in ſe ipſam ſæuiat; indèq; acri vulneris ſenſu adacta, ſemper feruentiùs feriat, feriendo nihil agat, proprias vires potiùs deſtruat. Hoc ipſum periculo ſuo didicerunt, qui in regno tyrannidem exercentes, poſt multa ſubditorum funera, ſe ipſos illorum manibus placandis in occiſorum ſanguine immolarunt. Herodes hoc ſaltem agit (quanùis illum nihil agere, affirmarim) vt ſe victimam pa-

ret, lauto infantium cruore adeò impinguatam, vt dæmonum turba eius guſtu quàm maximè oblectata, illinc perpetuum cibum anxiori in dies fame ſit arreptura. Pręterea hoc agit, vt alios Iudæorum principes in exemplum alliciat inſectandi Chriſtum, eo conſilio, vt nō parum laudis apud homines capiant, ſi eundem verbis inſidioſis captent, lapidibus petant, huc, illuc ad iudices mutuo luſui mittant, remittantq; ſputis, colaphis, flagris ad lapideam columnam, quaſi lapidem (quoniam lapis angularis *eſt*) cædant, ſpinea corona circumueniant, in purpureo amictu calamum pro ſceptro habenti, non ſecus, ac ſimulato, aut ſtulto regi certatim ludos faciant, monſtrum obijciant ſtigmaticum populo, concitatis inuidia clamoribus in crucem adigant, eadem non parùm graui humeros onerent, per vrbem ad Caluariæ locum ignominioſè circumducant, in via longa, & ſcrupoſa ponderi cedentem opprimant, funibus collo alligatis attrahant, viribus magis impotentem, quàm iuſſis, vt viam deuoret, non parentem, perſundent, in montis culmine ſupplicij culmen parent, manus, ac pedes clauis confodiant, medium inter duos infamia inſignitos cruci affixum extollant, ori cruciamentis arido mirrhinum vinum apponant, vt ſemper crudeliùs aliquid inueniant, etiam mortuo, pectori lancea vulnus infligant: cum in ſacratiſſimam humanitatem ſæuiendi materia defecerit, poſtea, humato corpore, diuinitatem lædant, ſepulchri cuſtodibus pecuniam offerant; qui à diſcipulis furtim ſublatum dicant, ne glorioſam illius reſurrectionem aſtruant. O pulchrè factum, Herodes, qui diſcipulos exemplo magis, quàm verbo optimè eruditos relinquis! Gaudeas laborum fructu, gaudeas. Æquum fuit, ne debito honore eruditio fraudaretur, nempè vt Chriſti tormentis filius Herodes non deeſſet, qui Cayphæ iudicium, ac Pilati ſententiam iudicio ſuo ſine iudicio adiuuaret. Gaudeas, inquam, labore nihil proiecto: quemadmodùm enim Chriſti ſanguinem ſitiens, poſteros, vt eundem ſitirent, docuiſti; ita nunc dæmones ex tui poſſeſſione nunquàm auferenda eam iucunditatem

tem hauriunt, vt animam vbertim ſugentes, tantùm abeſt, vt ſa-turi appareant, quòd potiùs æternùm erunt famelici. Vt verò oratio mea ſatis prolixa, aliquando finem ſortiatur, furentiſſimi regis conditionem fato ineuitabilem præſentiamus, AA. Dum huius lucis vſura fruimur, alieno periculo (quod pulchrum eſt) diſcere non recuſemus. Herodis pœnas apud inferos nunquàm non duraturas, attento animo euoluamus. Culpæ contagium op-timi iudicij lance trutinemus. Herodianam crudelitatem in vobis regnare non exiſtimo, alieni ſanguinis effuſionem à vobis, immò à mentibus veſtris perpetuò abſuturam, confido, morum comitatem, clementiam, cuius non obſcura ſemper indicia præbuiſtis, ante oculos mihi propono. At legem non implent comitas, & clementia. Qui peccatum admittit, in ſe ipſum incomiter, & inclementer agens, proprium, nedùm alienum ſanguinem ſicarius effundit. Peccatum cruentat animam. Igitur qui iſtud ſequitur, ſe ipſum non minùs, quàm Herodes olim Innocentes pueros ad crudelem necem inſectatur. Quicquid malorum ſuaſor diabolus obijcit, mera corporis voluptas eſt, tẽporaria, adeò fragilis, atque caduca, vt ſui amantes fragiles, & caducos efficiat. Ecquid anima commeruit, ſi corpus nimiùm ſibi indulſit? Igitur corporis culpa animæ afferet damnũ? Ne quis noſtrum in ſe homicidium admittat, illam, vnde omnia dæmonis tela, vnde omnia inferorum vulnera emittuntur, acerrimè reppellat: enimuerò ſatiùs eſt in hac vita breuem moleſtiam corpori exhibere, quàm animam æternæ gloriæ creatam æterno ſupplicio addicere.

F I N I S.

Index Orationum.

SAncti Antonij Abbatis Oratio 1. pag. 1
S. Sebaſtiani Oratio 2. 11
Conuerſionis S. Pauli Oratio 3. 20
S. Blaſij Oratio 4. 31
S. Ioſeph Oratio 5. 42
S. Benedicti Oratio 6. 51
S. Georgij Oratio 7. 59
S. Aldebrandi Oratio 8. 70
S. Philippi Nerij Oratio 9. 81
S. Antonij Patauini Oratio 10. 93
Natiuitatis S. Io. Baptiſtæ Oratio 11. 105
S. Chriſtophori Oratio 12. 114
S. Dominici Oratio 13. 122
S. Laurentij Oratio 14. 132
S. Ioannis Baptiſtæ decollati Oratio 15. 145
Stigmatum S. Franciſci Oratio 16. 153
S. Euſtachij Oratio 17. 166
S. Matthæi Apoſtoli Oratio 18. 175
S. Petronij Oratio 19. 189
S. Martini Oratio 20. 199
S. Clementis Oratio 21. 208
S. Andreæ Apoſtoli Oratio 22. 218
S. Stephani Oratio 23. 230
S. Ioannis Euangeliſtæ Oratio 24. 242
SS. Innocentium Oratio 25. 250

IN-

Digitized by Google

INDEX
Rerum magis notabilium.

A

S. ALDEBRANDVS.

R Auennam ſtadiorum cauſa petit. pag. 71. lin. 12
Ariminenſium Præpoſitus eligitur. ibid. 23
Dum concionatur, vt populum in ſe concitatum declinet, ex ſuggeſtu, & vrbe fugit. 72. 1
A Foroſempronienſium legatis ad Epiſcopatum appellatur. ibid. 10
A Foroſempronienſibus inter applauſus excipitur. 73. 2
Omnigena virtute ornatus agnoſcitur. ibid. 7
Ligneum ſcamnum pro cubili palmis ſtratum occultè adhibet. ibid. 22
Singulis feſtis diebus concionatur. 74. 1
Ab hirundinibus concionem garritu impedientibus iuſſum ſilentium obtinet. ibid. 17
Perdicem aſſam ſibi ægrotanti appoſitam, nouis à benedictione pennis indutam, in ſyluas dimittit. 75. 14
Ceraſa menſe Ianuario poſtulata accipit. 76. 13
Non ſibi, ſed alijs poſtulat. ibid. 33
Hora obitus ſpontaneo primariæ Aedis campanarum, quaſi iuſta celebrantium ſonitu honoratur. 78. 18
In Eccleſia, tecto nondùm abſoluto, collocatus, imbre decidente non attingitur. ibid. 32
Duorum hominum millium parua vini materia ſitim extinguit. 79. 18
Concentum muſicum micanti fulgore illuſtratum è ſepulchro emittit. ibid. 28
Digitum in translatione ſibi ereptum manui diuinitùs conglutinatum recipit. 80. 5
Furi ob oleum, quod de lampade abſtulit, oculis capto, veniam poſtulanti, lucem reſtituit. ibid. 11

Qui

S. ANDREAS.

Quonã myſterio cum retibus à Chriſto inueniatur. Pag. 220. l. 16
Cur vocatus eadem, & nauiculam deſerat. 221. 4
Cur non alios cibos turbis alendis, quàm panem, & piſces Chriſto proponat. ibid. 26
Cur duos ex iſtis, ex illis quinque exprimat. 222. 7
Cur vnicum puerum nominet. ibid. 14
Dum Chriſti fidem in Achaia promulgans, ab Aegea proconſule obiurgatur, audacter reſpondet. 223. 7
Arctiſſimis vinculis detinetur. 225. 26
Populum rogat, vt ſui necem non impediat. 226. 2
Crucis ſupplicium optat. ibid. 16
In eam attolli iuſſus, innumeras laudes confert. 227. 7
Cur optauerit eſſe Argus, & Briaræus. ibid. 10
Crucem multis rebus comparat. ibid. 19
Cum eadem, quæ à ſe lætitiã haurit, mutuis gaudijs decertat. 228. 10
Eidem in gaudiorum certamine gratiam roganti, non denegat. ibid. 29
Ad ſuperos appellatus, viam ingreditur. 229. 19

S. ANTONIVS ABBAS.

Diuitias in pauperes erogat. pag. 2. lin. 15
Qualis in iuuentute. 2. 31
Quantum ſplendoris omnigenæ virtutis emittat. 3. 23
In ſolitudinem ſe recipit. 4. 16
Dæmonem varia ferarum ſpetie indutum aſpicit. ibid. 28
Quibus medijs eundem reijciat. 5. 3
Sibi aſperrimus. ibid. 24
A lucifero non poteſt attingi. 6. 10
Orationis beneficio extaticus. ibid. 21
Solitarius non ſolum cum Deo, ſed in ipſo eſt. 7. 5
De ſatana victor, cæli ſplendorem, & Chriſti oblectamentum accerſit. 7. 22
Mulierum ſpectra in ſomnis ſibi oblata expellit. ibid. 28.

Vas

Vas argenteum diabolica fraude in via relictum crucis figura nullum facit. 8. 3
In ſe ipſum ſæuus dæmonem vexat. 9.27
Cur ignem ad pedes effictum habeat. 10. 9
Commendaticias ab Imperatore litteras accipit. ibid.19
Ab Arianorum inſectatione non ceſſat. ibid.30

S. ANTONIVS PATAVINVS.

A Deo ſapientiam, illiuſque vſum accipit. pag.95.lin.12.
A Chriſto pueri ſpecie inter libros inuiſitur. 97. 9
Totus in ſapientiam ipſam conuertitur. 98.24
Cur ſupra Euangeliſtam Ioannem honorandus. ibid.32
Aſmodæum, qui cœnobitam tyronem vexabat, afflatu detrudit. 99.23
Dum italico idiomate concionatur, à varijs Nationibus, veluti ab vna intelligitur. ibid.30
Edulium venenatum agnoſcens, reijcit. 100. 7
Sapientiam habet inflexibilem. ibid.14
Hæretico Sacramentario fidei veritatem per iumẽtum ſacratiſſimæ Hoſtiæ ſegetibus occultæ genua flectens, oſtendit. 101.14.
Eamdem, ſcypho è ſpecula, ſine offenſa proiecto, confirmat. ibid.24.
Ex matribus mortuis filios viuos, ætatiſq; maturos educit. 102. 2
Decidentem pluuiam concioni impedimentum ſubitanea aeris ſerenitate diſpellit. ibid. 8
A piſcibus, qui ad concionem acceſſerunt, capitum inclinatione honoratur. ibid.24
Fama, quam Auguſtus in concionibus inaniter ambiuit, aſpernans, potitur. ibid.30
Stola gloriæ induitur. 103.19
Cur ad paradiſi portas magis, quàm ad portam coronetur. 104.19

B

S. BENEDICTVS.

Cum Petro Apoſtolorum Principe comparatur. pag.52.lin. 6
Speluncam ingreditur. ibid.32

Digitized by Google

Ad piſcatum vocatus, hunc refert piſcibus opulentiſſimum. 53. 8
Ad montem Caſſinum profectus, multa operatur. ibid.27
Vas venenatum figura crucis expreſſa infringit. 34.22
Christum ſequutus, ſimilem cum Petro mercedem reportat. 56.12
Innumeris ſtellis in cælo coronatus refulget. 57. 6
Abrahamo maior. ibid.19
Roſæ ſpinas induenti ſimilis. ibid.27
A quolibet Sanctorum ordine in cælo officium excipit gratulationis. 58. 25

S. BLASIVS.

Cum tyranno pro Christiana fide belligerat. pag.32.lin.12
Argæum montem conſcendit. ibid.27
A feris honoratur. 33. 6
A venatoribus detectus, ad præſidem ducitur. 35. 8
Eidem idololatriam ſuadenti, audaciſſimus renuit. ibid. 30
Nodoſis virgis plecti iubetur. 36. 5
Mulierem ex carcere benedictam paupertati eximit. ibid.10
Cum tyranno iterum pugnat. 37. 5
Virgis, & pectinibus ferreis laceratur. 37.25
Excruciatus multa ſecum conſtantiſſimè loquitur. 38. 9
A ſeptem mulieribus obtruncatis martyrio præuenitur. 39.16
Stagnum ſiccis pedibus calcat, qui mox octoginta ex Gentibus temerè ingreſſos abſorbet. ibid.28
Tertium certamen cum tyranno ſubit. 40.32
Decollatus per lacteam viam in cælum curru vehitur. 41. 9
A ſingulis elementis obſequioſè habitus, tyrannum diuexat. ibid.30
A Deo impetrat, vt nemo ſuam opem ad gutturis medicamentum fruſtra imploret. 42. 8

C

S. CHRISTOPHORVS.

Baculum humi defixum folijs, floribus, & fructibus ex tempore refertum, non ſine multorum conuerſione, palam oſtendit. p.115.l.8.

Duas

Duas mulieres ad ſui violationem in carcerem immiſſas conuertit. pag. 116.lin.24
Iſtas idolum vitiis in terram traxiſſe, in vinculis audit. 117.17
Alapham acceptam percuſſori abſq; odio exprobrat. 118.10
Candentem galeam capiti impoſitam illaſus geſtat. 119.3
Cætera corporis membra capiti inuidentia perſentit. ibid. 8
Publicè verberatus, ferreo lecto in cratis figuram, vrendus imponitur. ibid. 13
Sagittis confodiendus traditur. ibid.26
Inter ſupplicia ab oratione non ceſſat. 120.22
Quæ arma contra tyrannum exerat. 121.5
Decollatus triplici corona in vnam contexta redimitur. ibid 24
Cælum ingreſſus, ſanctiſſimæ Trinitati litans, munus pretioſiſſimum reportat. ibid. 33

S. CLEMENS.

Vicarium munus ſcribendi, promulgandiq; Euangelij à Paulo Apoſtolo accipit. pag 208 lin.17
Epiſtolas, Apoſtolorum Canones, Apoſtolicas Conſtitutiones, & alia multa ſcriptis committit. 209.1
Plurimos ægrotos valetudini reſtituit. ibid.5
In Cherſonenſem inſulam relegatus, millibus Chriſtianorum duobus captiuorum affert alleuamentum. ibid. 11
Oculis in cælum eleuatis, dum Chriſticolæ in lapidicinis detenti ſiccitate laborant, ex monte aquam educit. ibid. 19
Alter Moyſes à plurimis appellatur. 210.5
Doctrina, & miraculis plurimos ad fidem allicit. ibid.15
In mare cum anchora ad collum proijciendus adiudicatur. 212.7
Hac de cauſa illuc perducitur. ibid. vlt.
Chriſtianos in captiuitate cum mæſtitia relinquens, ad fidei cōſtantiam adhortatur. 213.19
Proiectus non minori eorumdem clamore, quàm amore aſſociatur. ib.31
Ab æquore trium milliariorum receſſu honoratur. 214.10
Necatus in marmorea ædicula templi ſpecie inuenitur. ibid. 16
Plus longè, quàm Moyſes in aquis à Deo impetrat. 215.13

D

S. DOMINICVS.

Libro à ſe ſcripto, qui ter ex igne illaſus egreditur, multos hæreticos conuertit. pag.124.lin.26.
Martyrij deſiderio flagrat. 125.4
Infans conſultò humi cubat. ibid. 12
Vix natus ad immortalitatem anhelat. ibid. 18.
Honores, præſertim verò tres Epiſcopatus recuſat. 126. 15
Hæreticorum conuerſioni quadragenarium ieiunium præmittit. 127.1
Oximenſi Epiſcopo ad Caſtellæ Regem Legato adiunctus, Albigenſium hæreſim expugnat. ibid.7
Alios ſui laboris libros, qui in fluuium deciderant, à piſcatore immadefactos recipit. ibid. vlt.
Proprio conſpectu diuinam iram placat. 129.1
Tres mortuos ad vitam reuocat. ibid. 26
Ab hæreticis diuexatus, animum nunquam deſpondet. 130.2
Eccleſiam collabentem humeris fulcit. ibid. 18

E

S. EVSTACHIVS.

Chriſtum cruci affixum inter cerui cornua refulgentem ſuſpicit. pag. 167. lin.26.
Cum Saulo in Paulum conuerſo comparatur. 169.8
Sacro baptiſmate cum vxore, ac filijs abluitur. 170.6
Animi robore Iobo ſimilis oſtenditur. ibid. 13
Bona omnia cum vxore, ac filijs amittit. ibid. 20
Militum delectui habendo à Traiano præficitur. 171.27
Poſt filiorum inſpectionem, vxorem homini priuato ſeruientem inuenit. 172.7
Reportata victoria, Ioui feretrio renuit ſacrificare. 173.11
A leone in ſe, ſocioſq; immiſſo honoratur. ibid. 26

Cum

Cum iiſdem æneo tauro, ſuppoſitis flammis, includitur. 174.13
Si neque ab igne, neque à tauro, vnde interimantur. ibid.25

F

S. FRANCISCVS.

ALuernia montem petit, ibiq; multa operatur. pag.154.lin.11
Singulis membris orationi vacat. ibid.22
Lapſum à dæmone vitaturus, lapideo monti ſcapularum, pedumq; notas imprimit. 155.6
Quadragenarium ieiunium in Archangeli Michaelis honorem incipit. 156.19
Satanam ſecum præliantem, illius armis vulnerat. 157.13
Multa ſymbolica de cruce ſecum reputat. 158.21
Ab vno Seraphim in Crucifixi imagine, quinque ſtigmatibus decoratur. 160.2
Earumdem impreſſione à diabolo Chriſtus indicatur. 161.8
Cum ipſe amoris certamen ingreditur. ibid.24
Non minùs, quàm, ſi in toto genere humano eſſet, ab eo diligitur. 162.8
Ab auibus, feris, monte, ac fluuio Tibere laudatur. ibid.25
Epiſcopos, Cardinales, Summoſque Pontifices ex ſuo ordine emittit. 163.19
Angelorum præſentia fruitur. ibid.31
Cum Annibale Punicorum duce maximè ſtrenuo victor comparatur. 164.29

G

S. GEORGIVS.

DIuitias pauperum vſui diſpertit. pag.60.lin.33
Diocletiani feritatem in Senatu acerrimè damnat. 61.33
Grauiſſimi lapidis ſupra ventrem oppreſſioni non cedit. 62.9
Rota, ſubductis in tabella aculeis, dilaniatur. ibid.24
Ab Angelo vinculis ſolutus, medicinam accipit ſalutarem. ibid.vlt.
Imperatorem in templo conuenit. 63.3

Digitized by Google

Imperatricem poſt duos militum tribunos martyrio decoratos, ad fidem allicit. ibid. 30
Ex ſuccenſa fornace intactus egreditur. 64.24
Calceis ex candenti ferro indutus liber ambulat. ibid. 29
Acerrimas plagas ſibi inflictas conſtantiſſimè tolerat. 65.22
Venenatam potionem à mago porrectam illæſus haurit. 66.1
Hominem iamdiu defunctum ad vitam reuocat. ibid. 8
Eundem magum pro fide necatum aſpicit. ibid. 14
In vinculis multos ægrotos figura crucis expreſſa valetudini reſtituit. ibid. 30
Imperatorem ſpe Apollinis à ſe colendi eludit. 67.9
Idolum alloquutus, reſponſum pro ſe accipit. ibid. 27
Alexandram in eiuſdem templo ad pedes ſibi procumbentem excipit. 68. 29
Cum ipſa Imperatrice decollandus iudicatur. 69.8
Singulis tortoribus à Deo veniam precatur. ibid. 21
Multos martyrij adminiſtros ad fidem conuertit. ibid. 27
Imperatricem, quæ per martyrij ſtadium cucurrit, capitis amputatione brauio potitam aſpicit. ibid. 30

SS. INNOCENTES.

Maternos ventres iterum ingredi cupiunt. pag. 250. lin. 6.
Herodis ſubditorum aures vagitu, licet exili longè acrius percutiunt, quàm illius clamor ſtolidè vehementiſſimus. 251.7
Cur ſemimortui ad muros collidantur. 255.1
In ſummo dolore plagas accipiunt, vulneribus implentur. ibid. 9
Membratim occiſi, in matrum lacrymis gurgitatim effuſis, ad martyrij palmas enatant. ibid. 26
Cur cæleſtes orbes ſuis lacrymis detineant. ibid. 33
Albeſcentibus membris, ſed ſanguine purpuratis beatorum ſpirituum oculos impenſius oblectant, 256.2
Videntur roſæ. ibid. 5
Videntur ſiderei flores, quibus non ſecus, ac lætiſſima cæli prata eniteſcant. ibid. 9
Felices præfulgent in cælo, quorum ſanguis terram aſpergere non ceſſat. ibid. 13.

Cum glorioſiſſimo Chriſti triumpho præluſerint, nunc immaculatum Agnum ſequuntur. ibid. 15.
Cum Saluatoris paſſioni feliciter præiuerint, cum eodem æternùm conregnabunt. ibid. 18
Sanguinis effuſione Herodis iracundiam aduerſus Chriſtum incendunt. 257. 4

S. IOANNES BAPTISTA NATVS.

Cur ex aluo materna egreſſum quærat. pag. 107. lin. 7
Cur in eadem à Chriſto adhuc in Beatiſſimæ Virginis ventre, in communem lucem appelletur. ibid. 21
Cur ſe vocem nominet. 107. 5
In ortu gratiam ſecum adducit. ibid. 14
In deſerto non fuiſſe, typicè demonſtratur. ibid. 25
In Chriſti amplexibus (quòd eidem Chriſto contingit) ſe ipſum amplectitur. 108. 8
Illi ſimillimus. ibid. 16
Quo melle veſcatur. 109. 1
Cur pellem camelinam gerat. 110. 8
Aetatem viribus antecellit. ibid. 27
Lumen Chriſtum præmonſtrans, lucernam imitatur. 111. 8
Quouſque genus humanum ſibi deuinxerit. ibid. 22
Veræ fidei nutritius poteſt nuncupari. ibid. 28
Tunc vocem magis recludit, cum arctiùs in carcere clauditur. ibid. 33

S. IOANNES BAPTISTA DECOLLATVS.

Puellæ ſaltatricis petitioni ad necem traditur. pag. 146. lin. 14
Ab eadem cum matre, quàm primùm necandus optatur. 148. 2
In furtum Herodis inceſtuoſum, quaſi canis vigilans, latrat. ibid. 27
Tanquam vox præpeditur. 149. 1

Non

Non carcere cuſtoditur,ſed cuſtodiens,illum ſanctificat, atque illuſtrat. ibid. 15
Quam illinc mercedem referat. ibid.26
Carnifici pauorem incutiens, ægrè ab illo conficitur. 150.8
Mortis pondere inclinatus, veluti palma ad cæleſtem gloriam reſurgit. ibid. 15
Vti præda in ſaltibus inuenta,ſaltatricem lætificat. ibid.22
Poſt ſui necem ante oculos Herodis verſans,illum excruciat. 151.26
Oculos claudit non mortis pallore,ſed potius feritatis, quam regia maieſtas, & conuiuarum genium auerſantur, repugnantia. 152.2

IOANNES EVANGELISTA.

Cur ſummoperè Chriſtum diligens, in eius morte, vita non deſperatur. pag.244 lin.3
Ab eodē,qui in cruce teſtatur,Mariā hereditate in matrē accipit. ibi.25
Corde, ore, manu Deum laudat, & quomodo. 145.7
Supra pectus Chriſti recubans, omnigena ſcientia ditatur. ibid.27
Apud conuiuiū Regem honoris cauſa accumbit. 246.1
Sanctiſſimam Trinitatem diſtinctis nominibus theologiæ compendium continentibus, appellat. ibid.7
Cur aquilæ figura denotetur. ibid.28
Cur columbinas plumas aliquando induerit. 247.14
In Caluariæ monte nidificans, filios edocet opulentam prædam reportare. ibid.17
Pluribus de cauſis aquila nuncupatur. ibid.23
Chriſto, qui in Caluariæ campo cum dæmone præliatur, eiuſdem quis exemplo adhærens, triumphum præſignat. ibid.28
Cum fulgur ſit, quoniam tonitrui filius, ignem non paueſcit. 248.9
Ignis inſtar maximè ardeſcens,minorem ignem extinguit. ibid.18
Miſericordiæ oleo inunctus, ab altero tyranni oleo ebulliente cruciatibus tutiſſimè repugnat. ibid.23
In ferueſcentis olei dolio nihil dolens,ad martyriū palmā enatat. ibid.28
Cur in Patmos Inſulam relegetur. ibid.3
A Chriſto tot de cauſis diligitur, quot apud illum honoris gradus meritò eſt aſſequutus. 249.12

S.10.

S. IOSEPH.

IOannem Euangeliſtam antecellit. pag. 43. lin. 21

Mariæ æqualis. 44. 2

Spiritum Sanctum capiti obumbrantem habet. 45. 12

Virga eſt floribus induta. ibid. 29

Chriſti imperio ex ſpeciali gratia poteſt gloriari. 46. 2

Duplici in eundem fruitur auctoritate. ibid. 7

Virga eſt, baculus facta. ibid. 16

Ioſepho priore maior. ibid. 24

Solem, & Lunam ſibi procumbentes intuetur. ibid. 33

Chriſti famulatu in menſa honoratur. 47. 23

Virga eſt oculata. ibid. 31

Iſta in leonem commigrat. 48. 20

Cum Chriſto, & Maria terreſtrem conficit Trinitatem. ibid 19

Ieſum videndi facultatem præbet. ibid. 29

L.

S. LAVRENTIVS.

QVaſi laurus fulgurum immunis. pag. 133. lin. 26

Alter Hercules clauam igne munitam, hydriæ capitis vſtioni congruentem prægeſtat. ibid. 30

Prunarum aſpectu ſummoperè lætatur. 134. 9

In crate poſitus, Deo gratias agit. ibid. 14

Eundem per cratis cancellos ſibi ſuppetias laturum ridẽtibus oculis ſuſpicit. ibid. 16

Fidem nutrit non leuem, ſed conſtantem, nullo tormento bellico amouendam. 135. 3

Ardentibus membris, ipſe non ardet. ibid. 18

Dicterium Anaxarchi ad Nicocreontem dicterio ſimile tyranno exprimit. ibid. 30

Vt partim aſſatus in cibum verſetur, tyranno imperat. 136. 2

Inſtar lauri in igne ſtrepens, lupinam rabiem exprobrat. ibid. 12

Vi-

Vritur, non vt tyranni cibus, ſed fax refulgens euadat, & cur. ibid. 20
Ex leuitæ vocabulo leuis à tyranno iudicatus, illius iudicium decipit. 138. 2
Eiuſdem apud inferos cruciati querimoniam audiens, è cælo ſingulis reſpondet. 140. 6
Apud ſuperos martyrij instrumento inhærens, à tyranno apud inferos ſuſpicitur. 141. 14
Inter homines ab eodem tanquam vermis habitus, poſtea fœnix rediuiua nuncupatur. ibid. 24
Roſæ ſimillimus variè oſtenditur. 142. 6

M

S. MARTINVS.

Decennis Cathecumenorum numero, inſcijs parentibus, aſcribitur. pag. 200. lin. 6
De ipſis capti conſilij inſcijs nihil cogitat. 201. 3
Sub Conſtantij, & Iuliani Imperatoribus ſtipendium meretur. ibid. 28
Sago, & armis duntaxat contentus, vitam traducit. 202. 5
Illum Ambiano eleemoſynam poſtulanti dimidiatum tradit. ibid. 10
Pro media veſte integram à Deo recipit. 203. 18
Anno ætatis XVIII. aqua baptiſmali abluitur. ibid. 23
Turonenſis Epiſcopus creatur. 204. 7
Ex vna veſte accepta octoginta alias conficit. ibid. 7
Paupertate diteſcit. ibid. 14
Tres mortuos, ſanctiſſimæ Trinitatis nomine inuocato, vitæ reſtituit. ibid. 25
Octogenarius lecto decumbit. 205. 1
Præſentem Diabolum cur beſtiam appellet. 206. 8
Cur illum de præſentia cauſa percontetur. ibid. 27
Morti proximus, Angelorum choros aſtantes aſpicit, illorumque comitatu, multis videntibus, cælum aſcendit. 207. 11

S. MATTHÆVS.

Cur ad telonium ſedeat. pag. 175. lin. 9
Ibi ægrotus, ſeu potius exanimatus. 176.19
Qua de cauſa à Chriſto appelletur. ibid.29
Illius ſeruitium audiens, ſtatim libros nominum abijcit. 177.19
A voce Domini altiſſimam Theologiam apprehendit. 178.4
Regis Aegippi filium defunctum vitæ reſtituit. ibid.31
Duos dracones à magis in vrbem intromiſſos crucis figura in ſyluas expellit. 179.5
Regem cum tota familia ad baptiſmum allicit. ibid.29
Diuinos honores ab vniuerſo populo ſibi oblatos reijcit. 180.4
Regem Hirtacum admonet, vt Iphigeniæ Deo dicata matrimonio abſtineat. 181.15
Iphigeniam, & alias quinque virgines ſacro capitis amictu decorat. ibid. 20
A nefario milite in Eccleſia necatur. 183.2
Aegyptum, atque Aethiopiam chriſtiana fide erudiuit. ibid.8
Euangelij à ſe ſcripti, & à Barnaba perlati contactu multos ægrotationi eximit. ibid.8
A nece, Chriſto paſſo perſimilis oſtenditur. ibid. 18
Auro ferrum ipſo auro pretioſius fœneratur. 184.11
Ignem in clauſtrum à rege Hirtaco immiſſum, manu cælitùs porrecta extinguit. 186.8

P

S. PETRONIVS.

Ægyptiacam ſolitudinem petit. pag.190.lin.32
Antrum ingreditur. 191.27
In patriam reuerſus, monachorum vitas ſcriptis committit, quibus monachi vtuntur. ibid.31
Ieroſolymitanam peregrinationem obit. 192.5
Chriſti ſepulchrum humillimè veneratus, dilaudat. ibid.10

Ab Imperatore Theodoſio ad Cæleſtinum Summum Pontificem legatus mittitur. 193.12
Bononienſium præſul diuinitùs eligitur. ibid.21
Vrbem ingrediens, ab iiſdem inter ſummos applauſus excipitur. 194.22
Cur ad Imperatorem, pro legationis complemento non reuertatur. ib.25
Arianæ hæreſi extinguendæ totum ſe tradit. 195.11
Multas Eccleſias extruit. 196.3
Innumeris Sanctorum reliquiis D. Stephani templum ditat. ibid.13
Cùm columna, quæ fabrum peremit, robore victor decertat. ibid.27
Quatuor ſacella crucibus Reliquiarum copia ditatis exornat. 197.20
Bononia reſtaurata, & mœniorum ambitu adaucto, vt eadem ciuitas ſtudiorum mater Theodoſii auctoritate à ſummo Pontifice confirmata, appelletur, impetrat. ibid.33

S. PHILIPPVS NERIVS.

CVm dæmone bellum ingreditur. pag.81.lin.10
Renes ſibi præcingit. 82.16
Sellam ab impudica muliere in ſe coniectam, in curru caſtitatis triumphans; habet pro ſolio. 83.15
Quibus armis puritatis à ſe conſtructæ arcis aſcenſum hoſti præcludat. ibid. 24
In iuuenta perpetuam abſtinentiam cœpit exercere. 84.14
Oratorii Congregationem inſtituit. 85.14
Duplicis coſtæ confractionem à Spiritu ſancto ſuſtinet. ibid.21
Corpus cum animo æqualiter purum cuſtodit. ibid.27
Gemino aſtro perſimilis videtur. 86.2
D. Mariam Magdalenam patronam habet benigniſſimam. ibid.24
In foueam delapſus, ab Angelo, cui in pauperis imagine eleemoſynam impertiuerat, educitur. ibid.32
Aſmodæum multos vexantem, illorum capitibus manuum impoſitione detrudit. 87.11
Qui luxuriæ operam dediſſent, illorum graueolentia offenditur. ibid.17
Lilii, & Angeli nomina meretur. ibid.24
In virginitate martyrium inuenit. 88.11
Lilium habet in lucernam conuerſum. ibid.26

In

In ſumma prudentia ſtultitiam ſimulat. 89.8
Tiaras, & purpuram recuſat. ibid. 9
A Cardinalibus, & ſummo Pontifice ſanctus appellatur. ibid. 21
Opulentam auunculi hereditatem, ab eo recedens, euitat. ibid. 28
Eccleſiæ myſticæ veſtis ſe fimbriam exiſtimat. 90.2
Plurimos ægrotos ad valetudinem reuocat. ibid. 9
Prophetico ſpiritu imbutus, in carne Angelus creditur. ibid. 14
Lucernam habet mortis nocte non extinctam. 92.12

S

SAVLVS IN PAVLVM CONVERSVS.

Totus ſæuitia factus. pag. 21. lin. 24
Senſa exprimit ſuperba, & in Chriſticolas immaniſſima. 22.6
Singulorum exprobrationem reportat. 23.15
Quibus in rebus percuſſorem experiatur miſericordem. ibid. 24
Quando potioris conditionis euaſerit. 24.8
Chriſti vocem agnoſcit. ibid. 31
Ieſu nomen audit melliſluum. 25.6
Quonam pacto Chriſtum, qui in cælum aſcendit, perſequatur. ibid. 21
Perſequitur, ſed in caſſum. ibid. 27
Cur percuſſus obſtupeſcat. 26.33
Quidnam diuinæ gratiæ occurrens, peragat. 28. 1
Auis inſtar ab aucupe Chriſto capitur. 30.2
A Stephano in tranſennam illicitur. ibid. 12
In prædam conuerſus laudatur. ibid. 19

S. SEBASTIANVS.

Diocletiani, ſed magis Chriſti militiæ addictus. pag. 12. lin. 11
De opulentis hominibus quid ſentiat. 12.25
Chriſti fideles in captiuitate ad conſtantiam hortatur. 13.5
Imperatori obiurganti impauidus reſpondet. 15.1
Eidem à fide Chriſtiana defectionem ſuadenti, hanc ipſam ſuadet. ib. 21
Eius iracundiam in ſe vehementiorem concitat. 16.1

Sagittis confodiendus traditur. 16.11
Cum vite palo adhærente ſe comparat. ibid.24
A ſagittarijs inter ſe luſoriè certantibus vulneratur. 17.7
Sagittas non timet. ibid.12
Eiſdem opulentus, cupidini ſimilis oſtenditur. 17.28
Nihil eſt in ſagittis, vnde plurimùm non proficiat. 18.2
Cur excruciatus ſileat. ibid.15
Adhuc viuus, mortuus creditur, & ab Irene officioſè excipitur. ibid.20
Compreſſam ſupplicijs vocem extollens, Imperatori liberiùs, quàm antea ſæuitiam exprobrat. ibid.27
Hunc ipſum in ſtuporem attrahens, virgis cædi iubetur. ibid.30
Enecatus in cloacam proijcitur. 19.6
Cur extra portam Capenam ſepulchrum ſibi deligat. ibid.16
Cur prioris fœditatem ægrè ſuſtineat. ibid.22

S. STEPHANVS.

Lapidibus martyrij inſtrumentis durior. pag.230.lin.33
Lapidi angulari Chriſto perſimilis. 231.28
Corona vocabulo fruitur. 232.9
Laurea vel dormiens, redimitur. ibid.19
Ex lapidum fragore ſuauem concentum audit. ibid.23
Coronam auream iu Ieroſolymorum agris diligenter quærit. 233.7
Arborem inter ſaxa virentem aſpiciens, multa ſecum ipſe loquitur de corona. ibid.13
Eidem auro contexta occurrit. ibid.24
Se tanquam aurum Iudæis lapidum ligonibus fodiendum committit. ibid. 29
Poſt victoriam vero Ioui feretrio ſacrificat, congiarium populo donat, omnium applauſus excipit. 234.14
Cur geſtet coronam multis pretioſis gemmis circumtextam. ibid.20
Lapides torrentis dulces experitur. 235.5
Pretioſam gemmam mercaturus, Ieroſolyma diſcedit. ibid.28
De gemmæ pretio cum Iudæis diſputat. 236.22
Cæleſtem aurificinam ſuſpicit. ibid.32
Lapidibus non modo obruitur, ſed etiam ſepelitur. 237.25

Iſtos

Iſtos honoris cauſa circum ſe concidentes intuetur. 238.2
Iiſdem inter amplexus, & oſcula gratias agens, tanta hilaritate pro lapidantibus orat, vt ſopore corripiatur. ibid. 13
Saulum precibus in Paulum conuertit. 239.31
Coronam habet antiquorum ſingulas continentem. 240.15
Cum cælo dignus à lapidibus habeatur, illuc extollitur. 241.1
Triumphans, à Deo amantiſſimè excipitur. ibid. 8

Pag.	*lin.*	*Errata*	*ſic corrige.*
10	14	gehennæ	gehennæ ignis
11	13	obiam	obuiam
12	18	militæ	militiæ
13	13	tomporis	temporis
13	19	ſuabtrahere	ſubtrahere
16	19	frotius	arctius
17	2	vinc ris	vinciris
18	29	vlnera	vulnera
24	17	irrefragabilem	imperplexabilem
28	31	noſtroſtrum	noſtrorum
31	17	corregnemus	conregnemus
33	25	animnatibus	animantibus
49	6	iuſſu	iuſſu vnius
53	9	piſcationem	piſcatum
53	27	piſcationi	piſcatui
57	25	ceſſauit	ceſſat
57	1	irrefragabili	irreprehenſibili
57	1	poſt	poteſt
58	29	ſimgulorum	ſingulorum
61	30	effænatam	effrænatam
65	7	nuntium	nuntius
65	17	cæleſte	cæleſte
87	18	purgamento	purgatione
99	19	infectione	inſpectione
101	16	bruta	bruta animalia
106	25	montes	mons
106	25	& Thabor, vt	, vt Thabor
106	26	exultarunt	exultauit
108	11	credebantur	credeten tur
127	8	Oximenſi	Oxomenſi
134	33	illus	illius
138	10	Leurentio	Laurentio
152	15	iugu	iuſſu
166	4	vulgarum	vulgarium
167	7	obſurdedeſcis	obſurdeſcis
202	17	vitibus	viribus
214	13	tria	ad tria
214	17	templi formam	in templi formam
218	29	reficientem retia	mittentem rete in mare
227	31	querimonis	querimonijs
239	3	actibus	iactibus
240	14	validiſſime	validiſſimi
246	21	corporeis	corporis

Digitized by Google

Franciſcus Ferrarius pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. Hieronymo Boncompagno Bonon. Archiepiſcopo, & Principe.

V. D. Stephanus Seminus Cler. Reg. S. Pauli Pœnit. pro eodem Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Archiep.

V. F. Hieronymus Allè Sacræ Theol. Mag. & ſacrarum Litterarum in celeberrimo Bonon. Archigym. Interpres pub. pro Reuerendiſs. P. Inquiſitore Bonon.

Imprimatur. Fr. Caſimirus de Cremona Sac. Theol. Lect. Vic. Gen. S. Officij Bonon.

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

7-2-2

Google